DAN. WYTTENBACHII OPUSCULA SELECTA. EDIDIT ... FRID...

Daniel Albert Wyttenbach, Willem Leonard Mahne

DAN. WYTTENBACHII
OPUSCULA SELECTA.

EDIDIT

ATQUE

APPENDICIS LOCO

G. L. MAHNII CRITONEM

SIVE

DIALOGUM DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM RECTE COLENDO

ET

EXCERPTA EX EIUSDEM

EPISTOLIS SODALIUM SOCRATICORUM PHILOMATHIAE

ADIECIT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.

VOL. I.

BRUNSWIGAE, 1825.

SUMTUS FECIT ET VENUMDAT G. C. E. MEYER.

Lecturis
S. P. D.
Frid. Traug. Friedemann.

Wyttenbachii vitam a Mahnio scriptam quum nuper repeterem in *vitis hominum quocunque literarum genere eruditissimorum* ab *eloquentissimis viris scriptis* et *juvenibus liberalioris ingenii, tanquam discendi ac dicendi exemplis, propositis* Vol. I. (Brunswigae, sumtibus Lucii, a. 1825), ex ejus opusculis Lugduni Batavorum a. 1821 editis selecta capita ad eosdem usus decerpere iisdemque typorum formis coepi simul exscribere. Equidem enim maxime suffragor *C. Th. Zumptio*, viro de intermissis linguae latinae studiis apud nos renovandis optime merito, qui in libro scholastico (Aufgaben z. Uebersetzen aus dem Deutschen in's Lateinische, aus den besten neuern lat. Schriftstellern gezogen. Berol. ed. tert. a. 1825) p. 435 ita statuit: „*Wyttenbach's Ausdruck hat in allen seinen* „*Schriften eine grofse Leichtigkeit, und wenn* „*er auch an Correctheit im Einzelnen und Ge-* „*drungenheit von Muret und Ruhnken über-*

„troffen wird, so gehört er doch unbezweifelt zu „den ersten Meistern des lateinischen Stils, und „zieht gerade durch seine gemüthliche Ausführ-„lichkeit an.“ Qua in sententia quum intelligentissimi acerrimique existimatores, una et mente et voce non solum olim consenserint, sed etiam nunc consentiant, magnopere mirari licet negligentiam dicam an temeritatem *Bergmani*, qui in praefatione ad elog. Hemsterhusii et vit. Ruhnkenii, Lugd. Batavorum conjunctim edit. a. 1824. p. XLII. haec proferre ausus sit: *„Ad latinae denique orationis „probitatem quod attinet, quam sunt qui in Wyt-„tenbachio minorem quam Ruhnkenio fuisse „dictitent; nostrum non est, de tantorum tam „disertorum virorum Latinitate audacter pro-„nunciare, nec temere assentiri novitiorum cen-„sorum ratiunculis, nullo auctoritatis pondere „munitis. Quae vero tandem illa sit, quam „in omnibus Wyttenbachii scriptis, maxime „vero in postremis, et in hac quidem Ruhnkenii „vita ubique locorum, conspici dicunt, nescio „quae aut quomodo dicam sive expositionis am-„plitudo, sive orationis redundantia, sibique pla-„cens ac subinde pulcri sensui contraria loquaci-„tas, elocutionis denique, ut ita dicam, uniformi-„tas, cujus adeo contagione ipsorum Wytten-„bachii discipulorum infectam esse orationem, „profecto intelligere me haud fateor.“* Haec qui non intelligit, nae is aut natura, aut studio coecus est. Aliud enim est, magnorum virorum virtutes

malevole deprimere, aliud falsa ac vitiosa vere candideque corrigere, et, ut alii, in primis juvenes, sibi caveant, nec clarorum nominum auctoritate decipi se patiantur, admonere. Quod quia in aliis saepe fecit ipse Wyttenbachius, non videtur voluisse prohibere, quominus idem in se fieret sive ab aequalibus, sive a posteris. Ego vero ne concessa hac ad emendandum licentia abuti cuiquam viderer, quanquam et in hoc volumine et maxime in Mahnii vita Wyttenbachii satis larga suppeditabat materia, prorsus fere abstinui a notandi negotio et per se molesto et invidioso apud alios, inprimis Batavos, qui in popularibus suis reprehendi quippiam aegerrime ferunt, et cupidius causam suam dicunt, quam simplex fert ratio veritatis. Perspicuum et mirabile hujus rei exemplum praebet repetita editio elogii Hemsterhusii et vitae Ruhnkenii a *Bergmano* nuperrime instituta, quam supra significavimus. Cf. ejus libri censuras in *Seebodii* biblioth. crit. rei scholast. a. 1825. P. 2. p. 245 sqq. *Diltheji* ephemm. scholl. univ. h. a. Nr. 10. p. 75 sqq. et in *Halens.* ephemm. litterr. h. a. m. April. supplem. Nr. 48. p. 577 sqq. propositas. Sed ut appareat, quid velim, propediem evulgabo libellum, in quem pleraque retuli, quae ab iis, qui nunc latine scribunt, barbare vel soloece plerumque dicuntur. Qui quanquam principio discipulorum erudiendorum gratia conscribendus erat privatim, dabo tamen operam, ut in summa brevitate nec magistris ingratus futurus sit, appositis et

scriptorum antiquorum testimoniis et auctoritatibus recentiorum criticorum ac commentatorum.

Caeterum in hoc delectu habendo ea spectavi, quae accommodata et jucunda adolescentibus, viris non fastidiosa futura, intelligebam. Quae spes si me non frustrata fuerit, secundo volumine reliquas gravioris generis disputationes exhibebo. Nunc vero etiam quaedam, quae perquam incommode abessent a collectione Lugdunensi, supplenda putavi, utpote cognitu dignissima. Praeterea ob similitudinem argumenti orationisque addidi *Mahnii* discipuli *Critonem* Zierizeae a. 1816 editum, de quo cf. quae dixi in praef. ad vitt. homin. eruditt. Vol. I. p. XIV. Atque ne omnino defuisse viderer existimationi hominis doctissimi, qui in ephem. liter. Jenens. a. 1825. Nr. 26 et 27 judicium tulit de Wyttenbachii vita a Mahnio scripta, ex *Epistolis Sodalium Socraticorum Philomathiae*, ab eodem *cum praefatione et appendicibus* Zierizeae a. 1815 editis, potiores quosdam locos, tanquam specimen, adjunxi. Nam quominus liber describatur totus, et moles prohibet, et rerum, quae insunt, tenuium atque a studiis humanitatis alienarum multitudo.

Capita vero ex Wyttenbachii opusculis selecta haec sunt:

1) *Protrepticus* dictus *instaurandis scholis et discipulis ad literarum studia confirmandis.* P. 1.

2) *Oratio* de *vi et efficacia historiae ad studium virtutis.* P. 18.

Scr. *Brunovici* Id. Maj. a. 1825.

PROTREPTICUS

DICTUS

D. XVIII. SEPT. A. MDCCCX.

INSTAURANDIS SCHOLIS

ET

DISCIPULIS AD LITERARUM STUDIA CONFIRMANDIS.

Philom. L. II. p. 175 sqq. Opusc. T. II. p. 273 sqq.

Q. B. F. F. Q. S.

Est hic nobis, Auditores Ornatissimi, quotannis usurpatus mos majorum, ut in principio scholarum post exactas ferias instaurandarum Deo O. M. gratias agamus, quod nobis sanis ac valentibus reditum ad haec studia celebranda concesserit. Quam gratiarum actionem si umquam juste debiteque exsolvi, certe nunc pie religioseque exsolvere debeo. Meministis enim, A. A. O. O., qui quidem tunc adfuistis, me sub finem superiorum scholarum, exeunte proximo mense Junio, vobis valedicentem optasse, atque adeo ab immortali Deo precatum esse, ut nobis rursus, finitis feriis, hanc bonarum Literarum institutionem repetere liceret, integra valetudine, integris rebus nostris; salva Academia, salva patria. Iam convenimus ad hanc Literarum institutionem repetendam: integra quidem, ut videmur, valetudine: rebus autem integris, salva Academia, salva patria, affirmare non

item possumus. Et arguit discipulorum paucitas, parentum angustiis discessum veteranorum multo frequentiorem accidisse, quam adventum novitiorum. Quid enim interea evenerit, nemo nescit: fortunas plurimorum afflictas: Academiae dubiam sortem: patriam Francico provinciam Imperio adjectam. Atque hoc non eo valere debet, ut putemus, nullam nos amplius patriam habere, nullam nobis ejus jam rationem ducendam esse, nullam porro caussam exstare, quare Literis studere operae pretium sit. Qui error multorum animos occupavit: perniciosus sane, et diligenter confutandus cum a caeteris doctoribus, tum a me: qui, et antea vos ad Literarum studia excitans, haud postremum argumentum a patriae caritate repetere solebam. Et recordamini profecto, auditores veterani, me subinde vos hujusmodi fere oratione ad optimarum artium disciplinam cohortatum esse.

Unicuique, inquam, homini, in hac vita, tamquam in civitate, a summo ejus civitatis principe et rectore Deo sua persona officiaque imposita sunt. Et, ut ex meis vestrisque officiis nunc unum, quod ad rem praesentem attinet, memorem; meum est *docere*, vestrum *discere*. Hoc autem, quod *discere* vocamus, quid est, quodnam propositum habet? Scilicet, ut mentem rerum praestantissimarum cognitione repleamus, ingenium ad veri perspicientiam acuamus, animum ad omnis virtutis honestatisque amorem formemus, ad omnemque vitae actionem instruamus; ut et nobis ipsis, et nostris, et caeteris civibus totique patriae, et reliquis hominibus, quoad ejus fieri potest, utilitati, emolumento et saluti esse possimus. Videtis, hanc discendi legem ab ipsa natura proficisci, eamdemque continere tria illa officiorum genera, erga Deum, erga nos, erga alios: continere item horum

officiorum effectricem virtutem, quatuor harum partium descriptione ab Antiquis celebratam, prudentia, fortitudine, temperantia, justitia: quarum adeptione summum bonum et vita beata censetur.

Haec et alia his consentanea vobis antea proponere solebam. Nunc in praesentem veniamus quaestionem, an patriam amiserimus, et, simul cum ejus amissione, a discendi officio ac necessitate soluti simus. Quod si igitur illis concedamus, qui putant, nos nullam amplius patriam habere, quorum falsam esse opinionem, et supra monuimus, et postea magis intelligemus: sed, ut illis concedamus hoc, quomodo tandem ostendent, huic esse consequens, ut a discendi officio ac necessitate soluti simus? Nonne in illa tripertita officiorum distributione, ut sint erga Deum, erga nos, erga alios, patria profecto est in tertio genere, quod est erga alios: cjusque, magnam quidem, sed tamen non nisi partem obtinet. Nostis profecto Ciceronis egregiam illam: quamquam quid Ciceronis non est egregium? nostis igitur explicationem graduum progressuumque humanae societatis a Cicerone, Officiorum I, 17 proditam, ubi consignata etiam est illa quasi divinitus emissa vox: *Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Sane! *Si ei sit profuturus*, dulce et decorum est pro patria mori: sed si morte nil profuturus sit, dulce et decorum est pro patria vivere. Et quum patria sit pars tertii generis, quo continentur *alii* omnes homines praeter nos ipsos; fac patriam aut exstinctam aut

amissam esse, remanent omnino parentes, nati, fratres, cognati, affines, familiares, amici, cives, propinqui, exteri, totum denique genus humanum, quod communi nobiscum naturae et humanitatis vinculo consociatum est. Atque his omnibus prodesse, et proximum quemque maxime juvare ac tueri debemus: neque id nisi discendis bonis artibus consequi possumus. Fac tandem esse, qui ab omni humano consortio segregatus in deserta insula vivat, is tamen hoc ipse erga se officio tenebitur, ut rerum utilium cognitione se instruat, qua se servet ac sustentet; ut in illa solitudine, quidquid est vitae, ad Naturae Legem dirigat, quae, in cogitando agendoque posita, jubet rerum divinarum humanarumque cognitione ad virtutem contendere. Neque vero quisquam vel in hoc terrarum orbe, vel in aliquo totius universi angulo ita seclusus ab omni consortio et desolatus cogitari potest, ut ab officiis erga Deum vacet, ac solutus censeatur. Deus, omnium rerum creator et communis parens, nos, ubicumque sumus, amplexu suo et quasi sinu continet: in hoc vigemus, vivimus, degimus: ab hoc quisque non magis quam a se ipso discedere potest: hujus ea est nobiscum conjunctio, ut neque nos ejus potestatem praesentiamque effugere possimus, nec ipse nos desertos abjectosque relinquere velit: hujus voluntas est illa, de qua diximus, Naturae Lex, jubens nos recte agere, id est virtuti studere, ad eamque a Sapientia, quae est rerum divinarum humanarumque scientia, proficisci. Ergo, si aeternae hujus Legis tanta est vis, ut eos etiam teneat, si qui a caeterorum omnium hominum communione seclusi degunt: quanto magis vos ea Lege teneri par est, qui in civili societate vivitis, qui in eadem, qua antea, vivitis, in qua parentes vestros, fratres, cognatos, affines habetis:

vos, qui aetate ineuntis adolescentiae floretis, qua vestrum officium est, indita vestris ingeniis a Deo creatore semina virtutis sapientiaeque ad harum proventum maturitatemque excolere: qui, hoc ipso fructu proposito, a parentibus tutoribusve vestris in hanc bonarum artium officinam, Leidensem Academiam, missi estis.

Ac ne quis nos arguat temere agere, quod, de patria disserentes, nec definitionem ejus, nec generis in formas distributionem apponamus, possumus sane in re perspicua communem sequi notionem, qua patria dicitur terra illius nationis, in qua quis natus est, cujusque nationis partem obtinet. Cum notione enim patriae omnino conjunctas esse notiones terrae et nationis, vel Nomades documento sunt, qui, nullius certae sedis in domicilio fixi, tamen illum hominum gregem, in quo nati sunt, illudque terrarum spatium, in quo vagantur, patriam suam censent. Est vero vel naturalis cuique patria, vel adoptiva: veluti Batavia vobis naturalis est, mihi adoptiva. Et Athenarum urbs fuit adoptiva plerorumque philosophorum et hominum doctorum patria, qui eam docendo illustrarunt: eademque caussa et semper fuit, et hodieque est celebriorum scholarum; ex quibus unam hanc Lugduno-Batavam, inque ea unam Humaniorum Literarum cathedram memoremus, in qua hanc disciplinam fundavit Josephus Scaliger, tutatus est Vossius, Salmasius, I. F. Gronovius, Ruhnkenius, egregii viri: quorum Batavia adoptiva fuit patria: quae eadem naturalis fuit patria magnorum virorum, qui, tamquam Scaligeranae disciplinae propagines, eamdem cathedram ornarunt, Perizonii, Burmanni, Oudendorpii, Valckenarii. Ego vero Ruhnkenii Valckenariique discipulus ac successor, quod natus civis Hel-

vetius, me civem Batavum fero, et hanc vobiscum communem meam patriam appello, profecto non mirabimini, A. A. Multi sunt anni, quod Batavia me sibi civem, et ego mihi illam patriam adoptavi. Idque ego publice professus sum in Oratione habita Amstelodami a. MDCCLXXXV, auspicandae Literarum Historiarumque cathedrae, his ipsis verbis ad Consules Curatoresque, Viros Amplissimos, utens: *Ego, inquam, cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera, tum per magnam ejusdem cum natali mea patria similitudinem morum, legum, institutorum: his igitur caussis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum judicio et voluntate me applicarem.* Fuit autem haec applicatio non solum jure civitatis, sed sensu quoque et affectu; ut, quoties me naturalis repetebat, toties adoptiva retineret. Et tunc haec florebat, et nos cum illa florebamus: nunc, ut lenissime dicamus, defloruit, et nos deflorescimus: neque tamen idcirco minus eumdem erga eam animi sensum affectumque obtinemus.

Age vero! ab hac subtiliore disputatione ad historiam nos et exempla convertamus, videamus, quid sit illud, *patria carere:* et an haec nostra nunc sors et caussa sit.

An igitur nostrum hujusmodi negotium est, quale Virgiliani pastoris Meliboei:

Nos patriae fines et dulcia linquimus arva,
At nos hinc alii sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Nimis procul abire cogitat pastor: poterat in vicinam Siciliam, pastorum fere patriam: poterat a Tityro

invitatus apud hunc requiescere noctem, cujus commendatione a Caesare amissos agros recuperaret, jam rerum potito reliquam laudem in sanandis belli calamitatibus ponente. Nostrum diversum est negotium: mansimus in patria, et, ut spero, manebimus.

Alii sunt multi patriae amittendae modi. Hebraeorum populus ter solum vertere coactus est: primum: Israëliticum Regnum ab Assyriis eversum: mox Iudaicum a Babyloniis, hinc reduces pars veteres sedes, Cyro annuente, receperunt: a Romanis ex Palaestina in perpetuum pulsi ac prohibiti, suae religionis tenaces, per totum terrarum orbem dispersi, in aliorum populorum ditione inquilini durissima plerumque conditione vixerunt. Alii cum victoribus aliisque populis coaluerunt. Veluti reliqui Cathaginienses, quos, capta patria, eorum civis philosophus, Punico nomine Hasdrubal, Graeco Clitomachus dictus, tunc Athenis Academiam obtinens, scripto libro consolatus est: ut refert Cicero Tusc. III, 22: hi ergo partim ad alios populos vagati, partim in Italiam translati, per agros et oppida distributi, in illorum gentem, linguam, mores abierunt. Sic Albani Romam traducti, in Romanum nomen transierunt. Et fuit hoc, inde ab auctore Romulo, Romanorum institutum, victos populos Romam transferre, in civitatem recipere, eorum non modo corpora, sed animos sibi adjungere, in horum vacuos agros oppidaque ex redundante plebis Romanae multitudine pauperiores quosque colonos emittere, itaque et urbem turbae faece purgare, et remp. novorum civium accessione et veterum in colonias deductione firmare.

Hujusmodi migrationes aliae plurimae fuerunt voluntariae, id est, non quae a victoribus imperarentur, sed a temporibus suaderentur. Quae caussa fuit

innumerabilium deductarum a Graecis populis coloniarum. In quibus migrationibus multas ejusmodi cognovimus, non ut pars populi in patria remaneret, sed ut universus eam populus relinqueret, et novas quaesitum sedes abiret. Sic, eversa Troja, Aeneas in Italia Romanum populum ad Tiberim, Antenor Venetum ad Padum fundavit. Fuerunt etiam, qui salvam adhuc et stantem, sed capi periclitantem relinquerent. Phocaei Iones, ingruente Persarum potentia, urbem vacuam deserentes, navibus conscensis, vela ventis dederunt, novas sedes quaesiverunt: primo Corsicam insulam occuparunt: hinc a Carthaginiensibus pulsi, in Galliae oram delati, ad Rhodani fluvii ostium clarissimam urbem Massiliam condiderunt: ex eaque cum bellica scientia, tum Graeca humanitate, in propinquas terras mariaque dominati, ne nunc quidem defecerunt. Paucis postea annis, Xerxe Persarum rege ipsam Graeciam infinitis cum copiis terra marique invadente, Athenienses, consilio Themistoclis, naves conscenderunt, patriam hostibus vastandam incendendamque reliquerunt, eosdem hostes e Graecia repulerunt, patriam recuperarunt: quod inceptum nisi illis successisset, iisdem animis, manibus, navibus, freti, novam sibi patriam comparassent. Atque eamdem viam expediendae salutis desperatis in rebus dicitur Batavis suis ostendisse stator nascentis hujus reip. Guilielmus I, ut ingratam situ terram Hispanisque potentibus obnoxiam relinquentes, in naves se reciperent, iisque fidentes meliores tutioresque sedes quaererent. Sed neque tunc opus illo facto fuit: neque nunc illo consilio locus est.

Tales igitur patriae amissiones novimus, quibus quis ex ea migrat, abit, fugit: quibus autem quis in ea manet, vivit, servatur, migrationes non novimus.

Sed tamen, inquit, patria multum ornamenti commodique amisit, quod ex regno in provinciam alterius regni mutata est. De hoc ego, ut nunc est, non statuo: illud scio, hoc, quod in rebus externis a fortuna immissis dicitur *bonum* aut *malum*, non ita simpliciter et absolute se habere, sed utcumque *bene* aut *male* susceptum fuerit: sic, si illam mutationem recte exceperimus ac tulerimus, utilis erit: si non recte, damnosa.

Hujus autem praecepti auctorem habemus gravissimum, et a praestantissimis philosophis passim usurpatum, Euripidem: cujus ex Bellerophonte haec fertur sententia. *)

Τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών.
Μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν· ἀλλ' ὁὐντυγχάνων,
Τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἂν τιθῇ, πράξει καλῶς.

Quam scite Grotius vertit:

Nam neutiquam hominem rebus irasci decet;
Nil quippe curant. Vertere at in usus suos,
Quod casus offert, optimum ac tutissimum est.

Plutarchus vero sic interpretatur: *Fontem tranquillitatis animi in nobis insitum expurgemus: ut etiam res adversas extrinsecus nobis accidentes tamquam familiares nec molestas excipiamus ac feramus. Est profecto illud usurpandum:* Τοῖς πράγμασιν γὰρ κ. τ. λ. *Ludo enim tesserarum Plato vitam comparabat, ubi et jaciendum est, quod sit optimum; et quod jactu cecidit, recte usurpandum. Et jacere quidem quod*

*) Apud Stobaeum Florileg. LII, p. 360: CVI, p. 568: utroque loco vertit Grotius, p. 207, 451, posteriore rectius. Plutarchus de Animi Tranquillitate p. 467, A. Marcus Antoninus VII, 38, ibique Gatakerus. Spectat eodem Epictetus Dissert. II, 5, ad quem videatur Uptonus p. 112. Valckenarius ad Euripidis Phoen. 221. Platonis locus est Rep. X, p. 514, G: unde Terentius Adelph. IV, 7.

volumus, non est in nostra potestate: at hoc, si sapimus, nostrum est, res a fortuna oblatas recte accipere, et suo quamque ponere loco, ubi et noceat minimum, et plurimum juvet. Haec ille ex nostra interpretatione: plura apud ipsum legatis. Nos vero, ut volumus esse Antiquorum studiosi, sic illorum praecepta ad actionem referamus: et quidquid hac in vita, extra nostram potestatem in fortuna positum, adversum nobis acciderit, id, ut a divina providentia nobis tributum, grato erga eam animo accipiamus, et, quoad ejus fieri potest, ad nostram salutem virtutisque fructum accommodemus.

Sed, si patria per eam conversionem multum commodi amisit, nos idcirco patriam non amisimus. Alioquin quaevis mutatio status publici, veluti ex rep. in regnum, et in ipsa reip. forma, ex aristocratia in democratiam, patriae amissio dicenda erit. Quod sane absurdum sit; ita enim consequatur, ut amissum amittatur; quum tamen nemo nisi id, quod habet, amittere queat: et id, quod semel amissum est, rursus amitti non possit. Nunc multi quodam civilis factionis impetu et errore occupati, tum demum patriam exstare et vigere putant, si ea obtinet forma et constitutio, quam ipsi probant. Memini me audire democraticos homines, anno MDCCLXXXVII aristocratia restituta, lamentantes patriam tamquam oppressam ac perditam. Item vicissim fecerunt aristocratici a. MDCCXCV, constituta democratia, clamantes, nunc vero patriam funditus periisse. Memini utroque anno patres, priore democraticos, posteriore aristocraticos, ita doluisse, ut nollent filios suos ad studia colenda in Batavas Academias mittere, sed eos aut otiari sinerent, aut in exteras regiones docendos ablegarent, atque adeo ipsi cum iis ad exteros abirent, dictitantes,

il jam esse in Batavia, quod quidquam boni discere uis possit. Hi, patria quid sit, ignorabant: formam t externum habitum pro re ipsa habebant: nesciebant, atriae unum et perpetuum quasi corpus constare, ›rmas constitutionis pro temporum varietate, tamuam vestitum, mutari. Quod nisi ita esset, patriae is et natura nulla exstaret, neque umquam quisquam opulus certam suam patriam haberet. Et ne de aliis opulis dicamus, Batavus quando tandem istorum hoiinum judicio veram justamque patriae formam apellationemque obtinuit? Primum, quoad ejus constat, iit sui juris: tum cum reliquis Belgis in Romanorum ›edere ac ditione: deinde sub Francis regibus Meroingicis et Carolingicis, quibus exstinctis, in clienteım venit Regum Germaniae: sub utrisque suos habuit raefectos; unde Frisiae Hollandiaeque Comites extiterunt: his successerunt Hannoniae Comites: quorum ominium excepit gens Bavarica, porro Burgundica, ıustriaca, Hispanica: deinceps Respublica; nuper legnum: nunc provincia Imperii Francici. Quibus mnibus in dynastiarum imperiorumque varietatibus ic populus patriae nomine ac jure numquam caruit. ;rgo qui postulat, ut patria semper eadem, quam ipse robat, civitatis forma stet, permaneat, floreat, postuıt omnino praecipuam quamdam et supra humanum aptum positam fortunam. Quis vestrum nescit praelaram illam Ciceronis sententiam, quo ipse in simili aussa se sustentavit, tum quum resp. in unius potestatem ;aesaris venisset? *Id enim ipsum*, inquit, *a Platone hilosophiaque didiceram, naturales esse quasdam onversiones rerum publicarum, ut eae tum a rincipibus tenerentur, tum a populis, aliquando a ingulis. Quod quum accidisset nostrae reipublicae, um pristinis orbati muneribus haec studia renovare*

coepimus; ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus. Atqui, quum naturales hae sint conversiones, recusare eas non debemus. At, inquit, durum est hanc conversionem in mea potius quam majorum aut posterorum tempora incidere! Haec omnia vidi! Quid miser merui, ut in hanc fortunam reservarer? Quin tu, inquam, istum tolle luctum, quo declaras, te non patriae, sed tui caussa dolere: non patriam, sed te ipsum, amare: et potius in parte felicitatis tuae pone, ad ea tempora te servatum esse, ut iis te aggregare posses civibus, qui re, opera, consilio, temperantia, frugalitate, exemplo, patriae ruinam fulcirent.

Iam vero unius imperium ac principatum, quam monarchiam vocant, Literarum doctrinarumque studiis non obesse, omnis testatur historia, et vetus, et nova, atque adeo novissima; siquidem invictus Caesar, qui nos Imperio suo adscivit, multa sui erga Literas favoris studiique documenta dedit, in his *Constitutionem de Praemiis Decennibus:* de quibus *Relationem Iudicum* nobis misit ejusdem in his terris Vicarius, Dux Placentiae, Princeps Archithesaurarius Imperii, vir humanissimus idem et eruditissimus, affirmans, hoc esse Caesari propositum, ut, quemadmodum in Francia institutionem publicam et utiles disciplinas recreasset, sic etiam in nostra patria doctorum hominum, prouti omnium civium, prosperitati consuleret.

Nostis, A. H., auream aetatem Latinarum Literarum in primis aevo Caesaris Augusti censeri, qui Romanam remp. in singulare imperium convertit. Quae quidem aetas profecta a Cicerone, cujus divino ingenio non solum eloquentia ad summam praestantiam exculta, sed caeterae artes ac disciplinae inchoatae

int: in his excellentissimos auctores tulit: poëtas, 'irgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, Oviium: historicos, Nepotem, Sallustium, Livium: et ios multos in aliis generibus scriptores, et hoc evum, et sequens omnis Caesarum aetas tulit, quos ecensere nil attinet.

Magis me advertunt Graeci, in primis Athenienes, quibuscum nobis major laudis et fortunae simitudo intercedit. Hi ergo, quum, ut reliqui singuli raeciae populi, in liberae forma reip. degissent, in sque et maritimo imperio et mercaturae negotiis, et iterarum artiumque studiis principes, Darium et Cerxem, Graeciae servitutem intentantes, incredibili irtute, acerrimis proeliis, ad Marathonem, Artemiium, Salaminem, Plataeas, victos fugere coëgissent: im Peloponnesio bello diuturno ac difficili se adverus ipsos Graecos tutati essent; tandem, non obstante inta virtutum victoriarumque gloria, labefactati sunt ivalescente Macedonum potentia, Philippi et Alexanri; in quorum et his deinceps succedentium regum itione fuerunt, quibuscum denique ac tota cum Graecia ipsi quoque in Romanorum potestatem redacti unt. Atque in tanta casuum conversionumque vaietate, caeteris jacentibus, soli Athenienses stare viebantur: a Macedonibus, aliis Graecis regibus, Roianis principibus in rep. viris, et Caesaribus, praeipuo semper honore ac dignatione afficiebantur, veteis cum virtutis tum doctrinae caussa. Atque ipse se d majorum gloriam erigebant, horum victorias et ieroes celebrabant, Miltiadem, Themistoclem. Cimoiem: ut nos nunc solemus crebris in sermonibus et rationibus usurpare nostros Guilielmos, Ruteros, Trompios, sic illi suis praedicandis obsoletae quamvis audis recentem suavitatem captabant; ut appareret,

ad tantorum imitationem exemplorum non animos illis, sed fortunam, deesse. Litterarum autem doctrinarumque laus ac possessio ita propria ac praecipua mansit Athenarum, ut, quamvis multae harum scholae per reliquam Graeciam, Asiam, Syriam, Aegyptum, constitutae essent celeberrimae, Alexandriae, Antiocheae, Seleuciae, Apameae, Laodiceae, Pergami, Tarsi, Rhodi, Mitylenae, tamen sola Athenarum urbs avitum patrimonium verae elegantiae, sola germanam doctrinae rationem, sola antiquum sincerumque venustatis habitum, sonum, colorem, obtinere censeretur: ipsa fons et patria, illae autem rivuli ejus et coloniae, haberentur.

Et vero sub Alexandro Macedone ejusque successoribus magnum contigit Literarum studiis incrementum; non modo prioribus amplificandis generibus, Poësi, Historia, Rhetorica, Philosophia; sed nova prodeunte doctrina, Grammatica, quae eadem Philologia et Critica nominatur, Latine *Literaturam* dixere nonnulli, quae interiorem Linguae rationem tradit, antiquorum censuram agit auctorum, hos atque omnem Historiam et Antiquitatem inquirit, explicat, interpretatur. Denique insigniter aucta est Philosophia, quae quum adhuc Athenis quasi peregrinata esset, jam perpetuam stabilemque in ea urbe sedem accepit, quatuor celeberrimis ibi constitutis scholis: Platonica, in Academia: Aristotelica, in Lyceo: Stoica, in Stoa: Epicurea, in Horto. Tantam igitur omnis doctrinae vim et copiam Athenae sinu suo complexae, cum caeteris populis communicaverunt, ut deinceps per multa saecula omnes ex toto terrarum orbe studiosi adolescentes, qui quidem diligentem, lucupletem, et elegantem disciplinarum Literarumque rationem percipere vellent, in hanc Urbem confluerent, quae una

crissima et cogitandi, et dicendi, et vivendi, parens
c magistra esset: atque mortalibus non solum huma-
itatis cognitionem expromeret, sed etiam divinitatis
ommunionem impertiret: et quod mirifice cecinit
ates,

— *summam sapientia panderet arcem,*
Quatuor antiquis quae heredibus est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possent contemnere curas.

Iaec de Graecis et Romanis uberius tradimus in Hi-
toria Literarum, nunc, brevissime dicta, nostro pro-
osito sufficiunt. Illud enim volo, ut, quando fortuna
imiles Atheniensium sumus, eorumdem nos similes
nimis praestemus. Hi majoribus orti, qui suam
iraeciaeque libertatem egregiis victoriis tutati essent,
aris imperium obtinuissent, doctrinae laude floruis-
ent, quum temporum adversitate, et fati necessitate
ieluctabili, in exterorum ditionem populorum redacti,
xterna bona amisissent; interna retinuerunt et exco-
ierunt, iisque excolendis non solum in alios victos,
ed in ipsos victores populos ingenii doctrinaeque im-
erium sibi asseruerunt. Vestri majores, A. H.,
uam simili usi sint fortuna, longum est referre. Hi
eptimo anno belli illius recentiore aetate acerrimi,
trocissimi, maxime diuturni, quippe per octoginta
nnos gesti: hujus igitur fere initio, quum Hispanos
uic urbi interitum et civibus extrema supplicia
itentantes, incredibili fortitudine et patientia repu-
ssent, mox in hac ipsa urbe hoc Musarum Sacra-
ium, Academiam, auctore Guilielmo I, constituerunt,
ebus quamvis, ut videbatur, dubiis, tamen tacito
nimi sensu, principatum ei Literarum praesagientes,
t tamquam in prytaneo sacrum lumen accendentes
t alentes, unde alii populi lumina sibi sua accende-

rent. Atque ita evenit, et adhuc fuit, quantum quidem per publicas calamitates licuit.

Quod bonum quum nobis, amissis aliis, non quidem integrum, sed magnam tamen partem, supersit, age illud colamus, alamus, curemus. Ut singulorum hominum, sic universorum populorum, suae sunt vicissitudines, sua officia. Itaque et Batavi populi est, utramque fortunam modeste ferre: secundam, qua floruit, et aliorum fuit princeps et arbiter populorum, non superbe et insolenter tulisse, laudi fuit: alteram, qua in aliorum potestatem redactus est et imperium, non humiliter nec abjecte ferre, non minori laudi erit; si quidem fortitudinis munus non solum in agendo, sed et in patiendo, cernitur; et utrumque prudentiae est. Et id quidem commune est uniuscujusque nostrum privatim, et universi populi publice, id est patriae, officium. Hoc vero proprium uniuscujusque civis erga patriam, idque sanctum debitumque, non se necessitudine patriae solutum ferre, quasi nulla nobis amplius patria sit, nullum erga eam supersit officium. Quae profecto opinio et rationi et pietati repugnat. Immo, ut parentes nostrum quisque suos semper quidem diligere et observare, maxime autem tum obsequio et cura prosequi debet, quum aegrotantes aut alio casu quocumque debilitati, nostro auxilio indigent: sic patriam communem parentem, per quam florentem ipsi floruimus, multasque vitae commoditates prosperitatesque percepimus, deinde afflictam et alieno imperio subjectam ignorare, negligere, nec amplius eodem jure nobiscum conjunctam putare, non modo turpe et ingratum, sed impium et nefas sit: contra, et fas, et pium, et gratum, et honestum, et vero gloriosum, jacenti laborantique succurrere, idque eo magis, quo magis ipsa nostram opem desiderat, nosque

ei omnia debemus, et haec unica superest ejus servandae ratio, si suo quisque officio fungatur. Quodnam autem ex meis vestrisque officiis illud sit, quod ad rem praesentem, nostramque institutionis necessitudinem pertineat, dixi in principio, meum esse docere, vestrum discere; quamque vim habeat illud, quod *discere* vocamus, ibidem demonstravi. Agite ergo, Humanissimi Adolescentes, sic enim vos appellans, rite appellem: qui nati in humanissimo populo Batavo, ad humanitatis studia colenda in hanc Musarum sedem venistis: et Batavi populi cum Atheniensibus similitudinem porro tueamini: qui sub Macedonibus et Romanis veterem ingenii doctrinaeque gloriam principatumque retinuerunt: incumbite toto pectore ad Literarum artiumque studia: eamque laudem hereditariam a majoribus acceptam, item nepotibus hereditariam tradite, qui eam ipsi ad ultimam usque aetatem posteritatemque propagent: ostendite lumen vestrum caeteris omnibus populis; comprobate vestro exemplo celebratam illam Platonis sententiam, virtutem sui esse juris, sub omni imperio immunem, integram, in nostra potestate positam, constare: ex humanitatis doctrinarumque studiis efflorescere prudentiam, ex prudentia temperantiam, justitiam, fortitudinem, ipsamque sapientiam, cujus possessione summum bonum, id est vita beata, continetur. Ita sit: et servet vobis hanc mentem D. O. M.

ORATIO
DE
VI ET EFFICACIA HISTORIAE
AD
STUDIUM VIRTUTIS.

Habita a. d. 18. Aprilis a. 1785. cum in ill. Athenaeo Amstel., Philosophiae se Professione abdicans, Litterarum Gr. et Lat., Historiae cum Universae, tum Patriae, Eloquentiae, Poeseos, Antiquitatum, Professionem auspicaretur.

Opusc. T. I. p. 184 sqq.

Quum ante sex hos annos Philosophiae professionem in hoc ipso loco auspicabar, minime quidem eram ab Historiae veterumque Litterarum studio alienus, neque tamen ullo modo cogitabam fore, ut ipsarum etiam professionem in eodem loco auspicaturus essem. Acquiescebam in Philosophiâ, ut in laudatarum artium omnium parente ac procreatrice: in eâque tradendâ ita versabar, ut ipse docens quotidie discerem, neque progressuum, aut me meorum, aut suorum discentes, poeniteret. Litterarum professionem tenebat Tollius, V. Cl., eamque tanto cum laudis fructu ornabat, ut haud facile vel ipse eam relicturus, vel ea ipsum dimissura, videretur. Igitur nulla ratio apparebat, quominus illum Athenaei nostri statum perpetuum aut diuturnum fore speraremus. At vero, quum nuper vicissitudo rerum humanarum hanc nostram spem fefellisset, intellexi, mihi quoque, mutatis rebus, consilia mutanda esse: quumque Tollius Hagam discederet

ad Serenissimi Gubernatoris, principis in hac republicâ viri, filios erudiendos, ego Amstelodami mansurus praeclarum mihi ducebam, si possem apud nostram juventutem, id est, apud principis in hac republicâ civitatis filios, tanti doctoris discessu vacantem provinciam explere, factam iacturam compensare, susceptum dolorem lenire. Respondit eventus consiliis meis, delata est mihi Tollii provincia, a Philosophiâ ad Litteras traductus sum. Qua in commutatione sentio fore nonnullos, qui, mei meorumque studiorum iguari, levitatis me et inconstantiae accusent, quibusque purgare me debeam in principio huius orationis, nec in eorum animis relinquere scrupulum, qui, ut ipsis ad audiendum, ita mihi ad dicendum obsit: quamquam non minus a meâ naturâ et ingenio quam ab huius loci auctoritate abhorret, ut ipse de me multa dicam. Ego cum loco non sententiam mutavi, nec Philosophiae cum professione studium amoremque deposui: immo, ut antea eam et colui et aliis tradidi, ita in posterum eam et colam et aliis commendabo. Sed fuit haec semper studiorum meorum ratio, quae in primis ad Historiam et Antiquas Litteras referretur, ut in Philosophiâ diverterem, in Litteris habitarem: ut in Philosophiâ haberem instrumentum, in Litteris finem: ut in Philosophiâ mihi essent auxilia, in Litteris robur et firmamentum. Quis igitur aut non intelligat, Litterarum cognitionem semper mihi eo loco modoque fuisse, ut magis per eam, quam per Philosophiae cognitionem, et mihi et aliis satisfacere possem? aut quis, qui illud intelligit, iure me reprehendat, quod Philosophiae Litterarum professionem anteposui? Accedit alia caussa, eaque gravissima et cum rebus meis arcte coniuncta. Ego, cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera, tum per magnam ejusdem

cum natali meâ patriâ similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur caussis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum iudicio et voluntate me applicarem. Quare, si haec praecipue urbs mihi diligenda et colenda est, quidni eam et diligam et colam eo studiorum genere, quod ipse prae aliis praecipue studiis semper et colui et dilexi. Non est quod hoc loco quidquam dissimulem: non est quare animi sensum non aperte profitear. Dico, iterumque dico, me, delatâ mihi Litterarum professione, illud consecutum esse, quod semper et spectavi et optavi. Et, cum de ipsâ professione laetor, tum vero, quod ea mihi obtigit et hac meâ aetate, aut florente aut certe nondum inclinatâ, et hac in urbe, antea tantis necessitudinibus obstrictus, novo hoc munere, tamquam novo vinculo, obligatus sum.

Hoc ego reputans facere nequeo, quin continuo eo me convertam, quo me huius diei solemnitas vocat, vobisque, Consules et Curatores Amplissimi, gratias agam de voluntate erga me vestrâ, qui primo quidem mihi campum aperuistis, in quo excurrerem et constrictam adhuc facultatem explicarem: deinde vero, ne ex hoc in alium discederem campum, in quem his ipsis diebus vocabar, mihi persuasistis eâ liberalitate iisque rationibus, quae semper apud me tantum valebunt, quantum eas valere par est apud animum, qui et humanitatis et honestatis vim sentiat. Vobis item gratias ago de iudicio vestro, quod Philosophiae mihi successorem constituistis, virum in hac doctrinâ primarium et omni laudis genere cumulatum. Magna est haec vestrae prudentiae laus, quod plurimis maximisque de communi patriae salute curis districti, tamen Athenaeo nostro ita prospexeritis, ut si huic uni rei

vacaretis. Duit Deus O. M. talem omnibus vestris consiliis successum! faxit, socii vestri, reliqui huius reipublicae gubernatores, vestram prudentiam sequantur! faxit, omnes patriae partes tam bene confirmatae sint, quam bene nunc Athenaeum nostrum illius viri accessione confirmatum laetamur! Ego, sive quid in me Philosophiam docente desiderastis, hoc Litteris docendis compensabo; sive nil in me desideravit vestra humanitas et indulgentia, ut hoc mihi conservetis iudicium, operam dabo, exemplo decessorum meorum, cum reliquorum, tum proximorum, P. Burmanni Sec., cuius obitum nondum eluximus, et Herm. Tollii, e cuius discessu praesentem adhuc molestiam percipimus: horum igitur exemplo, disciplinà meà ita instituendà, ut, quoad eius fieri potest, viri ex eà prodeant vestrum simillimi, nisi honoribus, at prudentià in rebus administrandis, et fortitudine in patrià defendendà.

Iam Vobiscum, Cll. Collegae, quum antea me sociarent mutua collegii et amicitiae officia, eaque tanta quanta maxima et sunt et habentur, tamen, nescio quo modo, novus quidam animum meum sensus pertentans, propius me Vobis adiungit et conciliat. Huic ego sensui obsequar studio, observantià, pietate: Vos ei, quaeso, respondeatis favore, benivolentià, indulgentià. Et a Te quidem, Tolli, V. Cl., depositam provinciam ita et suscipio et suscepi, ut tuis insistens vestigiis discipulos nostros ad eam Litterarum cognitionem ducam, per quam fiant iidem et rerum periti, et boni cives, et patriae defensores. Cumque Tu iam ei sis praefectus institutioni, quae plurimum in utramque partem valeat ad patriae statum; precor Deum Immortalem, ut per eam, quae in Te est, suavitatem animi, doctrinae, ingenii, fructus e tua

institutione redundent in communem patriae salutem uberrimi. Tibi vero, Swindene, V. Cl., trado iam Philosophiae professionem, quam ego adhuc, quantum per virium mearum tenuitatem licuit, Socraticà ratione tutatus sum, id est, saepius ad ignorantiae confessionem descendens, nec tam illud agens ut aliquid statuerem, quam hoc ut mihi caverem, ne nimium statuerem. Hanc Tu nimirum rationem, Clarissime Swindene, multis partibus locupletabis et amplificabis praeclarà tuâ illà rerum physicarum mathematicarumque scientiâ. Quare et Tibi professionem, et Te professioni gratulor doctorem: gratulor Te doctorem, et Athenaeo fructuosum, et urbi honorificum, et mihi iucundissimum.

Reliqua mihi oratio pertinebit cum ad omnes omnium ordinum Humanissimos Auditores; tum ex iis praecipue ad Vos, Ornatissimi Iuvenes et Commilitones, qui Litteris Humanioribus studetis, earumque me doctorem et publice nacti estis, et privato vobis iudicio elegistis. Reliqua igitur mihi oratio eo pertinebit, ut intelligatis, Litterarum Humaniorum finem non in verbis, sed in rebus, esse positum: et vero in rebus maximis gravissimisque, quarum cognitio plurimum valeat ad bene beateque vivendum. Et quandoquidem de omnibus Litterarum Hum. partibus dicere maius est quam pro huius horae angustiis, unam earum partem spectabo Historiam, atque ostendam, *Historiarum cognitionem magnopere efficacem esse ad studium virtutis et omnis honestatis.* Quod dum agam, rogo Vos, Auditores omnium Hum., ut attentas mihi benivolasque praebeatis mentes, non quidem alicuius meae facultatis exspectatione, sed ipsius argumenti eiusque praestantiae et gravitatis commendatione.

Siquidem propositam quaestionem ad probabilem exitum perducere volumus, eius initium capiamus a definitione cum Historiae, tum Virtutis, ut intelligatur, quae sit earum coniunctio, quae ratio, quae illius ad hanc vis et efficacia. Igitur, ut universe complectamur, Historia est narratio rerum gestarum cum temporum, locorum, hominumque significatione. Virtus autem, quamquam in eâ peculiariter definiendâ magnus est hominum dissensus, tamen in hac universâ descriptione plerique omnes consentiunt, ut sit perfectio, sive praestantia, naturae, posita in utrâque animi facultate, intelligentiâ et voluntate, seu, ut vulgo dicunt, contemplativâ et activâ: cuius praestantiae haec sit vis, ut, primo, intelligamus, quid verum sit, quid falsum, quid bonum, quid malum: deinde, ut in omnibus actionibus ac totâ vitâ bonum sequamur, malum fugiamus, neminem laedamus, suum cuique tribuamus, omnibus, quoad eius fieri potest, hominibus consulamus, efficiendo ut plurimis fruantur bonis, minimis laborent malis: denique, ut hanc vitae legem, tamquam rectam viam, constanter sequamur, ab eâque nullis voluptatum illecebris, nullis dolorum terroribus abduci nos patiamur. Sed quum Virtus non sit aliquid solitarium, quod per se solum esse et constare possit, sed debeat, ut vis in aliquâ materiâ, sic ipsa in animo et naturâ intelligente inesse; age attendamus ad humanam naturam, ne forte Virtutis tantam fingamus magnitudinem, quanta in humanae naturae angustias cadere nequaquam possit.

Iam primum omnium constat, in hominis naturâ eam esse animi corporisque rationem et coniunctionem, ut omnis cognitionis initium sit in sensibus corporis, per quos veluti nuncios animo adferantur notitiae rerum externarum, id est, rerum corporearum,

singularium, in facto positarum, certo tempori locoque adstrictarum. Videtis, AA. HH., in ipso initio et materia cognitionis, similitudinem Historiae cum naturâ. Videte porro progressum.

Infans primum sensibus movetur, vel specie aliquâ clariore oculos ad se convertente, vel sono acutiore aures percutiente, vel tactu aliove sensu quamcumque corporis partem sollicitante, sive ad voluptatem, sive ad dolorem. Deinceps, compluribus animum subeuntibus rebus, similitudine colliguntur obscurae quaedam universales notiones, sive anticipationes: simul etiam harum comparatione profert se paulatim primus decori sensus, tum imitandi studium, in quo verissime Aristoteles partem humanae naturae posuit. Et sunt huius imitationis duo quasi capita: alterum, ut infantes rerum simulacris et imaginibus mirifice gaudeant et magis etiam quam ipsis rebus, ipsique fingere semper aliquid studeant: alterum, ut eorum, quos quotidie vident et probant, hominum assumant et induant habitum, gestum, incessum, obtutum, vocem, vel inscii ad eorum imitationem inducti, vel datâ operâ similes iis fieri cupientes. Mox, ubi continuum sermonem intelligere coeperunt, novimus, profecto, ut narratiunculis rerum gestarum delectentur: ut a narrantium ore pendeant: ut interea famis et sitis cogitationem deponant: ut narrationem inchoatam relinqui et quasi abrumpi aegre ferant: ut ad rei atrocitatem horrentes, et magis etiam ad rei exitum, quem coniecturâ praecipiunt, trementes, eum tamen quovis modo audire velint: ut lacrymulas fundant commiseratione innocentium et afflictorum, eorumque defensoribus ac liberatoribus taciti apud se et gratias agant, et similes fieri cupiant: ut, simulatque cognoverunt, numquam factum esse, quod narrabatur,

continuo et rei tristis dolor, et laetae gaudium ex mente evanescat; ut tamen verum sibi narrari postulent, et falsum pro vero narrantibus velut elusi ac decepti irascantur. O praeclara vitae magistra natura! O multis manifestisque indiciis conspicua! quae si diligenter observaremus ac sequeremur, hac certissimâ duce ad Virtutem perveniremus. Nunc, ut ex infantiâ in pueritiam, e pueritiâ in adolescentiam, ingressi sumus, ita ex aliis in alias manus, saepenumero ex malis in peiores, coniicimur, ubi naturae iudicia opinionum commentis obruantur atque abstergantur. Sic enim se res habet, ut in mentibus nostris variae facultates tamquam chordae inditae sint, singulae naturâ sincerae, nondum tamen universae ad concentum conciliatae, sed quae, conciliatae rectâ institutione, tamquam concentum pariant Virtutem. Atqui hae chordae si ab imperitis manibus pulsentur et corrumpantur, singulae iam absonae, quomodo universae fiant consonae? Si inepti, qui suos ipsi animos haud noscunt, iuvenum animos formare aggrediuntur: si ineptis, quibus ipsis, quod perdant, ingenium nullum est, iuvenum ingenia perdenda traduntur, ecquis tandem istius institutionis fructus exspectetur? Ita Virtus, quae existere nequit, nisi naturae bono succurratur, quomodo tandem existat, si naturae bonum etiam exstinguatur?

Praebet igitur nobis natura, sui quasi ansam, Historiam, quâ nos ad Virtutem ducat, cum intelligentiae, seu contemplativam, tum voluntatis, seu activam. Et ad contemplativam quidem Virtutem Historia nos ducit duabus rationibus. Altera in ipsarum rerum cognitione cernitur, e quâ civilis prudentia et rerum in omni vitae genere utilium perspicientia existit. Altera per cognitionem rerum gestarum ad res

intelligibiles, sive abstractas, ut vocant, ducit: ad percipiendas doctrinas animos praeparat, earum origine, progressione, studiisque erga eas hominum, enarrandis: itaque amaras, ut in proverbio est, doctrinarum radices dulces reddit. Quam rationem, quamvis manifesto loco a naturâ positam, incredibiliter homines, haud indocti etiam, aut ignorant aut negligunt. De quo neglectu magnus est campus dicendi, maior etiam quam pro nostro instituto. Quare videamus de activâ, id est voluntatis et morum, virtute, propius illâ cum huius orationis argumento coniunctâ.

Activae Virtutis fundamentum est contemplativa Virtus. Nec enim laudabile est factum, nisi e certo iudicio existat: nec fortitudo, temperantia, iustitia, aliunde efflorescunt quam ex rerum cognitione: quae nisi agenti subsit, ne actio quidem apparet, sed motus temerarius, tamquam corporis sensu carentis, aut belluae impetus. Neque tamen sola per se cognitio satis valet ad actionem. Nonne enim saepe, ac nimium saepe, fieri videmus, ut homines ea, quae bona faciendaque sibi iudicaverint, tamen non faciant, quadam animi et voluntatis imbecillitate, sive metu retenti, sive cupiditate in contrarium delati; vident meliora probantque, deteriora sequuntur. Huius calamitatis cum aliae sunt caussae, tum haec praecipua. Virtutis praemia scelerisque poenae e longinquo et obscure apparent: Virtutis incommoda scelerisque praemia prope et manifesto apparent. Atqui, ut oculis corpora propiora maiorem, remotiora minorem sui praebent speciem, ita animis res cogitatae, absentes quidem leviorem habent sensum, praesentes acriorem inferunt motum et impulsum. Hic igitur robore quodam nervisque opus est, ne plus apud animum valeant praesentes vitii illecebrae, quam absens officii hone-

statisque fructus: iudicium, ut ad actionem fiat progressus, confirmandum est exemplis, quippe quibus remoti ac futuri actionum exitus repraesentantur ac propius adducuntur ad animum, ut iis tamquam praesentibus moveatur, atque adeo rationi obtemperet. Virtus enim ipsa non cadit sub sensus corporis, quae, si oculis cerneretur, admirabiles sui, ut dixit Plato, excitaret amores. Atqui istam naturae inopiam supplet Exemplum. Sed Poësis ficto utitur Exemplo, Historia vero. Et quando ficti Exempli magna est vis; quanta tandem veri Exempli vis existimari debet?

Omnino moralis disciplinâ sine Historiae usu nulla esse potest. Quaeritis auctores huius sententiae? Innumeros excitare possim. In re tam manifesta satis nobis unus est Jac. Facciolatus, vir non minus Philosophiae scientiâ quam Romanae Eloquentiae facultate admirabilis. „Nempe, inquit, aut ipsa morum doctrina nihil est aliud, nisi Historia: aut ita cum Historiâ coniuncta, ut, si caret Exemplis, scholastica sit, ieiuna, supervacanea. Tibi intus cane rigida et adducta illa Virtutum genera, quorum usu et possessione felicitatem definis. Nihil nobis huiusmodi persuadere poteris, nisi rerum eventu et hominum factis ostendas, quid possit pati humana conditio, minime nota illis, qui pallio inclusi intra parietes philosophantur. Quid fieri debeat, oscitantes audimus. At quum id factum esse intelligimus, nec sine fructu, et a praestantibus viris factum, tum vero studio movemur conandi similia, tum aemulatione exardescimus."

Socrates dicere solebat, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus ad studium cognoscendae percipiendaeque Virtutis; quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quam bonos viros, iis

reliquam facilem esse doctrinam. Vere omnino ille. Nam, ut in corporibus duo haec cernuntur, primum motus, alterum iter et regula, seu directio, ita in animis duae sunt caussae efficientes Virtutis, quarum prior est in voluntatis impetu ac studio, posterior in viâ et progressu. Utraque caussa, sed magis etiam prior illa potiorque, proficiscitur ab intelligentiâ rerum, in primis Exemplorum, quibus animus et excitatur et ducitur ad Virtutem. Exempla porro maxime valent vera et historica: quorum efficacia a vero ipsa profecta verum parit cognitionis actiònisque fructum.

Erat quidem optandum, ut sola nos per se ratio ad Virtutem duceret, nec Exemplis opus esset; quae movent quidem animum ac percellunt, sed, ut ait Seneca, stupentem ad speciosa; non liberum relinquunt. Verum est haec naturae nostrae conditio, ut corporibus adstricti corporeis ducamur moveamurque imaginibus. Nec probanda est ratio eorum Philosophorum, qui morum praecepta ita tradunt hominibus, ut nudis et corpore solutis animis. Inest quidem animis nostris igneus vigor, ut ait Poëta, sed tantum quantum non noxia corpora tardant, hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Igitur molliores illae partes naturae, tristitiae, gaudii, spei, timoris, sciènter tractandae: per corpus ad animum patefaciundus est aditus: inferiores facultates cum superioribus conciliandae, affectus ad rationem accommodandi ad eiusque auxilium convertendi sunt. Hoc est munus Hum. Litterarum, in primis Historiae; hic eius finis, hic fructus.

Iam, ut omnis Virtutum cognitio debet in actionem abire, nec sine actione Virtus vere dici haberique potest, ita ipsa tamen actio debet recte cognosci, sive, ut aiunt, Practicae Virtutis Theoria tenenda est. Quae quidem cognitio ab ipsarum usu rerum et Exemplis

peti debet. Nam quum duae sint viae ad rerum intelligentiam; altera in Praeceptis, altera in Experientia; haec a posteriori, illa a priori, vulgo dicta; ad excitandam confirmandamque Virtutem, quae ipsa debet esse posita in usu et actione, plurimum valet Experientia; quippe quae ipsa quoque unice in usu et actione versatur. Atqui Experientiae vicaria est Historia; quae cognitionem nobis repraesentat rerum, quamvis tempore locoque disiunctarum. Porro ad Virtutis progressum efficacissima est aliorum hominum, virtutumque et vitiorum, quae in illis sunt, observatio. Ad hanc si quis afferat non nisi generalem notionem e praeceptis, tamquam definitionem e compendio, necesse est, cum in iudicio de aliis hominibus labi saepius et errare, quum ea, quae non nisi formà aut gradu differunt, ipso genere diversa esse putaverit. Quem quidem errorem diligenter cavent, cum qui alias artes, tum qui Medicinam factitant; ad universam generis cognitionem adiungentes animadversionem caussarum, quibus idem morbus diversas induit species, pro diversitate loci, tempestatis, sexus, aetatis, consuetudinis, vitae ante actae, aliarum rerum. Ergo, quod Medici faciunt in corporum iudicio, hoc virtutis studiosus in animorum iudicio non faciet? Ille vero faciet: ac, prudentiae obsecutus, quae reliquarum Virtutum est fons, sibi cavebit, ne se, aut alium quemvis unum, normam ac mensuram aliorum omnium hominum, et quasi totius generis instar, constituat. Virtus enim eadem, ut vere dixit Plutarchus, in variis hominibus varia est, secundum varietatem naturarum, ingeniorum, animorum, locorum, temporum: magnificentia est alia Semiramidis, alia Sesostris: prudentia est alia Nestoris, alia Ulyssis: fortitudo alia est Achillis, Aiacis alia: patriae amor

alius in Themistocle, alius in Pericle. Nec huius varietatis iusta cognitio aliunde hauriri potest, quam ex vitae actionumque cognitione, id est, ab Experientiâ et Historiâ.

Igitur, si se ipsum cognoscere magnum quid est ac paene divinum, ut iure hoc praeceptum a Veteribus Apollini Delphico tributum sit; dubitari profecto non potest, quin Historiae magna ac paene divina sit praestantia. Est enim ea mentis nostrae natura, ut se ipse quisque ita maxime cognoscere discat, si maxime alios observet homines, ab iisque ad se respiciat, seque cum iis comparet. Sed quum res non modo praesentes, sed absentes quoque cognosci debeant; sintque absentes vel tempore vel loco; hae per peregrinationes, illae per Historias cognoscuntur. Peregrinationis locum supplere potest diligens studium Geographiae, quae ipsa Historiae pars est: Historia, si vacet, allo studio suppleri non potest. Videtis ergo eius necessitatem. Neque vero hoc ita dico, ac si quisque ita melior sapientiorque sit, ut plura Historicorum scripta pervolutaverit. Neque enim peregrinator ita melior sapientiorque domum redit, ut plurimas regiones peragravit: sed is nimirum, qui, ut Homerus ait de Ulysse, non modo multas urbes vidit, sed multorum hominum ingenia perspexit. Sunt qui omnia peregrina laudent, patria et domestica contemnant, alii contra. Sunt item qui omnia vetera et praeterita laudent, recentiora et praesentia contemnant, alii item contra. In hoc uno, caeterum dispares, convenimus fere omnes, ut ipse primo quisque se nimium amet, et, secundo loco, sui quemque simillimum. Qui amor, a bono naturae initio profectus, negligentiâ in frequens et pervulgatum abit vitium. Pueri hominem videntes inusitato vestitu indutúm,

sive audientes inauditâ linguâ loquentem, cachinnos edunt. Iuvenes, aut viri etiam, aetate procedimus, ingenio saepe pueri manemus, plerumque ad nova et peregrina primum oblata vix risum tenemus; eadem, ubi exemplo et consuetudine auctoritatem adepta sunt, amplectimur et unice pulchra iudicamus. Audivimus fuisse doctos, qui praeter se neminem doctum putarent. Fuerunt alii aequiores quidem, qui praeter se paucos esse doctos largirentur, sed eos fere iisdem atque ipsi studiis eâdemque ratione deditos. Sed quid doctos dicam? Nulla est ars, nullum studium, nulla laus, ubi non iste error dominetur. Ne ipsae quidem integrae sunt ab eo Virtutes. Quae tandem est gravior et sanctior, eaque nomine, utinam etiam re! frequentior, Virtus, amore Patriae? Atqui, credo, et sunt et fuerunt homines, boni quidem illi et Patriae amantes, qui quemvis alium et ipsum Patriae amantem, sed aliter amantem, et aliis in rebus dissentientem, Patriae tamen hostem et proditorem appellarent. Ceterum, si error iste, ut vidimus, inde a pueritiâ nobis adhaerescit et puerilis est, idemque depellitur diligenti Historiae studio, nonne Cicero divinitus plane dixisse videatur, Historiam ignorare idem esse ac semper esse puerum? Haec enim nos ex vanarum opinionum servitute in iudicii libertatem vindicat: haec, per intelligentiam rerum humanarum, nos ipsos nobis aperit et cognoscendos praebet: haec efficit, ut animadvertamus et bona et mala, tam nostra quam aliena, tam domestica quam peregrina, tam vetera quam recentiora; ut aequo ea examine ponderemus, bona sequamur, mala fugiamus.

Videamus materiam Historiae: haec est ipse homo; nec universé, quod est Philosophiae, sed peculiariter certi homines, quorum cogitatio, ut rerum

singularium, animum nostrum magis tangit et afficit. Est vero etiam homo homini materia cognitionis iucundissima, propter ipsam generis cognationem et similitudinem. Ita enim se res habet, ut coniunctissimum quodque maxime nos alliciat, teneat, sollicitet. Ergo in aliis disciplinis diverso sensu ac studio ducimur, alius aliud genus amat, alius ad aliud genus aptus est: non omnia possumus omnes, non omnia volumus omnes. Historiam cognoscere et possunt et volunt omnes, qui quidem non ipsam humanitatem exuerint.

Per hanc ipsam naturae communionem fit, ut hominum rebus vel prosperis vel adversis, factis vel bonis vel malis, in utramque partem commoveamur. Hinc stimulamur et incendimur ad recta imitanda, prava fugienda. Hinc naturarum bonitas apparet externis etiam signis: vel, quum horrent ad facti atrocitatem, cuius non capaces se esse sentiunt: vel, quum incalescunt ad egregii cognitionem facti, cuius ipsi se capaces esse sentiunt, et amore illius abrepti personam agentis induunt, lacrymasque inviti fundunt. O generosi indices animi lacrymae! o pars naturae nostrae benefica et conciliatrix Virtutis! sed eadem cito nimis exarescens ac fructu suo defraudata per turbas et ludibria vitae quotidianae.

Sed e duplici fonte motuum animi, Voluptate ac Dolore, innumerabilis manat multitudo et varietas affectuum, quorum quisque est quasi aditus, per quem Exempla perveniant ad animum, eumque moveant: nec ullus est affectus, cui, vel excitando, vel sedando, non idoneum Exemplum ab Historiâ peti queat: de quibus peculiariter dicere infinitum est, strictim locum attigisse satis sit. Frequentissimus omnium, qui ab Exemplo et Historiâ oriuntur, sensuum affectuumque

est aemulationis et gloriae, qui acerrimos animis adhibet stimulos ad omne praeclarum factum suscipiendum, ut et vivi laudentur, et mortui ad posteritatis memoriam celebrentur. Dicat forte quis, gloriae studium non esse verum Virtutis principium. Audio: nec nego, illo gloriae studio multos ad multa vitia deductos esse. Enim vero, ut hoc utar, si medicina recto usu salutem, perverso mortem, adferat, tu eam prorsus abiicies, nec operam dabis, ut ejus bonum percipias, malum caveas? Tu illum laudis stimulum negliges? Tu illam virtutis ansam non apprehendes, quâ naturae tuae socios homines ab ignaviâ ad industriam, a socordiâ ad verum decus traducas. Quis Graeciam a Xerxe liberavit? Themistoclis Virtus. Quis Themistocli Virtutem indidit? Miltiadis aemulatio ac tropaea, quae dormire illum non sinebant. Ergo nisi Themistocles aemulatus esset Miltiadem, Graecia barbaro paruisset, nec audita fuissent nobilitata victoriis nomina Artemisii et Salaminis; periisset item, nec umquam exstitisset, posterorum Virtus his victoriarum Exemplis et laudibus excitata.

Est vero ad Virtutem in primis fructuosa aemulatio, quae oritur e vitis rebusque magnorum virorum per diligentem Historiae lectionem cognitis ac perspectis. Habet enim vita eleganter honesteque acta eum Virtutis splendorem, qui ultro se in animos nostros insinuet, eosque ad sui studium imitationemque alliciat. Hinc, ut acutissime monet Plutarchus, efficitur, ut a cognitione ad actionem progrediamur, illosque viros semper ante oculos habeamus, et in quavis aut actione suscipiendà, aut conditione subeundâ, nos ipsi veluti interrogemus, quid hoc loco fecisset Socrates? quid Plato? quid Epaminondas? Quae nos exercitatio non solum ad ardua magnaque

facta promtiores, sed etiam ad calamitates tolerandas fortiores, reddet. Quod si enim amantes nonnunquam in amatis corporum naevos libenter ferunt, iisque delectantur; profecto Virtutis amator, si quid est in Virtutis Exemplo molesti, hoc non extimescet, sed ipso amoris ardore et imitationis impetu provehetur ad labores etiam doloresque amplectendos. Itaque nec exilium Aristidis, nec vincula Anaxagorae, nec paupertatem Socratis, nec condemnationem Phocionis, reformidabit: immo has quoque calamitates, ne dissimilis fiat illis viris, non modo non recusabit, sed, si opus sit, forti animo suscipiet.

Animadvertamus etiam, quam sit simul et lenis et efficax Historiae admonitio. In nostris ipsi vitiis caecutimus, in alienis acute cernimus: qui aperte nos ac directo reprehendunt, in iis offendimur saepius: in aliis magis et integri attendimus, si quid delinquitur, tacitique ad nos ipsi respicimus et nostri vitii similitudinem agnoscimus. Corporum ea est lex, ut, quo vehementius percutiantur, eo vehementius resistant. Nimbi cum impetu in terram ingruentes haerent in superficie ac defluunt. Pluvia sensim ac leniter cadens recipitur terrae gremio, et ad plantarum radices permanat. Eadem lex valet in animorum naturâ. Sunt animi generosi et Virtutum seminibus praediti, qui vim repellant, lenitati pateant: quorum si retegas peccata et ostendas, non meliores eos, sed peiores reddas: qui sua ipsi peccata corrigere, non ab aliis corrigi, volunt: qui soli suorum sibi peccatorum conscii esse cupiunt, testem alium quemvis repudiant: qui, deprehensi in dedecore, ipsâ pudoris vi ad impudentiam convertuntur, factum omnibus rationibus defendunt, et, ut iudicio egisse videantur, hoc maxime argumento efficere se putant, si factum

idem iterent ac repetant. Ita generosi etiam pervertuntur animi: malum, quod antea minime probaverant, probare paulatim discunt, seque ipsi in errorem et peccandi consuetudinem coniiciunt. Qui, si opportune ad Historiam adducti fuissent, sponte in alieno exemplo vitii sui turpitudinem agnovissent, et in Virtutis viam rediissent.

Si quis, in cavernâ habitans, numquam ex câ prodeat, sed alios ad prodeundum hortantes, et exterioris lucis liberiorisque aurae iucunditatem laudantes, repudiet ac repellat, nonne istum, ut lenissime dicamus, stultum appellemus? Iam noster animus habitans in corpore tamquam in cavernâ, adstrictus suo tempori et loco, quum possit haec naturae claustra perfringere, seque proferre in alia loca ac tempora, si nolit hoc facere ac viae ducem ultro se offerentem repudiet, quo tandem eum nomine appellemus? Atqui offert se animo nostro dux huius viae Historia, repraesentans illi praeterita tempora disiunctaque loca, ubi veluti ex alto prospiciat seculorum regionumque conversiones, ac repleatur cognitione cum iucundissimâ, tum ad omnem Virtutem fructuosissimâ.

Egregia est haec et celebrata Lucretii de laude Philosophiae sententia, eademque admirabiliter in rectam Historiae rationem, quae ipsa est socia Philosophiae, conveniens:

Suave mari magno, turbantibus aequora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem;
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas:
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Suave tem belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tuâ sine parte pericli.
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrinâ sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios passimque videre

Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O! miseras hominum mentes! o! pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis
Degitur hoc aevi, quodcumque est!

Duplex a Poetâ significatur fructus cognitionis; alter morum, opinionum, animorum: alter, universe, rerum externarum et conversionum. Uterque infinitis partibus utilior ad Virtutem efficaciorque ostenditur in Historiâ, quam in iactatâ illâ Epicuri ratione. Primum igitur cognoscemus mirificam in humano genere varietatem opinionum de rebus divinis et humanis, proclivitatem ad superstitionem, desidiam ad quaerendum verum, vim auctoritatis, multitudinem errorum. Cognoscemus item excellentium hominum ingenio studioque prolatas veri partes multas. Reperiemus, nec bonos omni vitio, nec malos omni Virtute, carere: neminem sponte esse malum: initia vitiorum saepius in casu et externo statu hominis posita, quibus non animadversis praeceps fiat lapsus ad omnem pravitatem; ad initium quoque ac progressum Virtutis multum valere felicitatem. Haec qui diligenti Historiae tractatione cognoverit, aliorum et dissensum lenius feret, et iniurias placabilius. Videns hominem erroribus vitiisque deditum, a quibus ipse sit immunis, non se efferet, sed ad animum ipse suum respiciet, an forte simili aliove laboret malo. Cogitabit, non cum perfectis vivi hominibus, sed, ut ait Cicero, cum quibus praeclare agitur, si modo simulacra sint Virtutis. Humani ingenii imbecillitatem ex vero aestimabit. Non se nimium amabit, ut aliena et vetera prae suis et hodiernis contemnat. Non veteres sapientiae doctores caecos gentiles nominabit,

nec eos, levi erroris vitiique suspicione ductus, condemnabit, et pueriliter de iis quasi triumphabit; ut aliis miserandus videatur, tamquam mente captus: aliis deridendus, tamquam gallus gallinaceus sine adversario exultans, et in barbarae doctrinae veluti sterquilinio gradu incedens superbo ac victoriam canens.

Magna sunt haec ad pietatem et omnem Virtutem subsidia: maiora etiam ea, quae a contemplatione rerum externarum et conversionum proficiscuntur. Socratis fertur dictum: si omnes homines in commune suas conferant calamitates, ut novâ distributione summae huius aequalem quisque accipiat partem, fore ut suam quisque veterem partem lubens retineat eâque contentus abeat. Sed hic nimirum acervus, haec summa humanae miseriae aut nullo modo, aut per Historiam, intelligi aestimarique potest. Ecquis igitur in monumentis relatum legens de magnis plerorumque miseriis, aut non levetur et erigatur, si sit ipse in eodem vel simili malo, aut non Deo gratias intimo animi affectu agat, si sit ipse incolumis? Ecquis legens, innumerabiles hominum myriades quotannis morbo ac bello, subinde terrae motu, aquarum inundatione, aliisque casibus, absumtas, non mortem ipse suam levius ferat, eiusque terrorem leniat? Quid singulos homines dicam? Totae urbes et magnitudine et numero ingenti exstinctae sunt, ut singularia hominum corpora. Quod qui animadvertat, nonne se ipse, quasi Servii ad Ciceronem ádmonitione, reprehendat: visne tu te cohibere et hominem natum te meminisse, caducum et fragile negotium? nonne vides tota urbium corpora diruta deletaque iacere? Fuit illa sub Assyriis Babylon! fuerunt Persarum Ecbatana! fuit Phoeniciorum Tyrus et Sidon! fuit Memphis Aegyptiorum!

fuerunt Graecorum Athenae, Corinthus, Thebae! fuerunt eorumdem Graecorum innumerabiles et florentissimae urbes, per omnem Graeciam, Asiam, Africam, Siciliam, Italiam! fuit illa Romani aemula imperii Carthago! ipsa, terrarum domina, Roma vix umbram sui habet. Dies me citius deficiat, quam nomina urbium, quarum ne vestigium quidem superest. Sed quid urbes dicam? Magni populi ac totae nationes perierunt haud secus ac singularia hominum corpora. Assyrii subacti sunt a Medis et Babyloniis: hi a Persis: Persae a Graecis: Graeci a Romanis: Romani a Barbaris: Barbari deinceps ab aliis Barbaris, e quorum colluvione et manarunt maiores hodiernorum Europae populorum, et ita sibi decus quaerit nobilitas, ut maxime quidem ad ipsam illam colluvionem, sin minus id fieri possit, ut profecto nequit, at proxime tamen ad eam prima sui generis indicia referre conetur. Atqui omnes istae rerum conversiones exiguo fuerunt et temporis et loci spatio, e quo ipso non habeamus omnium rerum omnia monumenta. Quid igitur, si reputemus aetates regionesque eas, e quibus nulla ad nos venit notitia? Ergo Homerus, qui, ad hanc parvitatem ac fragilitatem respiciens, homines comparavit cum foliis in sylvâ deinceps pereuntibus et succrescentibus, Homerus igitur minime rem praeter verum auxit, sed rationem proportionemque diserte significavit. Nam, ut nationes instar sunt sylvarum, ita urbes arborum, homines foliorum. Tu vero, quisquis es homo, quum sis instar unius folii, in istâ tuâ te dilatabis angustiâ? tu gloriolâ intumesces? tu superbiâ te efferes supra alios sortis tuae socios homines, veluti folium supra alia folia? Non facies, mihi crede, si ex Historiae cognitione humanae conditionis tenuitatem ac fragilitatem aestimes. Intelliges,

profecto, Numen quoddam esse infinitum, quod, ut ait Euripides, occulto incedens gradu, iusta ratione res gubernat humanas. Ad hoc tu Numen respicies, huic te dabis, in hoc tu acquiesces, huius tu magnitudine tuam parvitatem obrues.

Igitur ad huius cogitationem Numinis nostra omnis magnitudo evanescit. Reputet, Auditores Humanissimi, nostrûm quisque, quam parva ipse sit pars huius Reipublicae: quam item haec Europae: quam porro Europa totius Terrae: quam deinde haec Terra huius Mundi, qui continetur Sole et errantibus circa eum stellis huic Terrae similibus, in quibus, ut Philosophi persuadent, item habitatur, vivitur, agitur. Tum reputetis, quam parva sit hic Mundus pars totius Universitatis, cuius quot stellae fixae infinitâ multitudinè noctu lucent, tot sunt Soles, sui quisque Mundi dux stipatus comitatu errantium stellarum ab oculis nostris numquam perceptarum. Denique cogitationem convertite ad Deum, a cuius nutu tota haec Universitas et profecta et suspensa est. Iam videtis, ad quam parvitatem redacti simus. Sed, credo, parvitas diuturnitate compensatur. Immo, parvitati respondet brevitas. Sed, fortasse, utraque compensatur suavitate vitae, et naturae munere explendo; veluti aiunt de illis ad Hypanim fluvium bestiolis, quae, quo die nascuntur, eodem moriuntur, et omnes vitae suae partes et aetates paucis horis absolvunt: quarum si nemo miseram esse sortem dicat, hominis certe sortem praeclaram habendam esse, quippe in multo maiore et vitae spatio et naturae praestantiâ. Equidem, ut non statuo de sorte horum et aliorum animalium, quorum vitae actionem et sensum non satis intelligo, ita Experientiae et Historiae assentior, non esse, quare homo tantopere de naturae suae praestantiâ glorietur:

cui naturae quotusquisque est qui satisfaciat? At, inquit, Virtute paratur felicitas, aut certe vitae suavitas. At, ut eadem Experientia et Historia docet, hoc Virtutis ad felicitatem iter multis saepe calamitatibus turbatur: saepe bonis male, malis bene, est: in animis versantur error et imbecillitas, in corporibus infirmitas et valetudo, in fortunâ iniquitas et adversitas: deinde, ubi ex erroribus et praeiudicatis opinionibus emergere nos coepimus, sero est, instat senectus et mors. Hoc mihi loco rursus in mentem venit Homeri, qui divinitus plane informavit summum imperium et numen Iovis, cuius in manu ab aureâ catenâ suspensum sit totum universum. Si quis igitur in rebus fluctuantibus aliquid firmitatis ad consistendum quaerat, hoc non potius ab interiectis catenae annulis, quam ab ipso Iove quaerat. Nec nos naturae nostrae proferendae et angustiae dilatandae auxilium aliunde petamus quam a Deo, qui, solus vere magnus, solus omnis magnitudinis fons et auctor est. Ergo accipiamus porro a Philosophiâ et Historiâ, quam vim ad nostram parvitatem habeat magnitudo Dei. Nimirum, ut vere docent, res humanae similes sunt scenae, in quam homo inducitur a Deo ad vitam, veluti personam, agendam, quae utrum sit regis an servi, diuturna an brevis, nil refert, sed an bene et ad argumentum fabulae accommodate agatur. Iam vero, nos huic terrae adfixi sumus: Deus in toto universo ubique est praesens. Nos in hac ipsâ terrâ superficiei adhaerescimus: Deus omnium in toto mundo animorum corporumque intima quaeque pertractat. Nos huius ipsius superficiei exiguam partem cognoscimus. Deus omnes res, et singulas et universas, perspectas habet. Nos pauca nostris ipsi sensibus, pleraque aliorum fide ac testimonio, intelligimus: Deus praesens ipse

omnia et manifesta cernit. Nos parvi temporis spatiique res gestas in Historiis custodimus: Deus per omnium seculorum decursum et praeterita tenet, et praesentia videt, et futura prospicit. Nos levi vestigio eventus rerum colligimus: Deus omnium ipse rerum et caussa est et creator. Hic fruitur continuo spectaculo innumerabilium conversionum in hac scenâ quovis momento succedentium: vere beatus, quod in ipso nec cognitioni materia, nec materiae cognitio, umquam deest. Per hanc animus noster contemplationem quasi procul e tenebris lucem conspicit, ad quam cursum dirigat; in fluctibus locum nactus, ubi consistat, erigitur: extendit se in illam regionum seculorumque aeternitatem: se ipse maior altiorque fit: intelligit, se huius vitae provinciam ac personam agere spectatore ac iudice certaminis Deo, qui, omnes in hac scenâ actores aequali complectens animadversione, non alium alio magis minusve curet atque observet. Igitur nec se ipse prae aliis aut effert, aut demittit: nec se vel iactat quasi praeter caeteros a Deo dilectum, vel queritur quasi neglectum. Atque hac inductione et anticipatione praecipit futuram immortalitatem: sentit, se non in huius vitae angustias inclusum, cursum et iter animorum ultra corporis fata patere in sequentis aevi aeternitatem, in quâ certaminis praemia reposita sint. Vere mihi videor hoc esse dicturus, Auditores Humanissimi, ad veram pietatem in primis valere Historiam. Haec ipsam corroborat Philosophiam, eiusque praeceptis vim vitamque adiungit. Pietatis fundamentum positum est in scientiâ et firmâ persuasione animi de Divinâ providentiâ et gubernatione. At vero, ut haec scientia in animis nostris non quasi dormiat, sed vigilet, ut ad actionem sensumque abeat, ut valeat contra vitae acerbitates et mortis terrorem:

hic igitur fructus ita maximus exsistit, ut maxime per Historiarum cognitionem perspectas ac pertractatas habemus res humanas.

Sed, ut in iis, quae hucusque dixi, AA. omnium ordinum HH., spero, me Vos habere assentientes, ita suspicor, vestra ingenia requirere etiam rationem ac viam, quâ tractandum sit Historiarum studium, ut inde laudatus ille Virtutis fructus percipiatur: quâ viâ et ratione designatâ huic loco demum satisfecisse videar. Neque etiam ego ita disputavi, ac si quisque Virtutem assequatur, vitioque liberetur, cum se in lectionem Historiae coniecerit, et locum ex eâ, veluti magicum carmen, recitaverit. Omnino est certa quaedam ratio Historiae tradendae, certa item percipiendae: est lex, ut docentis et narrantis, ita discentis et audientis. De quâ lege et ratione quum constituissem hac ipsâ quoque dicere oratione, animadverti, tantam esse argumenti magnitudinem, ut eius tractatio in alium locum tempusve reponenda sit.

Igitur, ut finem dicendi faciam, colligamus ex dictis, Ornatissimi Suavissimique Iuvenes et Commilitones, quid nobis agendum sit, ut per Historiam ad bene beateque vivendum proficiamus. Nimirum in huius tanti possessionem boni non temere ac subito involatur, sed gradibus ac diligentiâ pervenitur. Fundamentum totius rei est in ipsâ Historiae intelligentiâ: intelligentiae fundamentum est in aliâ rerum summâ ac brevi descriptione, Historiae Universalis nomine celebratâ: e cuius fonte manat omnis liberalis institutio, omnis ingenuo digna cognitio, omnis doctrinae flos et ornamentum: cuius disciplina sapientissimo consilio sancita et confirmata est, cum in aliis, sive Academiis, sive Gymnasiis, tum in nostro Athenaeo. Hac ergo mature animos imbuamus ac praeparemus

ad omnem reliquam percipiendam Historiam: cum patriam ac domesticam, tum peregrinam et externam: cum populorum et conversionum, tum ingeniorum ac disciplinarum. Ita paulatim praeiudicatae opiniones locum cedent veris iudiciis, ac perspicientiae rerum humanarum, id est, prudentiae. E prudentiâ efflorescet pietas: e pietate magnitudo animi, modestia, temperantia, iustitia: ex his verus patriae amor: ex amore patriae fortitudo in agendo, constantia in patiendo, contemtus mortis, omnes denique Virtutes et publicis et privatis rebus salutares. Duit vobis hoc animi propositum et consilium Deus O. M.!

DIXI.

MEMORIA

GULIELMI LUDOVICI VAN WASSENAER,

SODALIS STUDIORUM EGREGII, EXTINCTI

D. 18. IULII, A. 1811. AETATIS 21., DICTA D. 24. SEPT. A. 1811

INSTAURANDIS SCHOLIS ET DISCIPULIS AD ILLIUS EXEMPLUM SEQUENDUM COHORTANDIS.

Philomath. L. III. p. 1. sqq. Opusc. T. II. p. 302. sqq.

Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.

Auditores omnium ordinum humanissimi!

Quum in hac annuâ scholarum instauratione idem nunc mihi, quod antea, exordium usurpandum sit, ut Deo O. M. gratias agam, qui nobis salvis ac bene valentibus reditum ad haec studia dederit, facio id

quidem et pie et religiose, Deoque immortali pro tanto beneficio iustas debitasque et ago gratias et habere me profiteor. Neque tamen dubito, quin haec ipsa beneficii commemoratio, ut me, ita unumquemque vestrum, tacite ad recentem dolorem revocet, admoneatque, illud non integrum sincerumque constitisse beneficium, nec ad omnes pertinuisse auditores, sed unum in primis fuisse, qui non modo hoc reditionis, sed etiam vitae, fructu excideret. Intelligitis A. O. quem dicam! Omnium vestrum animi, vultus, oculi denique ipsi quaerunt ac desiderant optimum nostrum Wassenaerium, repentino ac vehementi impetu morbi nuper nobis ereptum. Adeo verum est et in praesentem casum nostrum ac dolorem conveniens Ciceronis dictum (De Or. III, 2.): „O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt, aut ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.“ Nam luctuosissimus iste Wassenaerii obitus, quam multorum spem hominum fefellit? quam multorum animis acerbus accidit? Etiam nunc praesentem nobis videre videmur illum adolescentiae florem ac vigorem, illum sanitatis colorem et habitum, casti temperatique victus consuetudine firmatum: etiam nunc oculis mentibusque nostris obversatur illa morum amabilis comitas et modestia, illa industria omnia egregii studiosi officia strenue obeuntis, in scholis audiendo, respondendo, disputando: domi, secum et cum aliis meditando, commentando, legendo, scribendo: cuius studii fructus iam apparebant privatim in praeclaris progressibus, quos fecerat in Literis Graecis, Latinis, et plerisque doctrinarum generibus, magno cum incremento acuminis, rationis et orationis: et in publicum exitura mox erant harum facultatum

specimina, duo libelli, quos scribere instituebat; ut nemo quisquam dubitaret, quin, qui adolescens tantopere excelleret, is aliquando vir ad summos honores perventurus, atque insigne Literarum et Literatorum hominum, atque adeo totius patriae decus et praesidium futurus esset. Verum enim hanc tam laetam omnem omnium spem nec opinata mors intercepit: et quem modo animo, corpore, vitâ et exspectatione florentem ac vigentem videramus, hunc, quasi afflatu mali daemonis, nostrae felicitati invidentis, ardens febris invasit et intra paucos dies abstulit.

Iam quid prius conqueramur A. O.? matremne aerumnosam, quam summâ pietate colebat, in familiâ tuendâ negotiisque procurandis iuvabat, cuius aetas ac viduitas in hoc gratissimo filii officio acquiescebat? An fratres et sorores, quorum commodis quasi tutor et alter pater prospiciebat? Nostram ne scholam, cuius egregium sodalem, ego discipulum, Vos condiscipulum, utrique benevolentissimum amicum, amisimus? An Academiam nostram, in quâ ille cum paucis unus fuit e principibus iuventutis, quorum exemplum quasi lumen caeteris studiosis adolescentibus ad intuendum imitandumque exstaret atque luceret? An denique ipsam patriam, quae, tamquam communis mater, gravissime condolet mortibus filiorum adolescentum eorum, qui ad se ornandam illustrandamque ingenia sua optimis artibus excolunt.

Sed quum haec iactura ad tam multos pertineat, ad unum non pertinet ipsum Wassenaerium: qui non modo mali nil passus, sed ingenti etiam bono potitus est. Ipsum dicimus non corpus humi conditum, sed animum, qui ex hac miserâ et mortali vitâ in beatam et immortalem transiit: corporis vinculis solutus ad superos evolavit, cum iisque propiore iam summi

Dei numine fruitur, veritatem scientiamque, cuius in hac terrâ insatiabili amore et quasi siti flagrabat, ex puro limpidoque fonte largiter et abunde haurit. Quare ipsum quidem Wassenaerium ne miseremur, immo felicem praedicemus, eiusque memoriam grati ac lubentes celebremus. In quam quando semel ingressus sum, sinite me diutius ei immorari: et quod instaurativâ scholâ quotannis antea solebam Vobis de Literarum studio universe quaedam *praecepta* et monita tradere, his nunc *exemplum* subiungemus, idque in Wassenaerio nostro spectabimus.

Natus est d. 1. Martii, a. 1791, gente unâ in Batavis gentibus nobilissimâ: de cuius antiquitate et amplitudine dicere non attinet; et quia omnibus nota est, et quia minime Wassenaerius noster eâ gloriabatur, et, quasi ipse eam ignoraret, sic inter nos communiter vivebat, ut unus ex multis, et animo firmiter infixum tenebat illud veterum effatum, *sola virtus nobilitat.* Octavum agens annum patre orbatus, cum duobus fratribus minoribus, tribusque sororibus matri relictus est, eximiae illi non solum nobilitate, quippe Ysselmudeniae, sed et ingenii animique dotibus, et liberorum suorum educandorum erudiendorumque prudenti ac diligenti moderatrici: quae hunc maximum natu filium probatis praeceptoribus, procul a domo, in disciplinam convictumque tradidit. Ergo usque ad 16. aetatis annum apud duos deinceps praeceptores fuit, primum Creveldae, postea Naardae. Hic in domo et institutione doctissimi *Anosi*, viri erudiendis adolescentibus ingenuis perquam idonei, Sacerdotis Gallicani Reformati, auditoris quondam nostri et diligentis et iucundi, non solum prioris orsa scholae ulterius excoluit, in historiâ, geographiâ, mathematicis, musicâ, picturâ, palaestrâ; sed Latinam quoque

Graecamque linguam ad eum finem didicit, ut aptus haberetur scholis Professorum in Academia audiendis. Graecam quidem adhuc sibi intactam tunc primo inchoavit; et cognitis declinandi coniugandique elementis, locos Gedikiani libri interpretatus, ultro ad Literarum fontem, Homerum, perrexit, scilicet miro eius legendi amore flagrans, et egregia quaeque expetens, ad huius lectionem horas subsecivas contulit, obiectas quamvis multas intelligentiae difficultates constantiâ studii perfregit, intra duos menses librum Iliadis primum et partem secundi sic pertractavit, ut et rerum nexum et verborum rationem grammaticam memoriter reddere posset. Domum redux complures menses antequam annuum in hac Academiâ scholarum initium fieret, totum illud tempus in addiscendâ utrâque linguâ contrivit: Latinâ, per se solus: Graecâ, adiutoribus Viris Reverendis, primum Schouwenburgio, deinde Borgero. Ad hunc quominus bis per hebdomadem discendi caussâ Cattovico Leidam excurreret, nec viae spatium, nec aëris intemperies eum absterruit. Mox nostras in scholas venit, et per hoc postremum vitae suae triennium constanter ventitavit. Quod quâ ratione, quo fructu fecerit, nunc animadvertamus, ita ut prius universe de studendi officio moneamus, quandoquidem haec animadversio et admonitio utilis erit cum novitiis ad ingrediendam studiorum viam, tum veteranis iam ingressis ad eam suaviter recordandam strenueque persequendam.

Totum illud, quod nos *studere* dicimus, idem est ac Literis doctrinisque discendis certâ viâ et ratione operam dare: idque plures variasque habet partes et formas. Atque, ut in omni actione humanâ duo cernuntur, agens et res agenda, sic in discendo, discens et res discenda. In discente tria debent adesse,

natura, institutio, exercitatio. Res autem discenda, ut de nostro saltem studio dicamus, sunt Literae Graecae et Latinae: in quibus quum sit multiplex partium varietas, haec ad quatuor genera et quasi pensa revocatur. Primum constat ipsarum accuratà cognitione Linguarum, comparandâ grammaticis praeceptis, et scriptoribus antiquis diligenter interpretandis: alterum, Historià populorum et rerum gestarum: tertium, recensione veterum auctorum et monumentorum: quartum, Antiquitatibus. Quae quatuor quum nostris in scholis tradantur, has discens audiet et assidue et attente, et quotidie domi repetet: dico *quotidie,* quia nisi repetitio eodem fit die, multa, quae docens utilia ad proficiendum disseruit, nec tamen dictavit, recenti recordatione in mentem redeunt, et quasi e fugâ retrahuntur; dilatà autem repetitione, ex memorià effluunt, et irrevocabilia evanescunt. Nec satis est, cuiusque diei scholam semel et eodem die repetiisse: scholae quâvis hebdomade habitae, iterandae sub finem hebdomadis: scholae cuiusque mensis, iterandae exeunte mense: scholae trimestris spatii, sub huius exitum recolendae: scholae denique totius annui pensi feriis aestivis relegendae meditandaeque sunt. Adeo haec repetitionis exercitatio, ut in omnibus rebus multum, sic in studiis plurimum valet: et paulatim in consuetudinem, ex consuetudine autem in naturam et firmam rei discendae possessionem abit. Habet illa quidem aliquid exceptionis et varietatis pro varietate discentis et materiae: si qui tamen eam despexerunt ut tardarum subsidium naturarum, cuiusmodi contemtores haud paucos vidi, isti cum suà sibi velocitate indocti manserunt, et, ut Plutarchi dicto utar, vanitatis et arrogantiae poenas dederunt, dum

Evolitaverunt tenues ceu fumus in auras.

Iam vero hac scholarum repetitione, discens non totum studiorum opus confecit, sed eius necessaria fundamenta iecit. Restat enim domestica lectio bonorum librorum, veterum in primis auctorum, quae in scholis tota explicari nequit; quippe in quibus Homeri, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, Horatii, Virgilii, aliorum, unum alterumque librum accurate interpretamur, ut auditor ad eamdem rationem totos scriptores illos legat. Quâ in lectione rursus adhibenda est iterata illa repetitio, intelligentiam priorum confirmans, sequentium aperiens, utrorumque iucundiorem reddens, inveniendi facultatem acuens et ad progrediendum excitans. Discendi enim ea est natura, ut se finibus praescribendis coërceri non sinat. Veluti si quis constituerit alicuius disciplinae cognitionem ad certum terminum gradumque consequi, si hunc gradum attigerit, mox infra eum labetur, et acquisitam cognitionem amittet, nisi eam continuâ cogitatione recolat ac repetat: contra, si eam recolat ac repetat, supra propositum gradum adscendet, multarum partium notiones, quas adhuc implicitas confusasque habuit, evolvet, explicabit, illustrabit, itáque cognitionem suam amplificabit. Ita per aeternas naturae leges perpetuo luctantur Memoria et Oblivio: utraque Graecis dea: illa Mnemosyne, coelestis, mater Musarum, omnium genitrix artium: haec Lethe, soporiferi praeses fluvii, omnem ante actarum rerum cogitationem ex animis mortuorum abluentis, indeque rivum ad superos emittens, et viventium mentes adspergens, nascentia in illis scientiae lumina exstinguens: quae nisi perpetuo Mnemosyne repetendo accenderet, tota humana vita sempiterno ignorantiae somno obrueretur. Adeo gemina et cognata sunt negotia colendi agri et ingenii:

Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Instat enim ubique et tacita obrepit Lethe, proxima quaeque semper corripiens, omnem penitus vitae actionem cognitionemque absorptura, nisi, duce et auspice Mnemosyne, mortales ei sine intermissione resistant exercendo et repetendo:

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Redeamus ad Wassenaerium nostrum. Tertius hic annus est, quum primum ad me domum venit, auditorem se professurus. Ibi tum sponte in eo eluxit illud *incoctum generoso pectus honesto*, quod studiis non pervulgatum insigne honoris, sed verum honorem debitamque meritis gloriam, doctrinamque non propter emolumenta eius et praemia, sed ipsam propter ipsius decus ac praestantiam appeteret. Ingenue affirmabat, se per accuratam Literarum cognitionem ad Iuris prudentiam et civilem rationem contendere. Proposui ei aeternum Batavi nominis ornamentum Hugonem Grotium: depromsi eius immortalem librum De Iure Belli et Pacis, ostendi omnia ex Graecis Latinisque fontibus hausta, et praecepta ad docendum, et argumenta ad probandum, et exempla ad illustrandum. Ille librum evolvit, inspexit, et ingenti percussus admiratione, vehementiore etiam quam antea Litterarum amore incensus est. Mox in scholas ventitans, iam tertio mense tantum profecit, ut inter principes veteranos eluceret. Nec mirum! tria illa ei aderant discendi subsidia: ad naturam et institutionem adferebat exercitationem repetitionis iteratae cum in meditandis

scholis, tum in legendis auctoribus antiquis, ad eam rationem, quam supra narravimus. Et in auctoribus rite orsus ab Homero, deinceps Hesiodum, Xenophontem, tum Thucydidem legit: aliorum, quos mox totos excussurus erat, partes praecepit, Herodoti, Platonis, Plutarchi, Euripidis, Aristophanis: ne dicam de minoribus, Anacreonte, Theophrasti Characteribus, aliisque similibus. Latinarum autem Literarum sibi tamquam domicilium, in quo habitaret, constituerat Ciceronem, cuius et doctrinâ ingenium aleret, et oratione stylum exerceret: huic adiungebat, veluti diversoria, Terentium, Nepotem, Sallustium, Caesarem: omnino historicos: quod hoc genere maxime delectabatur: tum vero poëtas principes, Virgilium, Horatium, Propertium, Ovidium, in quibus libenter Graeca vestigia indagabat imitationemque notabat.

Iam tempus erat, ut, qui tantos progressus haberet, eorum specimen ederet. Sumsit sibi Chrysippum, cuius vitam, placita, librorumque reliquias exponeret: aliorum exemplo nostrorum quondam discipulorum, qui similem operam navarunt Musonio, Aristoxeno, Panaetio, Posidonio. At ingressus hoc argumentum, animadvertens latius patere quam ut brevi conficeretur, id quidem in posterum distulit, aliudque praeoptavit, Ciceroniani operis De Finibus librum tertium et quartum, qui sunt de Stoicâ ratione: eoque referebat lectionem totius Ciceronis, D. Laërtii, Stobaei, aliorum: tum vero ad scripturam illorum librorum emendandam, et hos et reliquos tres libros, cum vetusto cod. scripto Bibl. Leid. comparavit.

Atque haec hactenus memorata huius triennii acta, tot tantaque fuerunt, ut, si nihil aliud fecisset, vel his solis insignem diligentiae industriaeque laudem meruisset Wassenaerius. Nunc eodem tempore alia

multa magnaque confecit. Primum Iurisprudentiae operam dedit, eiusque Professores assidue audivit, Institutiones, Pandectas, Ius Naturae, enarrantes: nuper Candidatus factus, mox summos honores adepturus erat. In aliarum quoque disciplinarum scholas ventitavit, Physices, Botanices, Historiae Naturalis. Deinde ab his ordinariis studiorum pensis, subinde quasi extraordinariâ digressione factâ, aliarum cognitionem doctrinarum percepit. Itaque quod Plato pronunciavit signum esse ingenii philosophi, quodque Plutarchus in Ciceronem accommodavit, omnem disciplinam diligere, nec ullum eius genus contemnere, hoc suo ipse exemplo Wassenaerius comprobavit. In quo talis ingenii documenta quum praeter ea, quae dixi, multa exstiterint; pauca, eaque cum eius erga me amore coniuncta, referam.

Et sponte suâ, et Ciceronem legens animadverterat, Literarum studium constare non posse sine Logicae scientiâ, quae doceret definiendo, dividendo, argumentando, verum a falso discernere, invenire, diiudicare, cum aliis communicare, omnino via e ratione disserere. Itaque legit nostrum libellum *Praecepta Philosophiae Logicae* inscriptum. Cuius quum essent duae editiones, prima nostra, altera Halae in Germania a celeberrimo philosopho Jo. Aug. Eberhardo repetita, et, ut quidem titulus profitetur, *scholarum usibus accommodata*, Wassenaerius utramque nactus, eas inter se contulit, quod ego facere adhuc supersederam, annotationemque diversitatis diligenter confecit, mihique tradidit; unde cognovi, novum editorem paucos locos, idque contra meum consilium, vel omisisse vel mutasse.

Hoc libro lecto, ad philosophiae Literarumque Historiam, quam in scholis nostris inchoaverat, ac-

curatius cognoscendam excitatus, maiores meos de eâ commentarios a me petiit, quos describeret et meditaretur. Omnino supra vulgarem modum cum Universam Historiam, tum illam eius partem tenebat, ut et philosophorum caeterorumque scriptorum veterum vitas, placita, libros, et populorum res conversionesque, regum principumque facta in promptu haberet. Totius autem philosophiae brevem et compendiariam cognitionem, sed praesenti proposito sufficientem, praecipiebat ex Ernesti Initiis Doctrinae Solidioris. Et vero huius caetera, itemque Mureti et Ruhnkenii scripta multum lectitabat, idque propter doctrinae praestantiam orationisque suavitatem, quae puritate, compositione, et eleganti philosophâ ratione ad antiquorum formam accederet.

Phaedonem quam diligenter meditatus sit, ut fere totum in numerato haberet, ostendit acuta loci impediti explicatio, quam ipse mecum communicavit, ego in Addendis commemoravi. Et tamen editionem nostram quamvis saepius sibi lectam, rursus legit ab initio ad finem, a me rogatus, ut operarum menda notaret, ad quod genus singulari oculorum cogitationisque intentione valebat. Opus perhumaniter recepit, affirmans se id tam sui, quam mei caussâ facere; esse enim bonorum librorum lectionem eiusmodi negotium, ut sibi iterum iterumque repetita semper novum intelligentiae suavitatisque fructum adferret.

Eiusdem officii humanitatem, cum sociis condiscipulis nonnullis, mihi praestitit in Philomathiae L. II. Quos si ad primum item et alios superiores nostros libros adhibere potuissemus, invidis et obtrectatoribus nostris, mendarum typographicarum aucupibus, reprehendendi peccandique materiam praecidissemus.

Caeterum, in eodem Philomathiae L. II. ab operarum erroribus purgando versans, animadvertit, quaedam Sanctocrucii scripta me fugisse, eorumque notitiam mihi nil tale exspectanti ultro obtulit: quae a me prodita (p. 263.) omnibus harum rerum intelligentibus documento est singularis curae ac diligentiae, quâ omnes libros perlegere et excerpere consueverat.

Selecta nostra principum Historicorum iam aliquoties legerat, quum rursus ea legere constituit, et primam cum alterâ editione conferre. Quâ in lectione non modo quid in rebus, sed etiam quid in Latinis verbis mutatum esset, animadvertebat, eiusque rationem a me exquirebat. Erat enim Latinitatis et cultor assiduus, et iudex intelligentior, quam ab eius aetate et brevi studiorum spatio exspectari poterat.

Omnino scripta mea omnia valde expetebat, frequenti cognitione et usu terebat, et si quid eorum ignoraret, me interrogabat; sive amore ille mei, sive iudicio, ea sibi ad propositam studiorum rationem conducere ratus; semel autem cognita sic tenebat, quasi in iis habitaret: quid quoque loco dixissem, subinde melius norat, quam ipse ego, meque dubitantem aut ignorantem, certiorem faciebat.

Fuit nuper simiolus, literatorem agens meque conviciis incessens. Huius obscoenam gesticulationem et absurdum clamorem Vos mecum ridebatis: Wassonaerius etiam materiam sibi eum fecit exercitii grammatici, eius furta et sermonis vitia notans. — Adeo pessimos quosvis libros in suum usum convertere norat.

Venio ad novissima. Proximo mense Maio habita est auctio librorum magni Valckenarii, quorum in marginibus plerumque erant annotationes huius manuscriptae, sed variae numero ac momento, multae vel

paucae, verae vel falsae, prouti aut subito aut cogitate notatae essent. Igitur emtor, ne deciperetur, ad pervolutandos libros cum iudicio et scientiâ etiam tempus et laborem adferre debebat. Hoc fecit Wassenaerius cum Vestrum nonnullis, qui iam sciretis, quid distarent aera lupinis; mihique utilem indagandi operam praestitistis.

Per hanc opportunitatem aliud quoque mihi mercuriale inventum, sive ἕρμαιον, bonus Wassenaerius attulit. Alias multas Valckenarii schedas apud eius generum, Stephanum Luzacium, virum honoratissimum, servari noram: in his esse Ruhnkenii et Valckenarii mutuas epistolas, non noram. Has Wassenaerius, sciens quantum ego in colligendis Ruhnkenii Epistolis laborarem, pervestigavit, reperit, evolvit: eam, quâ Valckenario inventum suum in Photio narrat, quodque ego quondam e Ruhnkenio auditum, non accurate recordans, universe in huius Vitâ significavi *): hanc igitur descripsit, descriptam continuo cursim ad me detulit. Ego, hoc indicio admonitus, caeteras omnes has epistolas a Luzacio, viro humanissimo, et petii et accepi.

Quum saepe ex me in scholis ac sermonibus audivisset, quanta inter Graecam Latinamque linguam compositionis diversitas intercederet, idque experimento Graeca Latine, et Latina Graece, vertendi certissime apparere; Graece autem recentiorum eruditorum hominum complures bene scripsisse, idque factu etiam aliquanto facilius esse quam Latine scribere: hoc igitur audito, Wassenaerius cum praecipuis Graecarum scholarum discipulis me rogavit, ut ex quatuor scholis unam Graecae scriptioni tribuerem. Quod ego quum

*) Vita Ruhnk. p. 128. ed. Lindem.

fecissem, nostis profecto, Vos, qui nunc adestis illarum sodales scholarum, quantâ cum industriâ has scribendi exercitationes obierit ac perceperit. Ipse etiam hoc in genere suum sibi, ut solebat, separatim instituit pensum, vertendo Ciceroniano Paradoxorum libello, antea sibi in scholis nostris Latinis pertractato: eiusque Exordium a se conversum mihi ostendit, iudiciumque meum ut sibi impertirem, me rogavit. Ego indefessum optimi adolescentis studium magnopere miratus, nolens id eum minore, quam par erat, fructu consumere; suasi ei, ut initium vertendi faceret in Historico, ostendens quantum ad intelligendi facilitatem interesset inter historicum et didacticum genus: depromsi ei eumdem Paradoxorum libellum ab Adriano Turnebo Graece redditum: iussi eum, illius et suum Exordium inter se comparare; tum continuo Nepotem in manus dedi, ut conaretur eum Graece reddere. In quo quum sibi operâ quamvis subitâ facilius, quam in illo meditatâ, succederet, atque utriusque generis et interpretationis differentiam agnosceret, et porro ei dicerem, me puerum aliquot Vitas Nepotis Graece vertisse, domi statim idem agere coepit. Sed fuit hic quoque unus ex postremi anni laboribus, quos haud ita multo post mors intercepit.

Disputandi scholas ut haberem, ipse fuit in primis hortator: meministis, quâ industriâ iis praetor praefuerit: ut nostram rationem Vobiscum probaverit et aliis approbaverit, iungendae dialecticae et rhetoricae exercitationis: publicae autem et privatae actionis disiungendae, ut simul ad Latinae orationis facultatem et dialectice disserendi rationem proficeretis. Meministis, ut postremâ in disputatione interrogantis partes agens eas amanter et facete concluserit, ponendo huiusmodi syllogismo: quidquid studiis hoc anno salu-

tare fuerit, id etiam proximo anno persequendum esse; fuisse autem salutares disputandi scholas hoc anno studiis; ergo Praesidem rogandum esse, ut eas proximo etiam anno persequatur. At bonus Wassenaerius voti huius fructum ipse non tulit: dixerat hoc exeunte Iunio, Iulio exeunte occidit!

Longum est caetera referre, quae vel pro se ipse legendo meditandoque didicit, vel in hoc genere erga alios studiose officioseque fecit. Ad quae quum alia multa domestica, et vetera et nova, negotia accederent, plane mirabile videatur, quomodo his tam multis laboribus vires ac tempus suppeditare potuerit. Postremus fuit ei hic labor. Annum vigesimum primum completurus Calendis proximis Martiis, ac titulum dominiumque suscepturus erat utriusque Cattovici, et Valckenburgi: quorum reditus mater, ut tutor, administraverat, administrationemque, in quâ filium instituerat, eidem iam tradiderat. Quo ille honore adeo non gloriabatur, ut fere nemini, nisi quibus necesse esset, eius rei notitiam impertiret. Caeterum, quomodo in hac rerum commutatione aviti patrimonii possessionem tueretur, multum cogitans, eique expediendo an oblatum sibi Maioris Cattoviceni munus acciperet, varie deliberans; tamen, ne Academica studia nondum decursa abrumpere cogeretur, recusans; interea morbo corripitur, subitoque quasi fulminis ictu nobis eripitur!

Epaminondas bello Leuctrico audiens, virum strenuum et laboriosum morbo periisse, *Heu!* inquit, *quomodo tali viro aegrotare vacavit?* Et hoc nobis de Wassenaerio dicere licet, et multo etiam magis illud, Quomodo tam occupatus ordinariis studiis adolescens tam multa extraordinaria, atque adeo tot tantaque a studiis aliena negotia tractare, quomodo

denique triennii spatio in Literis ac disciplinis tantos progressus facere potuit? Operae pretium est, pauca respondere, quae ad Vos monendos pertineant.

Quum, quod supra diximus, ad proficiendum discenti tria adesse debeant, natura, institutio, exercitatio; saepe fit, ut in his, quamvis paribus, dispares fiant profectus; et plures discentes, in quibus tria illa aequalia sint, non aequaliter proficiant. Scilicet omne momentum positum est in exercitationis labore recte gubernando; siquidem alius multo labore parum, alius parvo multum efficere potest. Sequenda est certa via et ratio, quae a principiis et facilibus orsa aditum ad difficiliora patefacit: nec ulla pars nondum satis perspecta sine animadversione praetermittatur. Veluti, ut hoc utar exemplo, in Graecis et Latinis, verbum, nomen, particula, constructio, ne praetermittatur quin eius rationem et usum indagemus ac perspiciamus. Sic factitabat Wassenaerius, probe sibi persuadens, se sic non in minutis rebus, sed rerum magnarum fundamentis versari, nec esse quidquam parvum, quod ad magnum finem tendat.

Porro, vitae agendae constantem ordinem adhibebat; ut totum ei tempus in suas partes distributum, cuique penso ac negotio sua pars constituta esset; ut et solitis rebus tempus superesset, nec subitis deesset. Atque hac in dispensando tempore diligentià et quasi oeconomià, illud etiam consequebatur, ut nec actum quid ei periret, nec agendum elaberetur. Veluti in legendis Veterum scriptis, quidquid in rebus vel verbis memorabile videret, id continuo in Adversariis, per literarum ordinem digestis, scribebat, unde postea facile quidque promeret: si quid autem ei aliud agenti subito in mentem veniret, si quid etiam ex aliis narrantibus audiret, agendum, quaerendum, inventum,

hoc statim in libello memoriali notabat, deinde, prouti opus esset, vel agebat, vel in Adversaria referebat: adeo cavebat, ne sibi quid utile, semel cognitum, ex memoriâ effluerct.

Duo autem in primis ei profuerunt, quae ex puerili institutione in nostras scholas attulit. Alterum, cognitio elementorum Geometricorum, quae quamquam leviter percepta, tamen eum ad illam methodum adsuefecit, ut etiam in Literis et aliis disciplinis nil sibi traditum temere pro vero acciperet, sed definitiones ac demonstrationes requireret; indeque ad Dialecticae praecepta delatus, hanc facultatem magis etiam confirmaret et amplificaret. Alterum est, quod non ignarus Historiae Geographiaeque ad nos venit; quarum initia in vulgaribus adeo scholis tradi solita, in gymnasiis tamen, sive Latinis, ut vocantur, scholis multis nimium nimiumque negliguntur. Unde saepe fit, ut hinc discipuli in Academias missi, Academicos doctores Historiam docentes vel non audiant, vel audientes novitate argumenti in distribuendis aetatibus et distinguendis annis se ipsi impediant, denique hoc studium, unum omnium facillimum ac iucundissimum, tamquam difficile ac molestum deserant. At Wassenaerius, qui iam antea Historiae suavitatem utilitatemque praecepisset, nostras de eâ scholas eo magis expetere et adamare coepit; indeque profectus ad alias Historiae partes, veluti Literarum, Philosophiae, Doctrinarum, hac luce, quae aliis essent obscura, sibi clara et perspicua reddidit; quum quamque rem, sive populorum conversiones, bella, pacta, sive leges, senatus consulta, constitutiones, sive scripta et placita doctorum, ad suum tempus, locum, auctorem, referre nosset. Vel extremis his paulo ante obitum mensibus, quum ad interiorem scientiam Iuris Francici, patri-

moniumque suum tuendum pertinere indicaret, Francici Regni historiam, cuius brevem epitomen nostris in scholis praecepisset, ampliorem uberioremque percipere; id exiguo tempore consecutus est, quod Francici Regni originem et progressum, eiusdem cum caeteris Europae populis nexum et coniunctionem, omnino Veteris, Medii, Recentioris Aevi res rationemque teneret.

Nos igitur quidni moereamus orbati sodali tam docto, tam grato, tam nostrûm amante? Moereamus sane! sed moerorem aliquando sequatur ac leniat ratio. Me vero et adhuc illa, quae nunc Vobis proposui, monita confirmarunt; et recenti casu vehementer afflictum erexit Virgilianae Musae carmen in Daphnidem, nuper a nobis tractatum praesente Wassenaerio; mox, mortuo ipso, forte tunc in mentem mihi veniens; Daphnidem, inquam, pastorum principem, cuius in funere ut olim tota Sicilia luxit, sic ad famam de obitu Wassenaerii nostri, omnis nostra Batava patria, certe nemo non, in quo vel paululum inesset humanitatis, el condoluit et ingemuit. Quod carmen quum mirifice temperatum sit ad praesentem nostrum affectum, et acerbitate doloris, et desiderio amoris, et lenimento consolationis; Vos ipsi totum postea legatis: nos nunc, age, sertum inde nectamus, et huic Wassenaerii nostri vel memoriae vel laudationi aptemus coronidisque instar imponamus:

Exstinctum Musae crudeli funere Daphnin
Flebant, vos coruli testes et flumina Musis:
Quum complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Nos etiam quocumque modo illi nostra vicissim
Dicemus: Daphnin nostrum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
Candidus insuetum miratur limen Olympi,

Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ipsi laetitiâ voces ad sidera iactant
Intonsi montes, ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus illê beatus!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo;
Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus Musis, et quum lustrabimus agros;
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

MEMORIA
DAVIDIS CATHARINI DE HAAN.

Philomath. L. III. p. 232. sqq. Opusc. T. II. p. 348. sqq.

Wassenaerium biennio post in similis fati consortium secutus est *Davides Catharinus de Haan,* Petri filius, viri in primis inter nostrates spectati probitate, mercaturâ, familiâ, natorum cum felici proventu, tum diligenti institutione. Hi tunc erant numero septem, quum antea octo fuissent: eorumque quatuor deinceps nostris quoque scholis usi sunt, non solum ut assidue commune pensum peragerent, sed etiam ut adiungerent proprium ac domesticum, lectionem principis alicuius scriptoris, a cuius intelligentiâ deinde ad alios scriptores proficiscerentur. Hoc item alterum iam annum naviter factitabat Davides Catharinus, fratrum quartus ordine, perlectoque Homero versabatur in Xenophonte, ac subinde privatim ad me ventitans, et de locis difficilioribus quaerens, valde mihi progressus industriamque suam probabat, quum subito eum bellici impetus turbinis e nostro suorumque

amplexu conspectuque abstulit. Annus erat abhinc tertius, MDCCCXIII, mensis Aprilis: putabamus res iam ad pacem et apocatastasin spectare, earumque salubritate terrarum orbem, longâ calamitate fessum, tandem recreatum iri. Necquicquam: novus delectus, prioribus acrior, per Francicum imperium, populosque ei subiectos, denunciatur. Rursus feralis Alecto bellicum insonat,

cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem; quâ protinus omne
Contremuit nemus, et sylvae intonuere profundae,
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Poscuntur arma, viri, equi, apparatus: novum instituitur genus equitum, *satellites honorarii,* nisi malis eos, verbum verbo reddens, *custodes honoris* dicere. Legebantur e filiis familiarum ditiorum et honestiorum, qui suum ipsi equum aliaque in militiam adferrent. Quod acerbius etiam peragebatur in praefecturâ Amstelodamensi et Haganâ, cui suberat Leida. Neque designato concedebatur mercede conducere volonem vicarium, qui ipsius loco militaret: quod alibi et alias licebat. Neque certum discrimen observabatur, ut maxime legerentur aut validi corporibus, aut animis feroces, petulantes, protervi, audaces, quales saepe sunt et haberi volunt adolescentes. Domus Haania, tot filiis florens, quum prioribus e delectibus se expedivisset dandis vicariis, huius postremi acerbitatem effugere non potuit. Designatur Davides Catharinus, inexorabili imperio, optimus adolescens, nec corpore robustus, et animo mitis, lenis, placidus: potius Μουσάων ἔρνος, quam ὄζος Ἄρηος. Fratres maiores certatim se eius in locum offerre: ille eorum beneficium generoso animo recusare, asseverans se ipsum suam sortem ferre velle. Nos eum hilarare,

militiae oblectamenta memorantes: novorum populorum locorumque cognitionem: proverbium, plurimas belli partes esse inanes, τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου κενά: frequens otium reditus ad studia concedens: posse ei obtingere praefectum doctrinà politum, Xenophonteae Anabaseos studiosum, quales semper haud paucos fuisse in Francicis exercitibus, tum id, quod tunc ferebatur, honorarios satellites Batavos non acici et pugnae destinari, sed pro obsidibus servari, equos eorum in supplementum veteranis datum iri: denique notum illud: *haec olim meminisse iuvabit.* His libenter auditis delectari visus, res ad profectionem componit, libros illos Graecos, et unum alterumque Latinum, sarcinis addit: mox ipse caeterique commilitones abducuntur Metim, Lotharingiae caput, ubi exercerentur, donec castris praeliisque idonei fierent. Hic eum prima fefellit spes de praefecto doctrinà polito: adiungitur contubernio decani duri et ferocis, cui hoc principium muneris et antiquissimum erat, ut sarcinas tironum inspiceret, ac si quid suo iudicio supervacaneum esset, quod sane multum erat, auferret: in his erant sine dubio libri: abiiciuntur; denique servantur a domino ac domum remittuntur. Caeterum tironum hoc in negotio non una fuit conditio; ista communis, ut ad paucitatem supellectilis redigerentur; famulos haberent nullos; ipsi se, vestimenta sua, equum, instrumentum equestre ac militare totum, curarent et purgarent, stabulum everrerent, vilissima quaeque ministeria obirent: quod profecto adolescentibus libere natis, liberaliter educatis, Musarum alumnis, e parentum suorumque sinu abreptis, iniquum et indignum accidebat, eorumque animos magis etiam ab huius militiae caussà abalienabat. Finitis induciis, quae fuerant a Calendis Iuniis ad Idus Augustas,

mittuntur Magontiacum, inde ulterius mittendi Lipsiam versus Dresdamque, ubi tunc omnis belli impetus constiterat. Neque tamen eo pervenerunt, sed inter Moenum Saxoniaeque fines haeserunt; sive quod ad belli usum nondum satis exercitati censerentur: sive quod mox Francicus exercitus, inclinatis rebus, reditum ad Rhenum moliretur. Cuius reditus pars fuit praelium ad Hanoviam, eiusque urbis incendium, exeunte mense Octobri, de quibus ad suos Leidam scripsit. Hae novissimae eius fuere literae. Brevi enim postea ipse et alii, qui una cum eo ad Magontiacum erant, commilitones, equis ademtis, pedibus Treviros ire iubentur. Quo quum magnâ cum aerumnâ, per complures pluvios deinceps dies, per itinera illuvie stagnantia, et amnibus concisa exundantibus, tandem eluctati pervenissent, Haanius continuo in letalem morbum incidit. Ibi tum insignis erga eum fides et cura commilitonum exstitit, qui, recusantes in militari valetudinario eum collocare, privatum mundumque domicilium ei conduxerunt, cognitum probatumque medicum adhibuerunt, et omne ministerii genus praestiterunt: at exsuperante atrociâ mali, et humanam opem respuente, in eorum manibus exspiravit. Hic non praetereunda est Creuzeri nostri benevolentia: qui a nobis rogatus, et in Germaniam proficiscenti Heidelbergâ commendatitias literas submisit multas: et monitus, eum Treviris aegrotare, continuo eius causâ ad Trevirenses scripsit amicos: quamquam sera fuit haec opera, properante fato aegrotantis, et commeatu tabellariorum inter utramque Rheni ripam intercluso. Ad nos autem in Bataviam allatus nuntius de illius obitu optimum quemque gravissimo luctu affecit, simul et commiseratione boni adolescentis, crudeli forte et in militiam abrepti, et

frustrati cum vitae tum reditionis fructu, eiusque praecipuo gaudio, quod mox commilitones passim reduces perceperunt, ut patriam liberam recuperarent, quam servam reliquissent.

MEMORIA
IANI PETRI VAN HEUKELOM.

Philom. L. III. p. 241 sqq. Opusc. T. II. p. 356 sqq.

Natus hic Leidae parentibus honestissimis, quibus puer orbatus, cum fratre minore relictus tutelae propinquorum, prudentium virorum, ab horum uno, V. R. van Geuns, laudatae viro doctrinae et facundiae, Teleiobaptistarum tunc apud Leidenses, nunc apud Amstelodamenses, Ecclesiaste, ad me deductus meisque scholis commendatus est. Fuit idem amicissimus Haanii, de quo diximus, sodalis, cum eodem et assiduus in scholâ, et privatim domum ad nos ventitans consultum de studiis: eiusdem discidium mortemque acerbissime tulit. Itaque quam illi tribuimus morum literarumque laudem, cum hoc communicatam volumus. Biennium, quod illi superstes fuit, Iurisprudentiae operam dederat, quum eum nobis subita mors eripuit. Est hic apud nostrates, ut alios septentrionales populos, mos, ut hiberno tempore, fluviis lacubusque glacie constrictis, ingens hominum, certe iuniorum, multitudo eo confluat: in primis eorum, qui in ferratis soleis currant, et inusitatâ velocitate per aequor glaciei quasi volent: alii trahis vehantur: alii aliud ludant: alii ambulent et spectent. Et habetur

hoc unum ex praecipuis hibernis oblectamentis. Neque tamen mortis periculo caret, quod multi sunt loci, ubi oculi incautorum falli possint fraude et insidiis glaciei, vel ruptae et apertae, vel tenuiter adstrictae nec satis duratae, vel ab undis non sustentatae, quippe subsidentibus et in alvei fundum vergentibus. Hoc fraudi fuit nostro discipulo. Nam die solis otioso X Decembris anni MDCCCXV pluribus hominum millibus Rheno insultantibus, ipse quoque cum nonnullis sodalibus eo venit cursurus. Ibi tum longius provecti, locum suspectum celeritate pervadere conantes, ecce! rupta sub pedibus glacie, in undas incidunt ipse et duo sodales. Atque hi quidem in terram eluctantur: ipse vero aliquamdiu luctatus submergitur: post horae circiter quadrantem extrahitur mortuus, certe calore et spiritu ita vel exstincto vel oppresso, ut omnibus quamvis propere adhibitis artis medicae remediis resuscitari non potuerit. Sic amisimus bonum discipulum, omnibus commendatum laude industriae, progressuum, humanitatis, comitatis, et vitae laudabiliter actae, duos et viginti annos natum.

MEMORIA

BARTHOLOMAEI CORNELII VAN DORP.

Philom. L. III. p. 239 sqq. Opusc. T. II. p. 354 sqq.

Natus Delphis Batavorum, parentibus perquam honestis, d. VI Januarii a. MDCCXCIII; puer variis deinceps in tutelis iactatus est. Patrem quadrimus amisit: cui successit vitricus: hoc post quartum annum

mortuo, sola mater fuit: quâ item altero anno mortuâ, puero praefuit avunculus, tum patruus Cornelius van Dorp, mercator Rotterodamensis, fide et opibus spectatus, qui eum tradidit disciplinae et contubernio viri docti et prudentis I. Servaas, Med. Doctoris, eamque artem factitantis in pago Delphiportu (*Delfts-haven).* Ibi tum puer primum in constanti discendi viâ positus, proficere coepit. Omnino saepe professus est, multum se illi viro debuisse, cum ad eum Latinae linguae modum consequendum, ut Professorum scholas cum intelligentiae fructu audire posset; tum ad initia philosophiae, mathematica et physica, tum vero ad iudicii diligentiam et observationem errorum vulgi et vitae communis. Venit ad nos Leidam a. MDCCCXI, Iurisprudentiae se daturus, et scholas adhibiturus earum artium, quas apud priorem magistrum didicerat, patriâ quidem iam in Francicam provinciam redactâ, at in Academiis adhuc vetere more retento. Quo item sub proximi anni finem abrogato, et Universitatis Parisiensis ordinatione apud nos constitutâ, discipuli plerique veterem studiorum cursum mutare coacti sunt. Ita et ipse, qui primo anno apud nos scholis de Historiâ Universali et Antiquitatibus Romanis operam dederat, iam omne suum tempus Iurisprudentiae tribuebat. Interea periculum subeundae militiae satellitii honorarii aegre, nec nisi insperato favore et commento conscriptoris, effugit; ad quam eo magis deligebatur, quod robore et staturâ commendaretur. Proximo anno, liberatâ patriâ, interceptas scholas repetivit, et Iurisprudentiae scholis adiecit mathematicas, physicas, literarias, nos quoque Ciceronis opus de Finibus interpretantes audivit, et se propius ad nos applicuit, stilo exercendo paraphrases capitum illius operis scriptitans, easque diiudicatum

ac probatum privatim ad nos ventitans, magnamque progressuum spem adferens. Quae spes, heu! brevis et vana fuit. Nam quum tot scholis assidue interesset, alia et varia argumenta secum domi tractaret, nec sodalium officiis abesset, his tam multis rebus quum tempus non suppeditaret, illud corporis curae, recreationi, ambulationi, quieti, somno subtraxit. Itaque valetudo infirmari, inflammatione faucium tentari: atque sic affectus ad me aliquando venit lectum scriptionem quamdam suam: suadebam ei medicum adhibere, promittebat se facturum: caeterum nil periculi subesse: tamen studendum esse: nec enim sine studiis vitam vitalem fore. Discessit a me domum, ubi medicum quidem arcessivit: at illo invito solitam vitae studiorumque rationem sequens, gravius aegrotare, sanguinem exspuere, similibusque affectionibus premi, quae ipsi sero medicinam quaerenti mortem attulerunt. Reliquit apud omnes, qui eum norant, haud vulgarem moerorem, quod in moribus, vultu, et sermone decoris et humanitatis singularem habuisset significationem.

M E M O R I A

I. D. BOUDRITI.

Philom. L. III. p. 237 sqq. Opusc. T. II. p. 352 sqq.

Huic quum vivo aliquoties testimonium impertiverimus, quo diligentiam suam fautoribus approbaret, mortuum huius publicae commemorationis expertem praetermittere non debemus. Hic natus d. XXIX Martii

a. MDCCXCI, paene puer a Ravio, collegâ quondam nostro, Theologiae et Oratoriae Sacerdotali conciliatus, eoque doctore antea orbatus, quum eius exemplo vocem habitumque ad virilem firmitatem excoluisset, se rerum copiâ ac scientiâ tutatus est. Nam et complures diversarum Professores disciplinarum assidue audiebat, et audita fideliter domi commentabatur, et praeterea dies noctesque in omnium lectione librorum conterebat, veterum, novorum, Graecorum, Latinorum, Orientalium, Philosophorum, Poëtarum, Historicorum, aliorum; vix ut sibi quidquam laxamenti et quietis concederet. Nostris quidem scholis quinquennium studuit: intereaque, ut facultatis in hoc genere suae specimen proderet, scripsit *Lectiones Homericas*, idque suâ sponte, me ignorante, nedum adhortante. Perscriptum mihi ostendit spissum volumen, de quo illud valeret, *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.* Erant magnam partem similes aliorum poëtarum et scriptorum loci, non modo Graecorum et Latinorum, sed Hebraeorum, Arabum, tum recentiorum, Belgicorum, Germanicorum, Anglicorum, Francicorum: in his quaedam ab aliis nondum observata: erant etiam quaedam e nostris scholis suscepta, quae pertinerent ad constituendam scripturam, et verborum obscuriorum ex analogiâ et origine interpretationem: quaedam etiam ad hanc rationem factae ipsius propriae animadversiones. Suasi ei, ut illud prius genus certo modo circumscriberet, hoc autem posterius omni ratione augeret et excoleret. Promisit se facturum: facere ingredientem excepit tempus, quod multorum studia discipulorum turbavit, patriâ in Francicae provinciae formam redactâ, multorum civium fortunis afflictis aut eversis, Academicâ institutione ad Francicum modum ordinatâ, Literarum

nostrarum scholis desertis. Ibi tum et ipse spe suà et voluntate maturius sacerdotii ministeria capessere, sermones sacros componere et recitare. Sic novis laboribus ad veteres accedentibus, magis etiam debilitatus, superveniente morbo exstinctus est d. XVII Decembris, a. MDCCCXIV.

MEMORIA
IANI DERKINDERENI.

Philomath. L. III. p. 211 sqq. Opusc. T. II. p. 329 sqq.

Hunc antea bis memoravimus, ut magnos in Literis progressus habentem: primum in Vità Davidis Ruhnkenii p. 277. deinde in Annotatione ad Selecta Historicorum Graecorum, editionis alterius p. 456. Pater cargator, vir spectatae industriae ac fidei, Amstelodami cargarium *) negotium factitabat sane quaestuosum: eidem hunc filium destinaverat, artibus idoneis linguisque hodiernis erudiendum curaverat, iamque adiutorem sibi adhibebat: quum hic forte, ut lectione librorum delectari solebat, in historiolas Graeci Romanive argumenti incidit, indeque has Literas discendi mirà cupiditate incensus est. Ergo magistrum quaesivit: quem solertem nactus, inde a primis elementis, quae penitus ignorabat, orsus, unius anni spatio tantum profecit, ut nostris scholis uti posset. Et

*) Utimur nomine vulgari, quo fere dicitur procurator navium onerandarum: haec et similia, non multo diversà significatione, usurpata in Latinitate Medii Aevi. Vid. Ducangius T. I. p. 319. Carpenterius T. II. p. 822.

usus iis est per quadriennium, initium faciens a. MDCCXCV, ipse viginti et unum annos natus: et altero iam mense princeps sodalium, non satis habens commune pensum devorasse, proprium requisivit, quo altius evolaret. Legit igitur hoc primo et altero deinceps anno Homerum, Hesiodum, Herodotum, Xenophontem, Thucydidem: eosque totos et grammaticâ ratione: ex Latinis Nepotem, Iustinum, Terentium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, totos: Ciceronis, Livii, Ovidii, complures libros: ita ut Latinitatis rationem et iudicium consequeretur. Quod tantum erat spatium, quantum tam brevi tempore conficere discipulorum meorum memineram neminem. Etenim, quam sibi cumque rem discendam proposuisset, eam celeriter arripiebat, firmiter retinebat, nec ex manibus dimittebat, quin a principio ad finem totam persecutus, singularum etiam partium intelligentiam percepisset. A tali initio et facultate quis non exspectasset, eum mox Literarum principem fore. At sine ipsius culpâ multae supervenere caussae, quae in itinere instituto eum retardarent. Nam per proximum biennium ter morbo laboravit: qui quum raros ad studia reditus daret, nec eos satis magnos, nec vires ut nuper pares legendis Scriptoribus totis, contentus fuit per morbi intermissiones in Scholas ventitare, domi lecta relegere, vagari per multos libros, ex alio in alium involare: quod genus studiorum antea contemnebat, nil ordiri, nisi quod ad finem perduceret, nil inchoatum relinquere, solitus. Sanato confirmatoque accidit a. MDCCCI, ut Leidam migrarem: quo et ipse me sequi volens, parentum caritate domi retentus est. Ibi tum apparuit, quod alios etiam magistros animadvertisse necesse est, discipulos quosdam, quamvis non amplius in scholam ventitantes,

tamen porro ita maxime ad proficiendum iuvari, ut quam proxime magistrum degant: cuiusmodi quid et sibi in quodam familiari usu venisse Socrates narrat apud Platonem in dialogo Theage p. 11, 12. Filius apud parentes manens paulatim aliquantum ex priori discendi ardore remisit: accedente praesertim frequenti amicorum et cognatorum reprehensione, cum culpantium, quod id aetatis adhuc apud suos aleretur, nec ipse sibi victum quaereret, sed, relicto quaestuoso patris negotio, infructuosam Literis operam navaret. Quibus ipse voculis nullo quidem modo a Literarum studio, cui se in perpetuum consecraverat, abduci potuit: sed tamen commotus est, ut in animum induceret, ea, quae didicisset, ad quaestum conferre, et primam quamque vacantem scholasticam, quamvis inferioris ordinis, cathedram petere. Itaque in Gymnasio Amstelodamensi infimae classis Praeceptor factus est. Ibi quum ei quotidianum opus esset, per antemeridianas et pomeridianas horas, puerorum animis prima Grammaticae elementa, declinationes et coniugationes inculcare, infra sane ipsius dignitatem ac doctrinam, vespertinae tamen ei remanebant vacuae, quas lectioni veterum Scriptorum tribuebat. Quamquam et hanc ei felicitatis partem mox ademit matrimonium, in quod incidit, indotatum, et multis liberis foecundum: quibus sustentandis, etiam vacuas horas privatis scholis habendis consumere debuit. Sic in scholis continuo docendi labore fatigatus, domi a liberis turbâ strepituque exceptus, neque requiescendi, nedum aliquid suo sibi studio legendi, tempus locumve reperiebat. Attamen hanc sortem patienter tulit, meliorem ei brevi successuram sperans. Quod dum sperabat, et nos, ne frustra speraret, operam dabamus, liberos eius erysipelas morbus invasit: quibus opem paterno

et effuso animo ministrans, ipse eodem morbo implicitus et cum duobus e liberis absumtus est. Caeterum in illâ coniugialis aerumnâ vitae, quum in Literis parum addiscere posset, cavit tamen, ne quid dedisceret: semperque illum scientiae modum obtinuit, quem antea habuerat, quemque supra declaravimus, et duobus illis in libris significavimus: quorum in priore testati sumus, eum praeclarâ studiorum et variae simul accurataeque doctrinae laude florentem, cum Mahnio in eo discipulorum meorum pari a Ruhnkenio numeratum esse, ex quo hic sibi alterutrum collegam obtingere optaret: in altero autem libro acutam eius verisimilemque Xenophonteam correctionem laudantes, diximus, eum, dignum professoriâ cathedrâ, adhuc in subsellio scholastico praeceptoris infimae classis acquiescere. Sed et alias ab eo factas esse correctiones meminimus. Exstant certe edita eius industriae opera duo: alterum, Rudimenta Grammaticae Graecae: alterum, accessio, quam ipse, sodalis Philomathiae, Epistolis et Appendici Primae contulit. Ex quibus omnibus existimare licet, quantum eius scientia nobis Literarum fructum attulisset, si vita ipsi et longior et facilior contigisset.

MEMORIA
FRIDERICI GUILIELMI BOERSII.

Philom. L. III. p. 244 sqq. Opusc. T. II. p. 358 sqq.

De hoc pauca diximus Bibliothecae Criticae P. XI, p. XXI, nec nunc multa noster nos dolor et temporis angustiae dicere sinunt, longae quamvis materiem

scriptionis afferente. Natus gente honoratâ Leidae, ibidem educatus et utrâque disciplinâ institutus est, primum puerili, deinde academicâ, ut vocant, id est scholis Professorum. Quum mature solers ingenium in eo eluceret, destinatus est ab avunculo, apud quem alebatur, rei publicae aliquando gerendae, et ad hoc propositum studiorum suorum consilia accommodavit. Ergo Iurisprudentiae se dedit, ad eamque rite percipiendam animum Philosophiâ et Literis instruxit. In Graecis audivit Ruhnkenium, tunc Lectorem, quem caeterae totius discendi rationis auctorem secutus est: in Latinis et Historiâ Oudendorpium: in Philosophiâ Lulofsium: in Iure Civili Schelltingam, in Iure Publico Weisium et Pestelium. Ad hoc scholarum pensum accedebat aliud domesticum et quotidianum, multorum lectio librorum eaque insatiabilis: non solum Graecorum et Latinorum, sed et novitiorum, Belgicorum, tum vero exterorum, Gallicorum, Britannicorum, Germanicorum, harumque linguarum usus et meditatio eum in finem, ut iis et ad legendum et ad colloquendum valeret, Gallice etiam pure et accurate scriberet. Inerat praeterea iam in adolescente magna oris commendatio, sermonis varietas et iucunda comitas, quae per totam vitam mansit, certe raro nec nisi tempore aegrotationis eum reliquit. Tali ergo quum laude floreret, accessit etiam eruditionis fama e scripto libello, et consequendo titulo Doctoris Iuris ad disceptandum proposito, *de Anthropologiâ Iurisconsultorum Romanorum, quatenus Stoica est*, Lugduni Batavorum MDCCLXVI. Quo in libello quum appareret scriptoris et philosophum ingenium, et Philosophiae Iurisprudentiaeque diligens cognitio, et elegans Literarum doctrina, nemo erat qui dubitaret, scriptorem, si modo id agere vellet, idoneum fore

cathedrae cuiusvis harum disciplinarum obeundae. Sed vetus reip. gerendae propositum eum ab instituendo alio vitae genere avocavit: et non ita multo post factus est Advocatus Societatis Indicae Orientalis. Quod munus quam fuerit plenum laboris et negotiorum, quam varium et multiplex, intelligunt, qui norunt, quanta pars Reipublicae Batavae fuerint coloniae Asiaticae et Africanae, huius Societatis regimini subiectae, quantumque momentum, cum ad patriae florem ac potentiam, tum ad fortunas singulorum civium. Officium Advocati malumus verbis Pestelii, viri egregii, referre ex Commentariis de Rep. Batavâ p. 162: „Duo viri, ex tribus quisque nominatis a Principe Arausiaco electi, et *Advocatorum* nomine appellati, Curatoribus adsunt, ut eorum fide, diligentiâ in exquirendis rebus Indicis ac commodis Societatis, probatâque prudentiâ in consiliis dandis et decretis efficiendis, niti possint." Boersius initio *Secundus Advocatus* factus, interiecto tempore in locum Primi successit. Amstelodami habitans, ad me venit recens Professorem perhumaniter salutatum, affirmans, me sibi, quamquam ab aliis commendatum, tamen sponte conciliatum esse; quod ego, item ut ipse, Literarum cognitionem ad Historiam Philosophiae retulissem. Hoc fuit initium nostrae coniunctionis, quae deinceps, dum ambo Amstelodami fuimus, mutuis officiis, multis congressibus ac sermonibus frequentata est. Decem annis post (1781), patriâ subito bello a Britannis perculsâ, naves nostras intercipientibus, portus obsidentibus, Societas Indica Orientalis, ipso suasore, duos Legatos, quorum ipse unus fuit, in Galliam misit, qui cum Rege, Administris et Praetoribus agerent de militibus conducendis, navibusque instruendis, et e Galliâ in Indiam emittendis, ad colonias

Societatis adversus hostium incursum defendendas. Ibi quod ei supererat a legationis officio temporis, ad cognitionem urbis, populi, morum, regiminis, hominum, in primis doctorum, contulit, et proposito negotio dextre solerterque peracto, pace restitutâ, (1783) domum rediit. Interea dissensiones civiles inter duas adversarias reipublicae partes increverant; et deinceps ita invaluerunt, ut ad manifestum bellum spectarent: quod praevertit, immo iam accensum exstinxit, adventus Borussici exercitûs praetore Brunsvicensi Duce (1787). Vetere reip. formâ restitutâ, partibus Nassavicis confirmatis, Boersius Societatis Indicae caussâ legationem in Britanniam obiit, similemque inde atque e Galliâ et laudem retulit, et cognitionis fructum percepit. Domum redux, interiecto quodam tempore, munere *Advocati Societatis Indicae* se abdicavit; aliud capessivit, magis illud cum potestate et interiore reip. administratione coniunctum: factus est *Pensionarius* civitatis Leidensis: sic autem vocabantur tunc civitatum Hollandiae singularum, ius suffragii habentium, legati ordinarii ad senatum Ordinum Hollandiae, penes quem summa potestas Populi Hollandiae erat: hoc autem munus priori praeoptabat, quod minus occupatum negotiis esset, et plures opportunitates offerret tuendarum partium Nassavicarum, quas ipse sequebatur, non suae sed publicae utilitatis caussâ sic faciendum iudicans. Iam enim tunc in Galliâ fervebant istae lites inter factiones Regiam et Popularem, mox in apertam vim erumpentes (1789), et victrice Populari, in omnem atrocitatem proruentes. Ad huius factionis progressus, frequentes sane et magnos, nostrorum hominum Antinassavicorum animi erigebantur, eius exercitus ut datores libertatis, aequalitatis, et frater-

nitatis, quas se allaturos profitebantur, exspectabant. Incredibile dictu est, quam late hic error serpere coeperit, quamque multos infatuaverit, seniores etiam, veteres magistratus, priore reip. conversione loco motos, alios nil passos, tum vero iuniores, qui sibi nescio quam cum libertate communionem intercedere putarent. In his fuerunt quidam studiosi adolescentes, qui ad legum decorique contemtum progressi, Boersium in auditorium publicum audiendae orationis caussâ venientem cum irrisione exciperent, occentantes dictum quoddam, quod ipsi partes Nassavicas defendenti in Senatu Leidensi exciderat, indeque ad vulgi notitiam emanaverat. Hic tam inauditâ petulantiâ commotus, et magis etiam facinoris impunitatem indignans, simul et instantem patriae sortem commiserabatur, in quam aditus hostibus pararetur, qui eam, nullâ legum conditionumque habitâ ratione, libidinoso et superbo sub imperio vexaturi et exhausturi essent. Quod plane ita evenit. Nam quamvis laudans Gallicum populum ut ingeniosum, humanum, affabilem, comem, qualem ipse praesens expertus erat, hoc referebat ad eum, qui sub iusto regio imperio fuerat: ad eum, qui postea fuit, nil minus. Tunc vero istis cogitationibus dies noctesque agitatus in gravem morbum incidit, eumque cum delirio coniunctum, quod subinde in furorem abiret. Igitur custodiebatur domi suae et a suis. Nam quamvis caelebs, suâ ipse in domo habitabat, eâque famulitio instructâ et supellectile, omnibusque partibus, quibus lauta domus censetur. Accidit paulo post, ut, Gallico exercitu omnem agrum urbesque huius reip. occupante, dominarentur partes Antinassavicae, et exauctoratis veteribus magistratibus novos ad novam formam imperii popularis constituerent: quosdam etiam Professores Leidenses, ut

deditos maxime Nassavicis partibus, suis cathedris privarent, Pestelium, Kluitium; et fratrem Boersii Carolum, Theologiae Professorem, ipso minorem quadriennio. Hic, ut princeps cognatorum, quorum in tutelà et curatione aegrotans frater esset, huius fortunis sic se consulere debere existimavit, ut eum, relictâ suâ domo et familiâ, curandum alendumque collocaret certâ annuâ mercede apud magistrum huiusmodi custodiae, quae Delphis est. Quod hic optimo consilio fecerat, id aegrotans frater summam iniuriam interpretans, vehementius etiam quam antea animo exasperatus et furore incensus est; ut malum arte insanabile dubiae medicinae temporis relinqueretur. Vicit tamen naturae bonitas. Nam quum isti fervores et aestus quinto demum anno aliquantum resedissent, ut erat ingenio actuoso et scientiae cupido, vetera sua studia desideravit, librosque suos arcessivit. In his maxime cum ceperunt ac tenuerunt Graeci, eorumque quotidianâ lectione oblectatus et paulatim in quamdam rationis viam reductus est. Legit Aristophanem et Herodotum. Tunc quoque nostrum congressum requisivit. Veni ad eum cum Paradysio. Excepit nos lacrimans: mox ad pristinam hilaritatem rediens multa narravit; nil de suo morbo, quippe se semper sanae mentis fuisse putans: caeterum ipse omnem sermonem occupans, ex alio aliud memorans, satis prudenter disserebat, unum saltem alienationis vestigium servans, quod se non Boersium, nec patris, qui vulgo haberetur, sed alicuius Germani dynastae, quem nominabat, filium esse dictitabat. Proximo mense solus eum invisi, si forte solum magis audiret, sibique illum errorem de patre suo eripi pateretur. Ipse rursus sermone in omnia alia deferebatur, nec interpellandi ansam praebebat. Surrexi ut abiturus,

et „Vale, inquam, spero nos proxime alio in loco collocuturos.“ Ad haec ille, quod volebam, erigitur: et „Ecquid, inquit, habes a meis cognatis mandati, ut mecum agas?“ „Nil equidem, inquam, novi habeo; nam horum semper fuit propositum, ut ex hac tutelâ exires, quamprimum constitisset, te plane sanatum esse: nosti enim profecto te aegrotasse: vin' verum audire?“ Quum se velle dixisset, narravi de morbo, delirio, furore. Haec omnia ei nova et inaudita accidebant, nil recordabatur, nisi se voluntate cognatorum, ipsius bonis inhiantium, vi e suâ domo abreptum, in hanc custodiam deportatum esse. „Ergo, inquam, si vis sanatus haberi, depone hunc de cognatis, et illum de patre errorem. Neque est, quod te istius morbi pudeat. Est haec a Graecis dicta *μελαγχολία*, quae non in tardos et hebetes, sed in veloces et ingeniosos, homines incidit: de quâ Aristoteles in Problematibus (XXX, 1): indeque Cicero in Tusculanis (I, 33: III, 5). Favorinus autem, egregius philosophus, Plutarchi aequalis, his eam verbis ornat, ut dicat, *eam non parvis nec abiectis ingeniis accidere; ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν.*“ Haec et talia libenter audiit, mihique discedenti promisit, se istos errores depositurum. Haec inter nos acta sunt Kalendis Iuniis a. MDCCCI: et, paucis interiectis diebus, libertati suaeque ipse tutelae restitutus est. Rediit paulatim pristina vitae consuetudo, et illae supra laudatae dotes, sermo utilium iucundarumque rerum commemoratione frequens, perfacetus, sine offensione et acerbitate; immo in omni congressu urbanitas et cum benevolentiae significatione amabilitas. Quamquam habuit haec laus quandam exceptionem primis post recuperatam sanitatem et libertatem annis, ut nonnumquam ei disserenti duriora quaedam

adversus amicos praesentes dicta exciderent; quae hi silentio praetermittebant, affectionis veteris accessionem interpretantes, ne adversando mentis nondum satis firmatae proclivitatem sollicitarent. Sed illis morbi reliquiis tempore detritis atque abstersis iucundior cunctis accidebat. Nemo autem unus fuit, qui plures homines nosset, nemo cui cum pluribus vel notitia, vel familiaritas, vel consuetudo, vel aliquid officii intercederet; ut per totam Batavam terram haberet, apud quos devertere et commorari posset. Et veterem hunc suum morem repetivit, simul ac rursus rerum suarum dominus esse coepisset; continuo familiares illos et amicos invisit, quibus omnibus gratus et acceptus hospes venit. Ventitavit etiam in conventus Societatum eruditarum, quarum Socius fuerat, Leidensis, Harlemensis, aliarum; nam fuit multarum. Et ipse sodalitium instituit, quo, ut suo opere, maxime delectabatur, cuius conventus convivio, menstruis intervallis, celebraretur ab hominibus doctis vel doctrinae amantibus, in *Aggere Leidensi*, vico medio trium urbium, Leidae, Hagae, Delphorum, ubi ipse habitabat: hoc sodalitium a suis amicis obiri valde cupiebat, eosque cum adducebat, tum arcessebat: et ipse ei gratificans aliquoties veni. Publici autem muneris nullam partem attingere voluit, quamvis delati. Veluti quum Meermannus V. Ill., idem nunc nobis lugendus, sed quum is sub Rege Francico, Cubicularius, Administer, Praefectus Institutionis Publicae factus esset, Boersiumque, auctoritate Regis, collegam huius praefecturae allegisset, eiusque nomen ut allecti in Ephemeridibus publicis prodidisset, ipse mox in iisdem Ephemeridibus epistolam edidit ad Meermannum, recusans illud munus, humaniter quidem, sed iis tamen verbis, ut facile appareret, quid

de Francico dominatu sentiret. Scripsit et alia, sed fictis sub nominibus: in quibus et libellus fuit pertinens ad indignationem iniuriae Amstelodamensibus a Francico Rege, ut aiebat, factae, qui illis Curiam ademisset, sibique regiam fecisset. Sed hae mox aureae visae sunt res, per insecutas ferreas. Patria Francica provincia fit. Continuo aes eius alienum, ingens illud, in cuius foenore plurimi cives positas habebant suas pecunias, triente circumscribitur. Hinc plurimorum civium fortunae eversae. Accedit militaris conscriptio: vectigalium acerbitas: publicanorum exactiones: veterum omnium rerum commutatio: alia, quae recensere infinitum, et singularis scriptionis argumentum, sit. His in calamitatibus Boersius magis aliorum, quam suâ caussâ, dolebat. Nam quamvis et ipse publici aeris circumscriptione magnam fortunarum partem amiserat, tamen, quia solus erat, et res suas diligenter dispensabat, habebat satis reliqui, unde liberaliter viveret, at non satis, unde aliis, uti solebat, succurreret. Fecit nihilominus, ut nil ex vetere suâ erga alios beneficentiâ imminueret. Omnino magis specie illatae indignitatis, quam ablatae utilitatis, movebatur. Veluti ineunte Novembri anni MDCCCXII, quum Academia ad Francicum modum ordinaretur, Professoribus novo Francico vestitu, plane illo abhorrente a gravitate moris maiorum, indutis, ipse praesens ita indignatus est, ut sibi temperare non posset, quin sensum animi vultu et voce promeret. Ecce vero! illo ipso tempore, quo Libertas Batava conclamatur, sepelitur, et Francicae dominationi in perpetuum subiicitur, dominus in Russiâ ruit, indeque mox fugiens, proximi anni eodem mense Novembri trans Rhenum reiicitur, et Libertas Batava reviviscit. Boersius hoc Virgilianum in se accommodabat;

Libertas — sero tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, et longo post tempore venit.

Et sic erat: Francico illo undeviginti annorum tempore in privatâ quiete acto, eius aetas magis otium quam negotium postulabat. Attamen ad remp. gerendam se revocari passus est. Et delata ei sunt amplissima munera: lectus est Statuum Generalium Collega Primi Collegii: et vero unus e Quinqueviris curandae Academiae Lugduno - Batavae. Nos eius prudentiae doctrinaeque fructum percepturi eramus moderandâ ab eo ad maiorum morem Academiâ; quem eius fructum nobis abstulit dura quaedam fati iniquitas, non nisi biennium Libertati restitutae ipsum superesse, nec destinatum munus inire, sinens. Obiit septuagesimo quarto aetatis anno, d. XXVIII Decembris a. MDCCCXV, omnibus insigne desiderium suavitatis virtutumque suarum relinquens.

M E M O R I A
I O A N N I S W Y T T E N B A C H I I.

Philom. L. III. p. 220 sqq. Opusc. T. II. p. 337 sqq.

Ex Helvetiâ, natali patriâ, duplicis nos domestici funeris acerbitas afflixit, et cognati optimi et sororis optimae. Sed de illo prius dicamus, quando illius sors prior exiit urnâ. Ioannes Wyttenbachius patrem habuit cognominem, rerum sacrarum in Republ. Bernensi Praesulem, auctoritate et prudentiae laude florentem. A naturâ factus ad probitatem, beneficentiam

et industriam, a fortunâ destinatus ad rem publicam gerendam, huic cognoscendae mature studuit; adolescens ac paene puer in idoneâ huic studio positus statione, adscriptus officialibus Quaestorii, quam Cancellariam vulgo vocant, ut in eâ per legitimos gradus in eum ordinem adscenderet, ex quo Senatores legebantur. Fuitque haec ei cognitio materia non solum negotii, sed et otii et unicae oblectationis. Et quod ille in Andriâ Pamphilus iuvenilibus adolescentium sodalium studiis omnibus mediocriter obsequendo, nec iis adversando, nec aliis se praeponendo, sine invidiâ laudem invenit et amicos sibi paravit: eumdem fructum uberius etiam simili viâ, sed verioribus instructus subsidiis, W. noster assecutus est. Nam quae vulgo usurpantur, venari, piscari, aucupari: equitare, aurigare: pilâ, aleâ, chartis ludere: fidibus aut tibiâ canere: vinum, aut similia vini potulenta, bibere: tabaco, quod dicitur, uti: et quidquid huiuscemodi adventitium, praeter naturae necessitatem, adscivit hodierna consuetudo: horum omnium ille nihil, ne mediocriter quidem: et tamen si forte in coetus talia agentium incideret, compotantium adeo et comessantium, eorum laetitiae obsecundabat, et, quamvis abstemius ac sobrius, iucundi sodalis partes tuebatur. Ad hanc facilitatem comitatemque accedebat mira candoris ac benevolentiae significatio, sermo plenus rerum scitu dignarum e civili prudentiâ et historiarum varietate, qui eum et iunioribus et senioribus commendaret. Anno MDCCLXXXV, aetatis vigesimo quinto, stationis cancellariae decimo, commeatum accepit peregrinandi per exteras terras in biennium, ut fere illic liberaliter instituti iuvenes solent. Primo Goettingam veniens, annum ibi commoratus est, audiens celeberrimorum scholas Professorum de Iurisprudentiâ, Historiâ, Geo-

graphiâ, Diplomaticâ, Rerumpublicarum cognitione, vulgo dicta Statisticâ, Politicâ; Oeconomiâ in primis et Technologiâ, id est de artibus officinarum, Beckmannum; privatim quoque Heynii nostri institutione stili Germanici utens. Inde peragratâ illâ Germaniae parte, lustratisque praecipuis urbibus, Lipsiâ, Dresdâ, Berolino, Hamburgo, aliis, mensem apud nos Amstelodami fuit: tum plerasque alias urbes Batavas obiens, porro in Belgium traiiciens, Lutetiam Parisiorum venit: ibique complurium commoratione mensium factâ, ad suos rediit. Atque omnibus illis in terris locisque quum diligenter observasset, quae ad suum discendi consilium pertinerent, magnamque utilium rerum cognitionem collegisset, hanc continuo ad usum actionemque, patriaeque emolumentum, convertere coepit. Itaque porro se ad omnes Reipublicae partes perspiciendas applicuit, eas maxime, quae ad vectigalia et sumtus, eorumque invicem accommodandorum rationem, spectarent: proventum frumenti, pecoris, vini, mellis, olei, aliarum rerum et opificiorum: mercaturam, exportationem et invectionem: decimas, tributa, portoria: alia huius generis innumerabilia. Huc in primis referebat omnium opificiorum artes, quas diligenter in Beckmannianis scholis cognoverat: eâque de caussâ frequens officinas artificum ingrediebatur; cum quoque de suâ arte disserebat, si quid forte novi ab eo discere, aut eum docere, posset. Ibi tum saepe accidebat, ut artifex fateretur, se, quominus artem suam melius etiam tractaret, ex re familiari laborare, et alieno subsidio egere. Quod W. numquam surdis auribus audiens, laborantem semper consilio, operâ, re, iuvit. Unde paulatim factum est, ut aliorum etiam hominum, nisi re, consilio tamen et operâ, ab eo iuvari volentium, tantus

ad eum numerus confluerct, ut brevi tempore negotiorum procuratione obrueretur; quippe qui per naturae suae beneficentiam et gratuito aliis operam praestaret, neque cuiquam honesta petenti negare aut vellet aut posset. Interea ámicis eum subinde adhortantibus, ut uxorem duceret gentique suae propagandae operam daret: „Huic rei quantum satis est operam dant frater et alii gentiles: mihi quidem adoptivi filii multi sunt, omnes hi, qui meâ re et operâ egent et utuntur: vos vero nolite me in illam vitae conditionem includere, quae me cogat non amplius civibus meis, sed mihi soli, vivere.“ Deinde suo sibi tempore Senator factus brevem pacis fructum cepit; Gallici mox regni conversione ingruente, Helvetiam quoque implicante, Bernae opes affligente. Quibus de rebus, ut recenti memoriâ et in totius Europae luce gestis, dicere opus non est. Illud non reticendum: his in fluctibus cum civilibus tum bellicis, quum Senatus Bernensis maximum et momentum et discrimen esset, W. nostri fidem et constantiam inter caeteros eluxisse, eiusque sententiam semper habitam esse eam, quae a sano sinceroque iudicio, neque corrupto ullâ vel propriae utilitatis spe, vel partium studio, vel quocumque affectu, profecta esset. Ac veluti tranquillus limpidae fons aquae in ipso fundo pellucet, atque imagines propinquarum rerum integras nulloque tremore aut flatu turbatas suscipit ac reddit: sic huius animus simplex et apertus, nil simulatum tectumve alens, unicuique totus ad inspiciendum patebat, et externarum rerum visa, facta aliorum, actionesque, et fortunae casus, mediis in fluctibus, severo iudicio accipiebat, nil alieni illis vel amore aut odio, vel cupiditate aut metu, affingente. Roganti mihi, ut istius conversionis narrationem a se factam ad me

mitteret, perscripsit eam, sane lectu dignam, ex rerum civilium scientiâ et caussarum observatione; ut plane scriptam Polybianâ ratione diceres, ad quam rationem, sine imitatione, suo ipse ingenio ferebatur. Senatu optimatum a plebeiis dimisso, ipse tamen ab his amabatur et colebatur, ut qui semper utrisque ac toti patriae consuluisset. Reconciliatis ambabus factionibus, lectus Senator utriusque Senatus, *universi et urbani*, Praefectus Quaestorio Vectigalium, moderandae Academiae Triumvir, his muneribus per reliquum vitae tempus praefuit. Ad quae quum, ut antea, alienorum procuratio negotiorum accederet, testamenta, tutelae, arbitria, advocationes, et alia cuiuscumque generis, ipseque haec omnia cum religione et curà administraret, nec valetudini parceret, saepiusque rheumatismis tentatus, a medicis monitus, ut finem aut certe modum faceret illi procurationi, eos eo minus audiit, quod naturâ laboriosus viribus et consuetudini suae fideret, omniaque magnà cum facilitate tractaret, quippe qui mirifico cuncta ordine digesta teneret, cuiuslibet negotii et agendi certum tempus servans, et actis rationibusque ponendis certum locum tribuens. Itaque pergebat solito more vivere, nil quidquam vitae metuens: veluti mihi, cuius res in Batavis incertae videbantur, a. MDCCCX. prospiciens, suaque omnia offerens, nullà interpositâ morà aliquot longiores epistolas scripsit, quasi optime valens, quamvis debilitato corpore, se minus bene valere ne significans quidem, nedum caussans. Proximo anno valetudo dudum dubia in hydropem evasit. Cui levando quum vernum aestivumque tempus ruri degisset, vergente autumno Bernam rediit, praesente medici sui ope usurus, cuius in curatione porro degens d. XII. Novembris vesperi in lectulo recubans, cum suis

coenans et colloquens, dum se in alterum latus convertit, placide, ut voverat, ita exspiravit. Hic quantum sui suarumque virtutum desiderium reliquerit singulis et universis civibus totique patriae, declararunt Ephemerides Bernenses, non illae, ut aliae, vaniloquae, sed veritatis testes et consentiente populi iudicio confirmatae. Nos optamus, ut et patriae cives alii similes obtingant, et in huius erga nos amore et officiis alius pari virtute cognatus succedat.

MEMORIA
WYTTENBACHIARUM.

Philom. L. III. p. 226 sqq. Opusc. T. II. p. 356 sqq.

Hunc virum quando iure meritoque laudavimus, religioni habemus tacere de optimâ sorore, quae nobis hanc de illo notitiam perscripsit, cum diligenter, tum dolenter et amanter, ipsaque paucis post mensibus diem suum obiit, nosque induxit ad recordationem non modo huius viri, sed etiam maioris nostrae sororis, dudum defunctae; ut eo acerbior multiplici iacturâ, vetere et recente, dolor ad animum nostrum accideret. Ergo et in sororibus, non minus mortuis, quam vivis, pietatem colamus, earumque memoriam comiter et usurpemus et prodamus. „De mulierum virtute, inquit Plutarchus, dissentio a Thucydide, qui eam optimam mulierem esse pronunciat, de quâ foris' minimus vel in bonam partem vel in malam sermo sit, censens nimirum, ut corpus, ita famam quoque bonae mulieris inclusam esse, neque in publi-

eum exire debere. Mihi autem elegantior videtur Gorgiae opinio, qui mulieris, non formam, sed famam, vult multis esse notam. Optime vero Romanorum legem constitutam esse iudico, quae, ut viris, ita mulieribus quoque, post mortem publice debitam laudationem tribui iubet.“ Ergo si iustum est, virtutem in muliere laudare, in sorore eam reticere sane iniustum sit. Et nos eâ memorandâ obsequimur et Plutarchi iudicio, et Romano mori, et nostro dolori, et pietati: hoc illius caritati debitum officium existimantes: et vero religioni, nefas ducentes ab institutis his virorum parentalibus sororios manes excludere. Omnino fraterni amoris multae sunt caussae, quas enumerare omnes longum sit: prima quidem et necessaria, iisdem parentibus nasci: tum plures, aliae aliis ita maiores, ut maiorem animorum conciliationem habeant: unâ vivere, nutriri, educari, a parentibus pariter amari et curari: lusum et seria, laeta et tristia, communia habere: invicem ridentibus arridere: flentibus adflere: maius etiam vinculum adfert societas institutionis puerilis: longe autem maximum communio iuvenilis disciplinae, et cognitionis elegantiorum Literarum, quâ et ingenium ad veri pulcrique iudicium, et animus ad virtutem, excolitur; unde existit morum, sensuum, studiorum similitudo, et ipsa amicitia, alterum ut se ipsum amans, sine quâ verus fraternus amor esse nequit. Ego vero quum unum fratrem et tres sorores haberem, frater ac tertia soror me iuniores nunc etiam supersunt: ille belli et pacis artibus Minervae alumnus, emeritis laudabiliter longae militiae stipendiis, sibi vivit, suisque se literulis tuetur: haec coniuge sacerdotali ac tribus filiabus floret. Sed eiusmodi, qualem dixi, aequalitatis et condiscipulatus necessitudo mihi

intercessit cum sororibus duabus me paulo maioribus. Et in artibus quidem iuventuti utriusque sexus nenessariis valde nos mutuo conciliabant Historia et Geographia: quas ita et ad eum modum perdiscebamus, ut quamcumque earum partem invicem interrogantes et interrogati memoriter redderemus: nec tantummodo ex nostris compendiis, sed etiam extra haec in rebus novissimis, veluti belli septennis, quod in illam aetatem incidit, gesta et vicissitudines assidue in novellis, quae dicuntur, ephemeridibus politicis, legentes, sic tenebamus, ut ea postea semper secundum ordinem temporis, quamvis subito, referre possemus. Inde utriusque linguae, id est Francicae et Germanicae, praecipuos poetas et scriptores, qui ad mores formandos ingeniumque expoliendum valerent, legimus, et stilum exercuimus, vertendis insignibus illorum locis ex alterâ in alteram linguam, scribendis epistolis ad exemplum Sevigniae et Gellerti, pingendis characteribus ad imitationem Bruyerii. Interea ego, qui, separatim Graece Latineque discens, Virgilium et Homerum cognovissem, sororibus narrare, illam a nobis lectam ac tantopere laudatam Voltarii Henriciadem fere ex Aeneide expressam esse, Aeneidem ex Iliade et Odysseâ: illae mirari, quaerere Homeri Virgiliique carmina Gallice reddita: legere, mox e manibus deponere, praeferre Voltarium, dicentes, videri poetam quemque ipsum suâ linguâ utentem legendum esse. Quod si sors nostra nos diutius unâ manere sivisset, haud scio an Graece Latineque didicissent. Et sic quoque, ut mulieres, doctae et erant et habebantur. Minorem etiam formâ commendatam multi petebant proci: quorum illa caeteros ut parum literatos contemnebat: uno excepto, qui et Literis et moribus amabilis videretur, Salchlii, col-

legae quondam patris mei in Theologiae cathedrâ Bernensi, filio: cuius, ut poetae, haud exigua exstitit fama, et nos carmen *De malo* memoravimus in Bibliothecae Crit. P. X. p. 135; quocum nupta tres et quadraginta annos in Helvetiâ obiit d. XIV Iulii a. MDCCCXII, duabus relictis filiabus, quarum minor nupta Lutetiae Parisiorum tertio post matris obitum mense optimum maritum morte amisit: maior apud patrem vivit: qui ut saepe ad pangenda carmina Musam invocavit suam, sic quin nunc eam deflendae optimae uxori invocaturus sit, non dubitamus. Maior nostra soror a literatis et ipsa petita procis, nacta maritum Ludovicum Gallicnum, Artium, ut vocantur, Pulcrarum Professorem, Hanoviae mortua est a. MDCCLXXIX, coniugii septimo, relictis item duabus filiabus, sed parvulis, in tutelâ patris, qui, earum institutionem diligenter ac prudenter moderatus, nuper ibidem obiit a. MDCCCIX. Harum utraque in domesticum a me convictum recepta: minor domi meae subito morbo exstincta obiit a. MDCCIIC: maior hunc vigesimum et primum annum apud me est, et diu sit. Mihi fratri, terni illius consortii reliquo, ad Batavos delato, in tanto annorum spatio, sorores non nisi semel invisere licuit. Ergo veterem consuetudinem mutuo desiderantes, et longinquam spem velut immensum mare prospectantes, desiderium literis scribendis consolabamur. Utraque literas scribebat, quales pauci possunt literati, amanter, facete, argute, cum rerum copiâ et varietate, et narrationis nativâ facilitate; ut longissimae quaeque maxime delectarent: utraque non minus probitatis et beneficentiae, quam ingenii et eruditionis, famâ floruit.

Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

PRAEFATIO
PARTIS PRIMAE BIBLIOTHECAE CRITICAE.

Opusc. T. I. p. 131 sqq.

L. S.

Diu et multum hoc nobiscum cogitavimus, quid caussae esset, quod antiquarum literarum studia apud plerosque nostrâ aetate refrigescerent et fere in contemtum abirent. Nam si memoriam superiorum seculorum repetimus, his praecipue studiis maiores nostros a barbarie liberatos, humanitatique restitutos, reperimus: et si ad nostras ipsi mentes attendimus, facile intelligimus, unam hanc esse disciplinam, cum ad cognitionis suavitatem, tum ad ingenii fructum, uberrimam. Sed huius calamitatis cum alias cognovimus esse caussas, tum eam haud minimam, quae effecit, ut hanc scriptionem susciperemus. Nam ut ars hominum studiis floreat, opus est, non solum viris egregiis, qui eam factitent et profiteantur: sed ipsa quoque ars veluti in lucem prodire debet et vocem efferre suam, quâ et artificum opera ad publicam notitiam celebrentur, et aliorum aures personent, ingeniaque ad eiusdem laudis studium excitentur. Videmus quotidie literulas illas, quibus inanis ac brevis voluptas proposita est, ita se in vulgus iactare, ut earum scriptiunculis atque diariis aliarum doctrinarum studia absorbeantur! Quin igitur illae literae, quae certum permansurumque ingenii fructum ferunt, tandem ex umbrâ erumpant, sua bona in luce ponant atque explicent, hominesque a cognoscendi levitate ad

accuratae doctrinae studium revocent? Atque ad istud opus nos literis his omnem nostram curam, diligentiam, industriam, dicare et consecrare profitemur. Quâ quidem in re gratiam nos inituros speramus, non solum apud studiosos harum literarum, sed apud universam etiam civitatem eruditam, cuius sanitati consulimus, cavendo, quantum in nobis est, ne eius quasi flos, antiqua venustas, penitus exarescat.

Ratio operis haec est, ut, ad exemplum huius libelli, alii subinde edantur, in quibus referatur de novis libris ex literis Romanis, Graecis, et Orientalibus, ut vocantur, et in eodem genere ineditae disputationes saepius adiiciantur. Atque hanc nos provinciam ex hominum eruditorum sententiâ administraturos esse, hac maxime de caussâ confidimus, quod viri praestantes ingenio doctrinâque operam nobis suam polliciti sunt. Spatium, in quo versemur, tantum erit, quantum Critices vis atque potestas patet: quae quidem, auctore Hemsterhusio, omnes humanitatis disciplinas complectitur, et in alias frequenter egreditur. Atque hoc spatium non ita antiquarum literarum cancellis circumscripsimus, quin per recentiora quoque studia vagemur, scriptisque ac libris omnibus locum demus, qui quidem aliquam cum doctrinae elegantiâ coniunctionem habere videantur. In hac copiâ ac varietate non erit, quod huic operi aliunde lenocinium petamus. Praestabimus eam suavitatem, quam ipsae literae sponte ferunt, magis austeram et solidam, quam dulcem atque decoctam. Ceterum censura nostra maxime occupabitur in iis libris, quibus vel auctoris, vel editoris et interpretis, vel argumenti praestantia momentum aliquod addit; de iisque accurate in utramque partem exponemus, ita, ut in celebrandis virtutibus, et reprehendendis vitiis, unice veritatem

sequamur. Quam quidem libertatem nemo erit, qui, superbiâ magis, quam literarum caussâ, sumsisse nos putet. Nam levium hominum errores nec cautos lectores inficiunt, et ipsi suâ levitate evanescunt: magnorum virorum errores auctoritate plurimum nocent, et celerius animos capiunt, et in iis altiores radices agunt. Et nos iis, qui, si quâ lapsi fuerimus, nos admonuerint, gratiam habebimus. Neque enim alium uberiorem, ex toto hoc literarum studio, fructum capere nos posse iudicamus, quam ut erroribus quotidie et praeiudicatis opinionibus liberemur.

PRAEFATIO
PARTIS QUINTAE BIBLIOTHECAE CRITICAE.

Opusc. T. I. p. 159 sqq.

Bonarum Literarum Amantibus S.

Quum primum huius Bibliothecae scriptionem susciperemus, in legentium studiis reponebamus, utrum eam editâ quartâ parte vel finiremus vel persequeremur. Nam, ut in Graecorum proverbio est, *Multos esse thyrsigeros, paucos Bacchos*; ita videbamus, in his literis multos esse, qui earum nomen consectarentur et veluti thyrsum iactarent, paucos iis ita deditos, ut nobis ad scribendum alacritatem additun viderentur. Nunc opinione res melius cecidit. Invenit libellus homines, a quibus benevole exciperetur, in primis in Belgio nostro: non illos quidem magno numero, sed tamen eiusmodi, qui numerum studiis compensarent, vehementerque cuperent, ut operam

porro nostram in hac scriptione collocaremus. Quorum desideria ut negligamus, committere non possumus. Et, si omnis opera in primis ad civium utilitatem referenda est, quid eum laborem defugiamus, qui, cum ad communem omnium doctrinae fructum spectet, a civibus etiam expetatur? Neque vero ita hoc accipi volumus, ac si constituissemus civibus nostris prae ceteris favere, eorum laudes celebrare, supra exteros extollere, reticere errores aut excusare. Quamquam hoc non infrequens est vitium eorum, qui censuras novorum librorum scribunt. Rempublicam literariam ita in classes describunt, non ut ingenii et doctrinae, sed nationum ac regionum, censum sequantur. Hinc est, quod haud raro videamus, hunc in modum ab iis pronunciari: *ita solent v. c. Britanni, ita Galli: nos melius.* Qui puerilis est error, neque aliunde profectus, quam ex rerum humanarum et communis vitae ignoratione. Sunt enim apud omnes nationes, qui melius et qui peius artem tractent: sunt vel principes, vel secundarii, vel tertiani, vel inferiores. Igitur classium ratio habenda est, non populorum: neque videndum, cuias quisque sit, sed quid dicat. Fuit hic quondam Spartanorum mos, ut, si in conventu sociorum a legato ignobilis civitatis optima dicta esset sententia, eam continuo quidem negligerent, postea vero a Spartano iterum proponi iuberent, et ita probarent, ut prudentiae opinione auctoritatem patriae conciliarent. Valeat haec rivalitas in aliis rebus: a literis et doctrinarum studiis absit. Una est et communis bonorum Scriptorum civitas: cuius quidem ius non a vulgi opinione tribuitur, sed paritur doctrinâ diligenti, eiusque prudenti disertâque explicatione. Quibus virtutibus ut quisque maxime ex-

cellit; ita quemque nobiscum maxime coniunctum et civem nostrum arbitramur.

Sed habet provincia, quam suscepimus, non unam difficultatem, et paratam multorum vel invidiam vel reprehensionem. Quae a nobis antea diluendae sunt, quam ad rem veniamus. Est enim genus hominum, non quidem abhorrentium ab Antiquarum literarum studio, sed qui res, non verba, consectari se profiteantur, et totum illud, quod Critica vocatur, ad inane syllabarum aucupium reiiciant. Huic ea displicuit operae nostrae pars, quae in verbis interpretandis et lectione constituendâ versatur. Est vero huic contrarium aliud genus eorum, qui verborum crisin solam quaerant, et eam partem supervacaneam censeant, quae rerum iudicio cernitur. Et meminimus, de librorum argumentis et censurarum exordiis tam varie ab utroque hominum genere existimatum esse, ut ab his vana haec et inutilis loquacitas haberetur, illi iucundos in primis et utiles hos locos iudicarent. Enimvero affirmare possumus, hanc ipsam partem longe plurimo nobis constitisse labore. Nam in verborum emendatione et interpretatione plurimum valet linguae scientia et usus, ac felicitas quaedam vel ingenii vel temporis. In libri argumento describendo et Auctoris consilio explicando, longiore opus est tempore, diligente meditatione, et comparatione rerum in utramque partem, ac sententiae sollicita tamquam per vestigia indagatione. Quid igitur fecimus? Nimirum, mediam tenuimus viam. Non quidem nos eo consilio, ut studeremus utrisque, et apud neutros malam gratiam iniremus: longe enim ab istâ calliditate absumus: sed, quod ipsa res et veritas ita postularet. Nam, cum Critices ea sit ratio, ut a verborum intelligentia ad rerum scientiam pergat, qui solas res

consectantur, veluti aedificium sine fundamentis quaerunt: qui unice in verbis haerent, hi vero ita fundamenta curant, ut aedificium iis nullum superstruant. Quare viam, quam haud temere ingressi sumus, eandem haud temere persequamur:

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν·

Sequitur, ut eos placemus, si qui forte putent, se iniquius a nobis habitos esse. Quos nec nominare, nec peculiariter quemque compellare, attinet. Universe dixisse satis est. Nos, quum ad hanc Bibliothecam scribendam animum adiiceremus, legem nobis diximus, ut de laudibus et vitiis librorum exponeremus libere, vere et accurate. Quam legem ut sancte servaremus, omni quidem opera efficere studuimus: an effecerimus, non est nostrum statuere, neque eorum, qui de nobis queruntur. Integros et prudentes appellamus iudices. Horum sententiâ si quid inique aut falso scripsimus,

— ταῦτα δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', εἴτι κακὸν νῦν
Εἴρηται· τάδε πάντα θεοὶ μεταμώλια θεῖεν·

Quoad vero nec illi contra nos iudicaverint, et ipsi nobis testes simus, omnia, quae diximus, ex veritatis studio profecta esse, non est quod perperam nos fecisse fateamur. Sed eiusmodi est plerorumque ingenium, ut sua maxime mirentur, neque vel bene factorum laudem satis amplam tributam sibi facile arbitrentur, vel aequissimam secus factorum reprehensionem leniter ferant. Hinc est, quod vir quidam doctus moleste tulit, vitia quaedam libri ab eo editi commemorata esse: quamquam et ipsius viri et libri laudes lubenter et honorifice praedicavimus. Sed et hic et reliqui desinent nobis irasci, quum intellexerint, nil a nobis temere aut malevole, omnia veritatis et literarum caussâ, dicta esse. Quod profecto intelligent, si censuras nostras accurate relegerint, neque

ipsi se nimium amaverint. Et quandoquidem ita fieri solet, ut in reprehendendis vitiis, praesertim si gravia sint et frequentia, et cum vanitate scribentis coniuncta, acrius vehementiusque sententia significetur; dabimus operam, ut, quod adhuc efficere studuimus, omnis a nostrâ reprehensione absit acerbitas. Ceterum, ut huius consilii animique nostri documentum exhibeamus, primum hoc profitemur, non esse uberiorem fructum, quem ex hac scriptione capiamus, nisi ut aliorum admonitione nostros ipsi errores corrigamus: deinde in ipso ingressu huius Voluminis ita Veritati litabimus, ut, si qui prioris Voluminis loci correctione opus habeant, eam nunc ipsi expromamus.

Ceterum, quod nullas hactenus peculiares, easque ineditas, adiecimus Disputationes, factum est librorum, quorum censurae agendae erant, multitudine. Quare, si quando vel plures huius scriptionis socios, vel maius otium, nacti erimus; plures quotannis prodibunt Bibliothecae huius partes, et, confectis censuris, aliquid loci relinquetur peculiaribus Disputationibus. Nunc quidem duas adiecimus eiusmodi particulas. Harum altera habet Animadversionem Valckenarii ad res Ptolemaeorum, prodita in libro, qui in paucorum est manibus, eorum quidem, qui nostras literas tractant. Altera continet auctoris, nomine tantum nobis cogniti, coniecturas aliquot ad Callimachum; quae cum doctrinae haud vulgaris indicium haberent, noluimus iis locum in hoc libello negare.

Denique varietatis et novitatis caussâ retinuimus *Breviores Relationes*: hac tamen lege, ut integrum nobis servaremus, de quibusdam libris aliâ deinceps Bibliothecae parte latius exponere. Ita valete, Bonarum Literarum Amantes, nobisque favete.

EPISTOLA
AD PETR. FONTEINIUM.

Biblioth. Crit. P. IX. praef. Opusc. T. I. p. 216 sqq.

Petro Fonteinio, Eruditissimo, Eidemque Amicissimo Viro, S. P. D. Daniel Wyttenbach.

Redit post quartum annum Bibliotheca Critica, et ita redit, ut, quae antea sola et quasi orba emittebatur, iam ab auctore ipsa suo in publicum deducatur, in tuâque, Eruditissime Fonteini, tutelâ reponatur. Quà quidem in re, ut mihi videor, et nunc cum ratione facio, nec antea sine ratione feci. Nam cum ad omnem scriptionem iudicium adferendum est integrum, tum maxime ad eam, quae in aliorum scriptis censendis versatur, ab eoque praecipuo munere Critica appellatur. Itaque superioribus quidem annis me auctorem profiteri nolui; non solum, ut ipse sententiam liberius dicerem; sed in primis, ut nominis mei cognitio, et sive bona illa sive adversa existimatio, ne apud alios obesset libello, sed tam illis legentibus quam mihi scribenti iudicium, quoad eius fieri posset, integrum constaret. Ceterum, temporibus mutatis, mutanda est ratio. Nam, ut fit, nomen auctoris paullatim emanavit; ut iam non sit, quare reticeatur, nec eo edito libellus detrimenti quid capere, sed in hac qualicumque legentium frequentiâ tueri se posse videatur.

Quod vero Te, praestantissime Fonteini, libello patronum assumsi, rationes mihi fuerunt, quarum vel numerum, vel momentum nemo quisquam repre-

hendat. Primum pietas erga Te mea, tuaque erga me benivolentia: quae, a communi Literarum studio profectae, consuetudinem inter nos conciliarunt eam, quae multos de his Literis privatim tulit sermones mihi et iucundissimos et fructuosissimos, ut eorum publicum prodere documentum ipsa me pietas iubeat. Accedit singularis quaedam tua erga hunc libellum voluntas, cuius ut ante instituendi, ita nunc instaurandi, suasor et hortator mihi fuisti praecipuus. Iam si nullae essent inter nos tantae necessitudines, satis tamen apud me valere debebat summa illa doctrinae tuae copia: quam quidem Tu, quo minus ad scribendum, eo magis ad iudicandum convertis. Quamquam sunt tuae, ut in longo usu accuratissimàque Veterum lectione, et Animadversiones plurimae plane egregiae, et est Theophrasteus Characterum libellus auctus a Te ac mirifice expolitus: qui studii tui fructus ne intercidant, Tu providebis, si quid apud Te vel Literarum commodum vel nostrae preces valent. Sed prouti ille philosophiae parens Socrates ingenio quamvis acerrimo nil ipse pariebat, sed aliorum parturientibus ingeniis obstetricis officium adhibens eorum foetus diiudicabat, iucundàque illa ironiae festivitate reprehensionem temperans, plurimos errore et opinionis vanitate liberabat et in rectam veri bonique viam revocabat: ita Tu, Praestantissime Fonteini, et studium tenacissimum et ingenium cultissimum in legendo et iudicando, non in scribendo, collocas, et illam iudicii severitatem humanitate temperans plurimis nostrorum hominum et profuisti et prodes: quorum nemo est, paulo quidem prudentior ac modestior, quin scriptum editurus, sive illud ad Antiquas sive ad Patrias Literas, sive ad solutam sive ad ligatam referatur orationem: nemo igitur est, quin

tuum expetat iudicium, et cum accedat ad Te, ut ad iudicem, a quo tam sit probari honorificum, quam reprehendi salutare, tum discedat a Te, ut se tuâ admonitione doctiorem melioremque discedere sentiat. Quare tua, praestantissime Fonteini, iam octogenarii senectus est illa quidem omnibus admirationi, et iure beata praedicatur, ut corpore animoque vigens, morum facilitate constans, doctrinarum studiis exhilarata, summorum hominum familiaritate florens: quae quamquam magna sunt et mirabilia, haud scio an maius etiam sit illud tuum bonum, cuius fructus in publicum effluit. Mihi certe in Te intuenti, nescio quo modo, semper occurrit illud L. Crassi dictum, qui senis beatitatem in dando consilio posuit, ut suo iure dicere senex idem possit, quod apud Ennium dicat Pythius Apollo: *se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,*

Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex
Incertis certos compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Plura hanc in rem dicere, quamquam et multa et verissima dicere possim, cum tua gravitas, tum meus me prohibet pudor. Illud unum intelligi volui, me non sine ratione facere, ut libellum Criticum ei viro inscribam, cuius et summa doctrina et diuturna vita in iudicio de his Literis, id est in Critico studio, consumta est. Nunc intermissae et instauratae scriptionis caussam accipe.

Igitur Bibliothecae Criticae scribendae primum socius, ut nosti, mihi erat Schultensius noster: qui partes tuebatur Orientalium Literarum, Censurasque in eo genere conscripsit eas, quae in tribus prioribus primi voluminis partibus exstant. Sed Schultensio in

Lugdunobatavam delato Academiam, Literae nimirum Orientales in hac Bibliothecâ conticuerunt, et solae iam relictae sunt Graecae Latinaeque; quarum tanta erat materia, ut faber ei deesse videretur. Hoc mihi loco non praetereundi sunt viri, qui in partem operis accesserunt. Primus est Ruhnkenius meus idemque Tuus, qui, ut Homerice dicam, in literata civitate nobis est

Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.

Hic igitur duas contulit Censuras, alteram *Commentarii de Palaestrâ Neapolitanâ*, ab *Ignarrâ* scripti, alteram libelli *Orphici de Lapidibus a Tyrwhyttio* editi. Nec alii defuerunt viri docti. Nam Laurentii Santenii est *Tibulliana* Censura: Iani Ruardi, *Verrianorum Fastorum*: Henrici Wagneri, *Horatiana* et item alia. Omnino de fabrorum paucitate non erat querendum, si *Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν*. Nunc tantus vacabat locus, cui ego explendo vix sufficerem. Quid igitur, inquis, tantusne is labor est, per totum annum scribere unum libellum, quales et multos quotannis, et multo maiores illos, multi Ephemeridum Scriptores edunt? Scio et novi, Praestantissime Fonteini, nec invideo, miror magis illam scribendi facilitatem. Mihi quidem in hac ingenii tarditate ad scribendum tempore et cogitatione opus est: *οὐκ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων.* Adde huc vitam occupatam docendi munere: quod, si ad profectus discentium administrandum est, plus temporis requirit, quam vulgo putatur, et, cum quotidiano instituendi opere, saepe necessitatem librorum conscribendorum adfert. Nam, ut antea in tradendâ Philosophiâ libellos confeciâ de Logicâ, Metaphysicâ, et Historiâ Philosophiae, quorum ille editus est: ita

nuper, ad Literas docendas traductus, in similem necessitatem inductus sum, meditorque cum maxime duos libellos de *Historiâ*, alterum de *Universali*, alterum de *Literariâ*. Nam quid de Plutarcho dicam, qui vetus est nomen, quod vix diutius deberi posse videatur, cuiusque edendi specimen hac ipsâ Bibliothecae parte prodendum duxi. Haec eo pertinent, non ut operam meam qualemcumque illam ambitiose iactem, sed ut Tibi, Praestantissime Fonteini, cui omnia mea probari cupio, temporis mei intermissaeque scriptionis rationis probem.

Alia difficultas exstitit ex ipsâ huius Bibliothecae formâ et designatione. Hanc enim ita instituteram, ut nec unice Criticas Animadversiones contineret, veluti *Miscellaneae* illae *Observationes Belgicae*; nec ut solam novitatem haberet, veluti complures nostrâ aetate Ephemerides, in quibus de libris quibusque recentissimis refertur. Quorum generum illud, solidum et austerum, non satis valet ad excitanda tenendaque hominum studia; hoc iucundum quidem, sed leve, haud fere alium fert fructum, nisi eum, qui cum ipsâ novitate perit. Igitur inter utrumque genus medium quoddam tenere studui; ut ab illo doctrinae diligentiam, ab hoc novitatis gratiam, assumerem. Quantum consecutus sim, alii iudicent: ego certe Thucydideum illud mihi proposui, liceat enim parva magnis conferre, ut non tam *ἀγώνισμα εἰς τὸ παρόν*, quam *κτῆμα εἰς ἀεὶ* conficerem.

Ceterum, novitate, quâ legentibus voluptatem quaerebam, mihi ipse molestias inveni. Quid aliis accidere soleat, nescio. Ego novissimos quosque in hoc genere libros legere, et ad certum quasi et praestitutum Censurae tempus legere, coactus, incredibile est quantum saepe taedii devoraverim. Ita enim se

res habet, ut vel optimum librum quovis tempore legere, nec libeat, nec placeat: nedum minus bonos, quorum est maior multitudo, quos ne attingeremus quidem, nisi censoria provincia necessitatem imponeret. Huc illud etiam iniucundum accedebat, quod Critica, ad certum librum adstricta, nec campum reperiebat, ubi liberius excurreret, nec locos satis frequentes, ubi alias Animadversiones exprómeret. Quare, ut huic incommodo occurratur, ab istà novitatis lege aliquantum remittemus, ac subinde, Te quidem, Praestantissime Fonteini, approbante, interponemus cum Criticas Diatribas in Veteres Auctores, tum ineditas eorum particulas, Observationes, Emendationes, aliasque huius generis scriptiones: veluti nunc adiecimus Specimen Plutarcheum et Animadversiones Iulianeas.

Iam quid de invidià censorii muneris dicam? Quae sane Censori, peculiari quodam fato, ab omnibus venit Scriptoribus, tum ab iis, quos censet, tum quos praeterit. Et hos quidem ego rogatos velim, ne scripta sua per comtemtum aut neglectum a me praeterita putent, sed sinant apud me valere rationes eas, quas modo dixi: cogitentque, nec omnia ad meam notitiam pervenire, nec me omnia legere posse, quae ad notitiam meam veniant: nec denique lecta omnia me diiudicare posse. Illorum, qui censentur, difficilius etiam est negotium. Ut enim Scriptor quisque scriptum suum, ut partum pater, diligit ac pulchrum putat, ita laudes, ut debitas verasque, nullà magnopere benivolentià, reprehensionem, ut falsam immeritamque, odio accipit. Unde fit, ut, quum nulla sit laudis gratia, quae reprehensionis invidiam compenset: Censori rationibus subductis summa semper maneat invidiae. Contra quam si et ipse Censor animo sit

firmo ac munito, et Censuram suam probet aliis iisque doctissimis viris; ego tamen, nescio quomodo, nil me profecisse putem, nisi iudicium meum huic ipsi homini, de quo iudicaverim, probem. Ita Socrates in convincendo adversario, magis unius adversarii, quam multorum testium assensum sibi quaerebat. Quod cum praestare Censor non possit, illud certe praestare et potest et debet, ut suum ipse sibi iudicium probet. Atqui hoc ipsum audienti facile videtur, experienti difficillimum reperitur. Me quidem duo semper scrupuli sollicitant; quorum alter ad Scriptorem, de quo iudicatur, alter ad Censurae difficultatem, refertur. Uterque cuiusmodi sit, Praestantissime Fonteini, operae pretium est cognoscere.

Et primum de Censurae difficultate, quidque hoc sit censere, quamque vim habeat, videamus. Nimirum nomen ductum est ab more Romano, quo Censor cives, suis quemque facultatibus, suis bene secùsque factis, in certam classem redigebat. Ergo librum censere est, eum laudibus vitiisque suis aestimare et suo loco, tamquam classe, ponere. Hoc iam ipsâ professione, nescio quam, habet arrogantiam, te unum e multis surgere non modo ad dicendum, sed ad censendum. Cedo vero etiam rem, quam censeas? Scilicet haec eiusmodi est, quae ne cadat quidem sub eam Censuram, quam volumus, quamque ipsa nominis vis ac ratio postulat. Neque enim ingeniorum, prouti corporum, certam mensurae significationem nobis dedit Natura: nec doctrinam licet aestimare aut librâ, ut gravitatem ponderis, aut thermometro, ut gradum caloris. Nunc multâ opus est libri descriptione, eiusdem cum similibus libris comparatione, frequenti speciminum commemoratione, modo probatione, modo laudatione, modo reprehensione, omni explicandi viâ et

ratione, omni mentis in omnes partes agitatione et conversione; ut vel aliquatenus libri pretium laudisque gradum intelligat legens, ac saepe ne intelligat quidem, nisi ipse harum rerum peritiam usumque ad Censurae lectionem adtulerit.

Alter scrupulus, Praestantissime Fonteini, referebatur ad ipsum Scriptorem, de quo iudicatur. Nam in omni Scriptore duae sunt quasi personae, altera Scriptoris, altera hominis: quae personae nisi probe discernantur ac distinguantur, male in alterutram partem, leniorem severioremve, iudicabitur. Ergo perperam faciunt, qui Scriptorem quaerunt, ubi non nisi hominem quaerere debebant, et contra. Hoc obscurius forte dictum exemplo explanetur. Meminimus, Praestantissime Fonteini, nos saepius audire ex hominibus peregre venientibus, cum dicerent, se apud virum doctum fuisse, sed eum nil locutum, quod celebratâ ipsius doctrinâ dignum esset. Nimis quidem illi cupide et imperite: Scriptorem quaerebant, ubi homo quaerendus erat: quasi vero e doctorum virorum ore perenne doctrinae flumen manare debeat. Immo, quo plus doctrinae expromunt scribentes, eo minus expromunt otiantes: licetque iis ad eam se remittere quietem laxationemque, ut infra communium etiam hominum captum sapere videantur: quale illud est Scipionis et Laelii, qui rusticantes mirabiliter repuerascebant.

Neque vero minus peccant, qui hominem quaerunt, ubi Scriptor quaerendus erat. Quod est vitium Censorum, qui in iudicio de libro non unice librum ipsum, sed eiusdem Scriptoris famam, alias scriptiones, reliquam vitam, spectant eiusque invidiâ aut benivolentiâ ducuntur. Quo in genere si in mitiorem partem peccatur, nec peculiari erga hominem beni-

volentiâ, sed cogitatione communis sortis et imbecillitatis humanae; hic est unicus locus, ubi Censori erranti velim ignosci: si modo ignosci possit ei, qui semel tam grave munus susceperit. Mihi quidem, quotiescumque Scriptorem reprehendo, in mentem venire solet, eum, quamquam malum Scriptorem, fortasse non malum hominem esse: eaque cogitatio reprehensioni veluti manum iniicit, eiusque iter retardat. Ex quâ dubitatione ita me ipse ad iudicii integritatem revoco, ut cogitem, quid ego mihi muneris sumserim in censendo, quid sibi Scriptor in scribendo. Atqui Censoris est vere accurateque iudicare: Scriptoris autem est ita scribere, ut et praeclare secum agi putet, si vere accurateque iudicatur: et in animum inducat suum, se non sibi aut paucis iisque imperitis scribere, sed omnibus prudentibus et qui nunc sunt et qui postea erunt, in eorumque se quasi consessu et iudicio caussam dicere. Qui secus facit, ut egregio Longini dicto utar, ἀσχημονεῖ πρὸς τὸν αἰῶνα, indecore agit coram omni et praesente et futurâ aetate: cumque ipse nullâ hominum reverentiâ utatur, inique postulat, ut erga ipsum reverenter et mollius, quam verius, agatur. Qui in publicum prodeunt, vestitum sumunt decorum, certe tempori locoque convenientem, nec quid ineptiarum offensionisque habentem: et qui publice loquuntur, operam dant, ut nil aut ineptum aut aliorum cognitione indignum afferant. Ergo quâ hi verecundiâ utuntur erga paucos praesentes, hac scribens non utatur erga omnes et praesentis et futurae aetatis homines? Immo vero utetur, et eo magis quidem, quo minus quam aliis scribenti ignosci potest. Etenim quando scribimus, tum in uno argumento cogitationem omnem collocamus, tum maxime vigemus et vigilamus: estque,

certe debet esse, status scribentis is, in quo maxime valet homo, ubi se ipse vincit, ubi, quod Graeci dicunt, *ἑαυτοῦ κράτιστός ἐστιν*. Atqui, si, ut hoc utar, iudicium de mentis sanitate nobis subeundum esset, certe illud eo tempore potissimum subire velimus, quo potissimum vigemus ac valemus. Iam qui illo tempore, quo maxime vigere ac valere debebat, ineptus fuerit, nae is aliis sapere temporibus perperam putetur.

Ceterum, si Censor, quam legem in Scriptores, eandem in se ipse statuit: si haec etiam ei nova accedit difficultas ad alias, cum quas dixi multas, tum quas non dixi innumerabiles: si has ego difficultates re et usu expertus, a censorio munere destiti; poteritne ulla tanta exstare causa, quâ denuo ad idem munus suscipiendum adducar? Una, Praestantissime Fonteini, etiam exstat caussa, Tua voluntas, quam negligere me non sinit mea erga Te pietas. Huius Tu pietatis monumentum accipe hanc scriptionem: Tibique ita persuade, me, cum omnem vitae suavitatem Literis debeam, tum in eâ praecipuo loco ponere Tuam amicitiam, Tuamque lucem; quibus mihi ut porro diutissime frui liceat, non mei tantum, sed ipsarum Literarum caussâ, vehementer opto. Vale. Scripsi Amstelodami d. xxix. Nov. MDCCLXXXVII.

EPISTOLA AD HIER. BOSCHIUM.

Biblioth. Crit. P. XI. praef. Opusc. T. II. p. 40 sqq.

Hieronymo de Bosch, amico eruditissimo, veterrimo, optimo, S. P. D. Daniel Wyttenbach.

Urbis amatorem Boschum salvere iubemus
Ruris amatores: —

Ohe! iam versum abrumpere cogor. Ecce, mi Boschi, hanc ad Te epistolam scribere instituens, hoc Horatianum exordium nactus, et ut mire opportunum apponere pergens, protenus offendo in proximis;

— — *hac in re scilicet una*
Multum dissimiles; at caetera paene gemelli.

Neque enim gemelli, nec hac in re unâ multum dissimiles, sed in aliis multis sumus. Iam deinceps,

Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter:
Annuimus pariter, vetuli: —

convenit in nos hoc, *Fraternis animis vetuli*; at non item alterum: neque enim quidquid alter, negat et annuit alter: sed, ut multis in rebus consentimus, ita in multis rursus dissentimus. Et tamen, et Tu me amas, et ego Te: et vetus est hic amor: nec, nisi ita esset, hanc ad Te publice epistolam scriberem. Quamquam et aliae mihi huius scriptionis caussae fuerunt. Quae tandem illae? Primum: Tu vis Tibi tale quid a me scribi: idque saepe mihi et significasti et declarasti. Deinde: ego volo; intelligo enim, me Tibi tale quid debere; quandoquidem Tu mihi politissimum tuum carmen *de hominum aequa-*

litate ante hos duodecim annos dicasti. Sane, ex illo tempore saepe observavi et quaesivi, si quid in mearum proventu Musarum haberem, quod Tibi donarii loco reponerem. Nihil reperiebam. Nam *Plutarchus*, qui mihi unum et perpetuum opus erat, Oxoniensi Academiae debebatur. Et si quae alia erant subita et subseciva, haec ad alios spectabant. Fuit in his liber *Selectorum ex Historicis Graecis*; huius praefatio pertinebat ad lectores discipulosque meos. Fuit *Vita D. Ruhnkenii* nostri: quae ipsius manibus integra illibataque servanda videbatur. Et quod nuper repentino impulsu, et quasi ipsius Platonis instinctu, ad eius Phaedonem edendum me conieci: nolui Tibi librum inscribere, cuius nobis non esset commune studium. Neque vero privatus fuit infrequens proventus, in antiquis Scriptoribus vel ad meum usum ita relegendis, ut mihi viderer multis locis ad intelligentiam et emendationem profecisse: vel interpretandis ad discipulorum institutionem: quo in genere Horatianos quosdam libros, veluti illum De Arte Poëtica, Epistolam ad Augustum, alios, quosdam item Virgilianos, tum Ciceronianos De Officiis, De Legibus, De Oratore, De Divinatione, De Senectute, De Amicitiâ, Paradoxa, ne dicam de Orationibus et Epistolis: hos igitur libros in scholis meis interpretatus sum ad eum modum, qui fere novae editionis instar esset. Ex his quum ante biennium illum De Senectute Tibi inscriptum edere constituissem, Tuque illam spem lubens praeciperes, mox intellexi, si quidem non modo aliis, sed ipse mihi, satisfacere vellem, apparatu variarum lectionum ex antiquis libris opus fore ampliore, quam quem ipse tempore tam multis laboribus occupato colligerem. Itaque hoc editionum aut abiecimus consilium, aut

certe in posterum reiecimus: et si quid in scholarum nostrarum dictatis novae lucis inesset, totum hoc in Bibliothecâ Criticâ, si quando eam instauraremus, prodere decrevimus. Huc accedebat Hengstius noster, subinde flagitans, ut sibi Bibliothecae Criticae Volumen Tertium ne inchoatum relinquerem, sed additis duabus partibus explerem. Agnovi caussae vim et honestatem: promisi me, si quando aut Plutarchei operis perpetuitate, aut aliorum studiorum satietate, ut fieri solet, defatigatus, materiae novitate et variandis laborum vicibus animum aliâ scriptione recreare vellem, materiam scriptionis Bibliothecam Criticam sumturum. Sed hoc eiusmodi erit, ut, si forte, expleto hoc Volumine, in eodem scriptionis genere pergere velim, non me rursus in eamdem quadripartiti Voluminis explendi necessitatem concludam, sed integrum mihi reservem iudicium de Partium numero, ut in postremâ quavis Parte, tamquam finito opere, desinere liceat. *Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;* tam diu intermisso et vix resumto penso, novum etiam animus somniat? Atqui cum exceptione haec dicuntur, *nisi quid acciderit:* et, ut omnia nostra, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.*

Caeterum, resumtâ subito per hoc feriarum otium Bibliothecae Criticae scriptione, Tui mihi continuo, mi Boschi, in mentem venit. Age, inquam, faciamus, ut eâdem operâ duplex nomen solvamus: et librum diu studiosis hominibus debitum absolvamus, et eum Boschio inscribamus: et quidni Boschio eodem iure Tertiam Partem, quo Primam Fonteinio? praesertim meliore conditione. Nam ut Fonteinium, tamquam communem parentem, paterno honore coluimus, ita me et Boschium caritas et familiaritas quasi fraterna iunxit: et debeo ei vicissim munusculum: et contentus

erit eo, quod dabo, nec novum reponet, cui ego rursus novum et ipse reponere debeam. At Fonteinio scripsi gratuitâ pietate: nil ei debebam: nec mihi rescripsit, sed opus imposuit, Theophrasti editionem. Haec est illa in superiore huius Bibliothecae Parte mihi dicta adoptiva et indotatá filia: quam dictionem nonnulli perperam acceperunt. Nosti, auctore Herodoto I, 93, Lydis morem fuisse filias prostituere, ut, corpore quaestum facientes, dotem sibi futuri matrimonii colligerent. Ab hac ratione mea pietas abhorrebat: quamquam non dissimile in aliorum scriptis edendis subinde usurpatur. Ego adoptivam filiam prostituere nolui: nemini eam venditavi, nec utendam concessi: nullam eius floris partem nec ipse delibavi, nec aliis delibandam permisi: integram virginem, pudice, liberali septam custodiâ servavi: nec nisi in adolescentum doctorum, eorumdemque castorum et modestorum, conspectum et colloquium eduxi; si forte aliquis eorum in matrimonium sibi eam expeteret. En! inquam, haec est adoptiva mea filia, quae dotem quidem non habet eam, quae vulgo dos dicitur, sed aliam longe maiorem: quae nunc nondum apparet, apparebit autem, si ad eam colligendam studium et laborem contuleritis: colligenda est per Graecarum Romanarumque Literarum scientiam, cum ex Veterum libris, tum apparatu et commentario patris formando et expoliendo: ita vobis puella magnam gloriae dotem adferet: ego vobis dux et adiutor operis ero. Adhuc nemo fuit, qui eius amore caperetur: nec tamen desunt, qui prae se ferant, se conditionem non repudiare, sed deliberare. De quibus, si, quod nolim nec fore opinor, spes nos defecerit, puella ad Teleobaptistas se abituram minatur, ubi alatur et fortasse, quamvis vetula, in matrimonium collocetur.

Tecum, mi Boschi, alia mihi caussa est: non metuo, ne Tu quoque adoptivâ me filiâ ferias. Scribo hanc ad Te epistolam, ut duplici officio defungar, eiusque debiti conscientiâ, quasi onere, animum levem et religione solvam, antequam ad plures abeam, quod Socrates in Phaedone dixit, *ἀσφαλέστερον εἶναι μὴ ἀπιέναι πρὶν ἀφοσιώσασθαι*. Sed et ipsa per se amicitia hoc a me sive munus sive monumentum postulabat. Quae si, secundum Veteres, virtus est, nec virtus sine prudentia esse potest, prudentiae autem est se ipsum noscere; da Te mihi parumper, mi Boschi, redi mecum in memoriam priorum temporum nostrorum, ut cognoscamus, a quibus initiis profecta nostra amicitia, quibus officiis culta et confirmata, et adhuc floruerit, et in posterum se tueatur.

Annus erat MDCCLXXI, quum ego adolescens, hac in Academiâ Literis studens, principum ingenio doctrinâque virorum, Ruhnkenii et Valckenarii, consuetudine et amicitiâ fruens, nec aliud nisi finito anno reditum in patriam cogitans, cathedram Literarum et Philosophiae in Amstelodamensi Remonstrantium Collegio, commendatione duumvirorum nostrorum mihi oblatam, eorumdem hortatu accipiebam. Uterque huius mihi stationis opportunitates praedicabat, in his urbem frequentem Literis et studiosis earum hominibus, quorum plerisque meum adventum haud ingratum fore, certe Petro Fonteinio et Hieronymo Boschio: illum multae lectionis senem, Theophrasti Characteres edere parantem, me sibi adiutorem expetiturum: hunc iuvenem Literarum amore ardentem lubenter mecum in earum studio versaturum: *et Boschius facit bonos versus,* aiebat Valckenarius, *et prosam orationem melius scribit, quam solent vulgo, qui versus faciunt: en! librum, quem modo*

edidit, G. Hooftii Carmina Iuvenilia: erat enim liber prae manibus: inspicio, video praefationem pure et eleganter scriptam: continuo de Te bene sperare coepi.

Mox Amstelodamum excurro, habitationem aliasque commorationi necessarias res prospecturus. Quibus prospectis, Fonteinium adeo: qui me comiter excipit, erga hominem non ante visum propriam sibi gravitatem humanitate temperatam obtinet: gratum sibi meum adventum esse, gratam consuetudinem fore: quaerere de meis studiis et Plutarcho, ego de illius Theophrasto, ille mihi narrare de Hemsterhusio, ego illi de Ruhnkenio et Valckenario: tum mittit, qui Te accessat in vicinia habitantem. Pergo narrare seni. Tu advolas, alacer, fervidus, antiquo more candidus, simplex, apertus, insignis ad benevolentiae effusionem, ad sententiam pronunciandam promtus: alloquens ut diu cognitum: „*Salve, mi Wyttenbachi, gaudeo te ad nos venisse, spero nos amicos et familiares fore, spero Literis una operaturos.*" „*Et tu,* inquam, *mi Boschi, salve, et spero ita fore, ut ais.*" Tum Tu de studiis tuis narrare, Homero, Hesiodo, Theocrito, hos te legisse, sed ad Homerum rediisse, hunc iterum et saepius et semper legendum esse: et intonas illud, hunc esse, *a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis.* Ego, cui hic impetus et sonus plane novus accideret, „*Agnosco te,* inquam, *mi Boschi, plenum Homeri numine: et rite facis: nam, ut Aratus carmen suum ab Iove orsus est,* Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, *ita Quinctilianus praecipit, initium studii Literarum ab Homero ducendum esse: haec semper regia via fuit: quam tu viam secutus, quantos progressus feceris cognovi nuper ex libello tuo, quem vidi apud Valckenarium: qui ait, te*

bonos versus facere, et prosam orationem melius scribere, quam vulgo soleant, qui versus faciant: et sane mihi videris Ciceronem, Nepotem, Terentium diligenter lectitasse.“ Ad haec Tu: *„Ain' tandem, hoc Valckenarius dixit? ain' tandem, hoc tu iudicas? atqui sunt hi auctores, quos quotidie lego, ad quorum exemplum stilum ipse meum formare studeo: tu vero, an etiam versus facis?“ „Nondum,* inquam.“ *„Quare nondum?“ „Quia nondum alia satis didici.“ „Tu alia nondum satis didicisti? quaenam illa?“ „Et prosae scriptionem,* inquam, *et alias multas Literarum partes.“ „Et tamen,* inquis, *pulcrum est versus facere!“ „Est omnino,* inquam, *pulcrum, pulcros versus facere; nec modo pulcrum, sed paene divinum; quod poësis in altum evolat sublimis, prosa autem, ut vocatur, ita est pedestris oratio, et humi incedit: me quidem nemo inducet, ut divinitatem appetam, antequam humanitatem satis perceperim.“* Fonteinius placide subridens, *„Ita est,* inquit, *suum cuique iudicium in his studiis servandum est: qui bonos versus facere potest, faciat; est enim egregium: qui non potest, ne faciat: est enim non modo malum poëma, sed mediocre etiam, intolerabilis res, iudice Horatio: mediocribus esse poëtis, non homines, non Di, non concessere columnae: in aliis rebus mediocritas fertur: prosa scriptio, quamvis mediocris, toleratur, quare? quia cogimur prosâ uti: versus facere nemo cogitur: mediocres versus nonnisi in pueris et adolescentibus ferendi sunt, quibus pensi loco datur haec exercitatio, utilis sane ad numerorum modorumque cognitionem faciliorem, ad studium excitandum, ad ingenium exhilarandum: semper equidem ita iudicavi, bonum poëtam esse*

non posse, nisi cui, praeter ingenium et linguae scientiam, etiam doctrinae copia adsit, cuius varietate doceat et delectet: tali demum homini concedatur versus facere, si valeat componendi facilitate, nec totos dies in pariundis paucis versibus desudet, sed ad Ovidii similitudinem accedat, cui sponte suâ numeros carmen veniebat ad aptos: igitur inter eruditissimos etiam viros et in poëtarum lectione versatissimos plurimi fuerunt, qui a poematibus pangendis abstinerent: veluti nostrates I. F. Gronovius, I. Perizonius, T. Hemsterhusius, et qui nunc sunt, L. C. Valckenarius, et D. Ruhnkenius: exteri, ut puto, I. A. Ernestus, et R. Bentleius, quamvis omnium μετρικώτατος." Ad haec Tu videbaris, et dum loquebatur, et quum desierat, quaedam obiicere velle, sed senis verecundiâ te ipsum cohibere: denique, „*Sit ut vultis,* aiebas: *nunc a te peto, Fonteini, ut mihi Wyttenbachii copiam facias, eumque hanc vesperam mecum esse sinas, si quidem vult et vacat.*" „*Et volo,* inquam, *mi Boschi, et vaco.*" Ita Fonteinio salvere diximus, ad Te concessimus.

Ibi Tu, quasi liberior et Tibi redditus, naturae obsequebaris tuae, Tuorum mihi bonorum cognitionem impertiebas, clausos adhuc sapientiae thesauros recludebas; ut mihi Socratis in mentem veniret, quem Alcibiades, apud Platonem in convivio, cum statuis Silenorum comparavit, quae bifariam apertae intus habere deprehenduntur *ἀγάλματα θεῶν*, signa deorum. Ostendebas mihi annotationes tuas in Homerum, Hesiodum, Theocritum: ostendebas in Ciceronem, Terentium, Horatium, alios: quas ego mirans accurate et ad grammaticam diligentiam factas „*Nae,* inquam, *mi Boschi, licet iam tibi impune versus facere; qui*

nil remittis ex grammaticâ severitate; quod multis, qui versus faciunt, accidere videmus." Reliquum tempus ad focum, inter Socratica pocula, id est minuta et rorantia, et literatos sermones traduximus. Erant haec inter nos deinceps perpetua: „*En illum Homeri locum prorsus divinum! En tibi illum in alio genere non minus divinum! Quid hunc dicis, longe omnium divinissimum, quem Virgilius plane divinitus reddidit? Ah! Virgilium mihi dicis: quem nemo, nisi qui Homerum edidicit, intelligere potest: quem ego quum puer tanto studio et admiratione legissem, ut nil perfectius, nil mihi magis intellectum putarem Virgilio, magis etiam admirari et intelligere coepi, postquam Homerum legissem. Sine Graecis literis nulla est salus in Latinis, dimidium et lucis et suavitatis abest, et plane illud Homericum accidit,* Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς."

Haec fere simul ambo et communiter celebrabamus. Tum ego: „*Recte ais: nam quid ipsi Latini Scriptores sine Graecis Literis fuissent: Cicero, qui nunc in aliorum Latinorum iacturâ unus nobis instar multorum est, quem et in oratoribus Demostheni et Isocrati, et in philosophis Platoni et Xenophonti opponimus, quo nec doctrinae copiâ, nec orationis perspicuitate, suavitate, gravitate, quid excellentius esse potest, numquam ad hanc laudem pervenisset, nisi a Graecis Literis omnia illa bona in Latinas Literas transtulisset.*" Hic Tu: „*Noli de Cicerone secus quid dicere: quem ego dies noctesque lego, nec eius lectione unquam satiari possum: ut hoc in epistolis eleganter dixit! ut illud in Orationibus festive! ut rursus illud egregie! Dii boni! qui ita scribit, hunc ipsum Deum esse*

oportet." „*Est ita*, inquam, *optime Boschi: nemo omnium me magis tecum consentit in amore Ciceronis: nec eum solâ doctrinâ, sed naturâ etiam valuisse aio: nec sine utriusque praestantiâ et coniunctione tantam divinitatem consequi potuisse: est illud ipsum quod Plato dixit in Phaedro* (p. 354; C.) εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἄλλα· εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσῃ ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προςλαβὼν ἐπιστήμην καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσῃ· *tria esse, quibus quis aliquo in laudis genere, item in eloquentiâ, magnus fiat, naturam, doctrinam, exercitationem: doctrinam appellans* ἐπιστήμην, *scientiam, artem, rationem ac viam, quam alii methodum et theoriam dicunt.*" Tum Tu: „*Apage, mi Wyttenbachi, omnes methodos ac theorias! quibus hodie quoque multi, qui se philosophos esse volunt, nos poëtas alligare cupiunt: nil est impudentius illis hominibus, qui nec Latinam linguam, nec versus facere, sciunt, et tamen de his iudicant, et secundum leges ab ipsis latas nos censere et regere audent.*" „*Omnium rerum*, inquam, *etiam optimarum, perversus usus fieri potest: sed Ciceronem quoque nosti illa tria quasi fundamenta ponere eloquentiae, et de hac ipsâ methodo et arte egregios illos rhetoricos libros scripsisse, De Oratore, Brutum, Oratorem, alios.*" „*At ego te*, inquis, *ipso Cicerone auctore confutabo, qui in his egregiis De Oratore libris alicubi affirmat, naturam atque ingenium vim ad dicendum adferre maximam.*" „*Credo equidem*, inquam, *maximam dicit, non omnem, ut artem et exercitationem excludat: et ego te confutabo auctore Horatio tuo, qui dicit, doctrina vim promovet insitam.*" „*Vah! Horatium mihi opponis? quem recte meum dicis,*

quem in oculis fero, quem de manibus numquam depono! quasi vero is illo loco, vel de eloquentiâ aut poësi, aut aliarum rerum scientiâ, ac non de virtute loquatur, vel doctrinam aliam dicat, quam educationem et institutionem: tune putas Horatium carmina sua composuisse secundum praecepta alicuius philosophi aut grammatici, ac non ista vincula bonitate naturae contemsisse, et ingenii impetu in altos nubium tractus evolasse?" „Ego, mi Boschi, inquam, *in iudicio de Horatio, ut de aliis magnis Scriptoribus, sequor Platonem meum: dico, Horatium naturâ valuisse, tum doctrinam et exercitationem assumsisse, ita magnum poëtam exstitisse: item iudico de Virgilio et omnibus magnis poëtis: de Cicerone in eloquentiâ, et de omnibus magnis oratoribus: et item de aliis generibus: nam, quod dixisti de praeceptis artis, Horatium iis studuisse, res ipsa et eius Ars Poëtica loquitur: iam vero eum Graecis Literis non modo excultum, sed repletum fuisse, et totum a Graeco fonte manasse, et singuli versus et tota poemata produnt: igitur, ut in eius Carminibus sublimitatem et maiestatem, in Satiris et Epistolis sapientiam et urbanitatem miror, ita video, unde haec fluxerint: agnosco in illis Lyricos Graecos, Alcaeum, Pindarum, Sapphum: in his Socraticos, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Bionem: in utrisque omnem Graecorum eruditionem: quis enim huius ignarus Horatium intelligat? sed exercitatio ac doctrina extrinsecus veniunt, ingenium intrinsecus ab ipsâ naturâ insitum adesse debet: cuius nisi tamquam agri bonitas subsit, exercitationis ac doctrinae quamvis bona semina frustra in eo seruntur, ac pereunt."* „*Plane tecum,* inquis, *sentio: modo ne*

in doctrinae instrumentis numeres ista compendia rhetoricae et poëticae, non dico antiquorum aut ad antiquam rationem scribentium, sed novissimorum ieiune et misere philosophantium." „*Non faciam,* inquam; *modo tu mihi vicissim concedas, hodieque item comparatum esse ut antiquitus, neque posse quemquam ullâ in Literarum scientiâ et facultate magnum existere, nec bene prosam scribere; nec bona pöëmata pangere, nisi ad naturalem ingenii facilitatem accedat exercitatio et doctrina, id est, ut Veteres perpetuo legamus, et saepe multumque scribamus, nostraque scripta sedulo cum Veterum scriptis comparemus ad eorumque exempla conformemus.*" „*Atqui hoc ipsum est, quod et ego factito, et alios factitare hortor: iam nuper aliquot impuli adolescentes ad haec Literarum studia capessenda: hi tui discipuli erunt.*" „*Macte virtute: qui tantopere de Literis mereris: sane audivi, te hac in urbe haud dissimilem Socrati item obire et adolescentes ad bona studia incitare: sed de Socrate fuerunt qui dicerent, eum fuisse ad* προτρέπεσθαι ἱκανώτατον, *non item ad* προαγαγεῖν, *efficacissimum ad impellendum, minus efficacem ad producendum, id est, ad leniter ducendum et quasi docendum: sic enim Cicero ad Varronem accommodavit Acad.* I, 3: *philosophiam, inquit, multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum. Tu fortasse, mi Boschi, utrâque facultate vales: ego impellendi facultate parum valere me fateor.*" „*Haud equidem,* inquis, *miror: nam videris mihi aliquantum frigere, nec pro eo, quantum in Literis profecisti, earum amore ardere.*" „*Unusquisque,* inquam, *suo more ardet: alius vehementius, ut tu: alius lentius, ut ego: velim modo istud, quantu-*

lumcumque mihi est ardoris, cum aliis communicare possim: nam semel incensum haud desperem in ardore servare, docendo et doctrinâ, tamquam oleo, infundenda: quare, mi Boschi, etiam atque etiam te rogo, ut istud disciplinae munus mecum quasi partiaris: tu primas partes easque breviores, sed tamen primas suscipias impulsoris, seu mavis incensoris; ego secundas, doctoris, motum regentis, et ardorem alentis; sed narra mihi, sodes, quomodo quem incendas: iuvat hoc scire et proderit ad meum mihi munus recte tuendum.“ „Vide, inquis, *quomodo agam: adolescentulos studiis destinatos moneo, ut attendant, quod sit momentum studiorum; sine Literis Graecis et Latinis nullam esse in ullo genere salutem: ostendo exempla, homines, qui hac viâ ad summam gloriam venerunt, et rursus, qui, neglectâ eâdem viâ, inglorii et contemti manserunt: fidem et auctoritatem mihi facio apud audientes: credunt: tunc pulcrum aliquem poëtae locum iis praelego, ut moveantur et attenti reddantur, hunc iis locum interpretor, verborum vim aperio, constructionem necto, sententias declaro, manifeste et significanter: ecce, illud, quam venustum! en hoc, quam sublime! viden' hanc imaginem, quasi picturam oculis subiectam! sentisne? Locum ita pertractatum denuo iis praelego: et plerumque ita afficiuntur, ut cum poëtâ in altum evolent, nec relinquere eum velint, donec perlegerint.“ „Nae tu,* inquam, *Boschi, philosophus es, licet te esse nescias et nolis.“ „Quid ita?“ „Quia adolescentibus alas addis, eosque volare doces: lege Platonem in Phaedro, docentem hoc esse philosophiae proprium munus, excolere et instruere alas animi, quibus ex his terrenis rebus ad*

coelestia evolet: sed cedo, locos quos adolescentibus pro alarum quasi remigio adhibes?" „Ha! Veteres philosophi: hi alii fuerunt atque isti hodie dicti philosophi, qui de Veteribus iudicant, nec eos legerunt." „Sic est: sed cedo illos versus, quibus tu adolescentes ad studia incitas." Hic Tu, mi Boschi, recitabas eiusmodi locos, eâ voce et vultu, ut facile agnoscerem, Te ad recentes iuventutis animos movendos haud parum valere debere. Caeterum ex alio in alium locum incidebamus, qui nobis quasi manum iniiceret, nosque retineret vel admiratione pulcritudinis, vel dubitatione de verâ sententiâ et scripturâ. Itaque continua deinceps nobis invicem erant haec: *„Ut hic mirificus est locus! Ut illud egregie dictum! Hoc vero ita, ut nil supra! Quomodo tu hunc locum interpretaris? ego sic. Criticus aliquis ita correxit. Immo corrigere voluit, et locum corrupit. Non amo istam mutandi libidinem."* — Ita sermones nobis ad multam noctem fluxerunt. Aderant duo quidam tui familiares, haud indocti, qui nos libenter audirent.

Abii a Te ita ἐπᾳδόμενος, ita Tui amore captus, ita affectus, ut me a neminis unquam congressu affectum abiisse memineram. Tum reputans apud me, quid illud fuisset, quo me tantopere cepisses, etiam aliud, praeter studium Literarum, reperisse mihi videbar. Nam erat hoc quidem validissimum ad amorem invitamentum, studiorum communio. Placuerat mihi, quod Tu, quamvis versus faciens, tamen prosae et Ciceronis esses studiosus: Tibi, quod ego, quamvis versus non faciens, tamen poëtis multum tribuerem. Quos Tu legeras auctores, hos et ego legeram: igitur loci, quos alter proferret, alteri non erant ignoti: et erant eiusmodi, ut nostrum utrique placerent: haec

nobis fuit materia συμπαθείας, quae est pars amoris. Tu Graecarum Literarum eras cupidissimus: ego aliquantum in iis profeceram. Tu me amare videbaris: hoc amorem erga Te mihi faciebat; ut est proverbium, ἔρως ἀντέρωτα τίκτει. Huc accedebat, quod Tu bonus homo eras, et me item esse haud dubitares: dicerem, *et ego item bonus eram*, nisi de se ipso haec professio speciem levitatis habere putaretur: magnum enim quoddam hoc est, *bonum hominem esse*, et vere dicitur χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι· ab aliis tributam sibi hanc laudem accipere licet: eruditum se esse, et ipsum profiteri, puerilis est vanitatis: nec, ab aliis tributum accipere, invidiâ caret. Certe amicitia, nisi inter bonos, esse nequit.

Migravi Amstelodamum, eodem anno exeunte. Statim et quotidie una fuimus, et in studiis, et in omni vitae consuetudine. Mox tertius nobis accessit studiorum socius, Matthias Temminkius, vir optimus, Wesselingio doctore eximiâ Literarum et Historiae scientiâ eruditus, novam editionem Aethiopicorum Heliodori moliens. Hic nobis plane erat, *mitis sapientia Laeli*: cuius cum lenitate Tuus fervor, nescio quomodo, congruebat. Ita tres, magnâ voluntatum consensione sodalitium iunximus, et sermonibus de omni Literarum genere, tum vero lectione Sophoclis, Euripidis, et Aristophanis frequentavimus. Hanc rationem per biennium tenuimus. Temminkium respublica sibi asseruit: cuius compluribus muneribus magnâ in temporum varietate, magnâ fide functum, nunc Leida nostra fovet in otio literato et pio senescentem; omnibus literatis optantibus, ut Heliodoro suo, aut ipse, aut per alium, publicam lucem impertiat.

Neque vero alterum reticeamus sodalitium, quod a diebus Martis, quibus singulis habebatur, *martiale*

cognominare solebamus, non quidem illud unice nostris Literis earumque commentationibus, sed universe doctis et iucundis confabulationibus dicatum, et peramanter iunctum: cuius, nobiscum tribus, quinque alii fuerunt sodales.

Fuit Fred. Guil. Boersius, vir ad omnem elegantiam natus, Ruhnkenii nostri disciplinâ ad politiorem Literarum scientiam excultus, clarus doctâ disputatione *De Anthropologiâ Stoicorum*: quibus dotibus accessit multiplex lectio, et hominum, cum in patriâ, tum apud exteros, usus: animorum observatio: sermo utilium et iucundarum rerum commemoratione frequens, idem perfacetus, sine offensione et acerbitate; immo in omni congressu urbanitas, et cum benevolentiae significatione amabilitas. Difficillimis reipublicae muneribus ac negotiis magnâ cum laude spectatus, communi rerum conversione afflictus, temporum iniquitatem suâ ipse constantiâ vicit: nunc animum ingeniumque vetere Musarum commercio recreat et sustentat.

Huic coniunctissimus, ingenio et temporum fortunâ persimilis, Nicolaus Paradysius, medicus *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*, iam tunc iuvenis eleganti Literarum et Latinitatis iudicio valebat: usu et ratione medicinae excellens assumebat historiam artis, ut sciret, quid antiquae esset doctrinae, quid recentioris: Veterum et simplicitatem sequeretur et auctoritatem tueretur, eamque ab novatorum calamistris et cincinnis integram servaret: similis *hac in re scilicet* Tibi, mi Boschi, antiquum obtinens: caeterum sermo, *παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως*, ex audiendi silentio et cogitandi acumine existebat subtilis, perspicuus, suis partibus nexus, interspersus leporibus et aculeis Nunc ex vetere sodali novus collega, saepe mihi sodalitii illius

dulcedinem et narrat et refert. Sed pergo ad caeteros.

Henr. Const. Cras, eodem, quo ego, tempore, privatus item, Leidâ Amstelodamum ad ornandam cathedram vocatus: quae fortunae communio primum notitiâ nos, tum consuetudine et amicitiâ conciliavit: ad Iurisprudentiam docendam duo magna adferebat, quibus eam et firmaret et ornaret, adiumenta: alterum, usum Ciceronis, indeque ductam Latinae orationis bonitatem: alterum, Philosophiae cognitionem; ut inter principes Iurisprudentiae et ad eius laudis similitudinem pervenerit, quam Servio Sulpicio tribuit Cicero (Bruto 40, 41): et eloquentiae assumserit tantum, ut Iurisprudentiam facile tueretur: et artem adhibuerit omnium artium maximam, quae doceret, rem universam tribuere in partes, latentem explicare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa diiudicarentur, et quae quibus positis essent, quaeque non essent consequentia. Huc accedebat comitas blanda et sermocinatrix, ut et vulgo libenter audiretur, et perspicue intelligenterque docendo in discentium animos facile influeret; unde factum est, ut, cum suâ ipse famâ, tum discipulorum habitis editisque disputationibus, Athenaeum nostrum celebraret.

Iam in vicino nostro, tuo postea in graphiario munere collegâ, Henrico Calkoenio multa erant naturae bona: sensus veri pulcrique acer: animus risus et hilaritatis socius, ut eum numquam in vitâ plorasse diceres: certe dissimillimus Heraclito, haud dissimilis Democrito, ineptias vulgi ridens: at miseris succurrere discens, in eoque officio nec operae, nec rei ipse suae, parcens: igitur quum magno fori usu patrocinium caussarum tueretur, omnium consensu laudem

non modo prudentiae et fidei, sed et beneficentiae et liberalitatis adeptus est. Ipse quoque civilibus mersus undis, maluit suâ constantiâ munus amittere, quam inconstantiae opinione suscipiendâ retinere — *iustissimus unus Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi. Dis aliter visum!*

Denique Abr. Ar. Meerschius, meus in scholâ Remonstrantium collega, fuit sane multis vir ingenii dotibus ornatus, idemque, ut in materiae varietate, perdoctus. Nam ipse antea Literas et Philosophiam docuerat, tunc Theologiam et Historiam Ecclesiasticam docebat; ut utriusque cathedrae partes cognitas habere deberet, et haberet ad eum certe modum, quo et discentibus satisfaceret, et apud alios homines docti Professoris existimationem tueretur. Natura ei eam sermonis facultatem, cum vultum oculorumque significationem tribuerat, ut dictis suis multum vel gratiae vel auctoritatis addere posset: praeterea in scribendo, scribebat autem Belgice, eiusmodi valebat compositionis proprietate, quâ argumenta ab aliis iam tractata, suâ ipse doctrinâ et ratione ita retractaret, ut nova et ipsius ingenio nata viderentur. Nam et sale abundabat et festivitate: quibus quum frequens uteretur, subinde quoque abuti putabatur. Aliquot ante obitum annis, oculorum visu captus, calamitatem patienter tulit: quod magnum profecto fuit in homine, qui vitam in Literis ac libris transegisset, semperque aliquid scriberet, quod vel suo, vel alieno, vel nullo nomine ederet. Hic unus e nobis fatum iam suum implevit: sit illi κουφὴ κόνις! Reliquis nobis Deus O. M. et mutuam benevolentiam servet et reliquam vitam exitumque facilem duit!

Igitur cum illis frequens nobis fuit consuetudo: at nobiscum duobus invicem quotidianus usus: eramus

unum amicorum par: seria, ioca, publica, arcana, omnia communia. Ita biennium fuit: quum Tu in graphiario munere et aliâ vitâ constitutus, melius laxiusque habitatum in aliam domum migrares, in quâ et contubernali locus superesset. Volebas me Tecum habitare, ego non nolebam: et alii ita oportere iudicabant: feci. Ibi tum intellexi, amorem nostrum tantum fuisse, ut contubernio augeri non posset. Antea ita mihi persuaseram, Te mei, et me Tui simillimum esse: quod certissimo argumento erat, me Tui amore caecutiisse: si quidem proverbio fertur, amorem caecum esse, et amantes caecos reddere: nam eramus multum dissimiles. Quod ego primo anno ne somniabam quidem, postea deinceps magis magisque animadvertere coepi. Non ego nos ipsos tunc mutatos esse dicam: quamquam alia vita etiam inscientibus alios mores adfert. Vetus est dictum, opposita iuxta se invicem posita magis apparere. Tu fervidus: ego lentus. Tu versus factitabas: ego prosae studebam. Tu sublimis in altos nubium tractus tendebas: mihi satis erat, si humo tuto incedere possem. Tu multorum, et in dies plurium, eras hominum: ego paucorum et in dies pauciorum. Tu amicorum tuorum etiam inimicos amabas; ego contentus eram, si solis amicis satisfacerem. Tu subito videbas, quid verum esset: mihi ad iudicandum tempore opus erat. Tu aliorum animos perspicere Te aiebas: ego dubitabam, an me ipse satis nossem. Mitto caetera. Et tamen decem annos una habitavimus. Nam alia erant, in quibus congruebamus: nisi plura, certe efficaciora ad coniunctionem, quam illa ad disiunctionem: virtutis et doctrinae amor in primis: in quo semper, ut e diverticulis in communem viam coëuntes una progrediebamur. Et si quando tunc et postea

meus ἁπλοῦς τῆς ἀληθείας μῦθος durior ad sensum tuum accideret; Tuque ei duriorem μῦθον opponeres; serius ocyus tamen meam ἀλήθειαν agnoscebas ac requirebas: qui semper usurparem, ut amicitiae legem, illud ad Antipatrum a Phocione dictum, *Οὐ δύνασαί μοι καὶ φίλῳ χρῆσθαι καὶ κόλακι.* Nec soluto contubernio decrevit amicitia: immo increvit etiam; praesertim quod subinde ad primi illius biennii integritatem, quasi ad auream Saturni aetatem, revocaretur. Et viguit adhuc, ut communi illo virtutis doctrinaeque amore, sic mutuâ benevolentiâ, mutuis officiis: quorum et ego Tibi sum testis, et Tu mihi; ut iis commemorandis utriusque nostrum modestiae vim facturus videar; cuius, ut omnium virtutum laus in medio cernitur, ea nobis est communio, ut neque in altero nimium, neque in altero parum sit. Et semper laudavimus illam Ciceronis sententiam in libro De Amicitiâ egregie proditam: *Odiosum sane genus hominum officia exprobantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt: non commemorare, qui contulit.* Rursus nil me dicere de tuis in me collatis officiis, nec noster amor patitur, nec argumentum huius epistolae, quam amicitiae nostrae dicavi. Quae igitur illa sunt? Primum omnium, quod tum iuvenes fuimus: nam nunc provectior aetas a iuventutis erroribus nos, credo, liberavit: Tu meas ineptias tulisti, ut ego Tuas. Deinde, quod mihi multis partibus prodesse studuisti. Recens me cognitum, ut ipse amabas, ita operam dabas ut alii amarent, quibus me conciliasses: meàs laudes praedicabas, meaeque existimationis, ut ipse soles dicere, buccinator eras. Et si quando aegrotarem, quod propter caeli et aëris novitatem haud raro fiebat, tantâ me diligentiâ et sollicitudine

invisebas, tractabas, curabas, ut nil amantius excogitari posset. Neque mihi ipsi tantummodo, sed et disciplinae favebas meae, neque desinebas adolescentes hortari, ut ei se darent: eoque maiorem percipiebas laudis et voluptatis fructum, quo maiore meae scholae frequentiâ discipulorum florerent. Porro quum res mea ageretur, in decernendâ mihi novâ, in Athenaeo Amstelodamensi, Philosophiae cathedrâ, tuum inter caeteros amicos in primis eminuit studium, agendo et omnibus viribus contendendo. Cumque aliquoties Amstelodamo ad alias stationes invitarer, Tu continuo me convenisti, suadens, hortans, flagitans, ne obsequerer. Et hac postremâ Leidensi conditione mihi oblatâ, ut rursus mihi praesto fuisti! docens, monens, postulans, ne luculentam stationem, urbem gratam et quasi adoptivam patriam, multos mei et amantes et studiosos relinquerem: nec prius meis rationibus concedens, quam intellecto conditionis huius momento ad caussam familiae Ruhnkenianae obtinendam. Quodsi tunc praevidissemus, id quod ne per somnium quidem sperare poteramus, Te post paucos menses Curatorem huius Academiae fore, alia omnia evenissent: caussam illam per Te a Curatorum Collegio et Senatu Reipublicae obtinuissemus: nec aliis ingratum fecissemus mutandâ statione, nec Amstelodamensis vitae suavitates desiderassemus. Sed hoc ita dico, ut me neque consilii mei, quo honestatem voluptati et utilitati anteposui, nec stationis Leidensis suis item laudibus commendatae, umquam poeniteat.

Nunc nos Leida habet, Te Curatorem, me Professorem: Te Amstelodami, me Leidae habitantem: longius etiam a vetere convictu disiunctos, eadem animorum benevolentiâ coniunctos. Tu subinde Leidam venis. Adventus tuus omnibus iucundus, multis

fructuosus est. Ego eius fructum et iucunditatem in usurpatione veteris nostrae consuetudinis et benevolentiae pono. Contentus meâ sorte, quamvis modicâ, nil amplius opto, quam ut ea mihi constans et perpetua sit:

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus iugis aquae fons,
Et paulum sylvae super his foret: auctius atque
Dí melius fecere. —

Sed rursus aliquantum in his offendo: quippe quae nondum plane ex votis, nec nisi partim, nedum *auctius*, obtigerunt: attamen

bene est: nihil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

Veteres Deorum immortalium erga mortales homines beneficentiam tribus muneribus censebant: primo, ut essent datores bonorum: deinde eorumdem conservatores et custodes: denique, averrunci, *ἀποτρόπαιοι κακῶν*, *βασκανίας καὶ φθόνου*, malorum, calumniae et invidiae, comitum virtutis et fortunae. Mihi servent, quae dederunt in triplici bonorum genere, animi, corporis et rerum externarum: in externarum rerum magnâ parte Dii averruncos Professoribus dederunt Curatores.

Et quod Curatorii Tui muneris mentionem feci, si qui fuerunt, qui haud scio an fuerint, qui hunc Tibi honorem inviderent; nec invidia illorum obesse Tibi potuit, et Tu apud omnes recte sentientes eam confutasti doctrinâ, virtute, benefactis. Doctrinam quid memorem Tuam? *τόγε δὴ καὶ ἴδμεν ἅπαντες·* nec repetam, quae supra dixi de Tuâ adolescentis in literis facultate. Hanc maturior aetas auxit, multisque documentis ad publicam notitiam prodidit: cum disputationibus, quibus propositum praemium apud Societa-

tes Eruditas retulisti: tum largo cultissimorum poëmatum proventu, in quibus nemo nec antiquitatis colorem, nec orationis Latinae elegantiam, nec lumina doctrinae, nec modorum concinnitatem desideret: tum denique Hugonis Grotii, immortalis viri, Latinâ interpretatione metricâ Anthologiae Epigrammatum edendâ, eique ipso contextu Graeco cum Tuis annotationibus addendo, doctis, ut cum Catullo loquar, et laboriosis. Et quo ipse ardes Literarum amore, eodem alios incendere studes, has in omni sermone laudans et celebrans: unum liberalem ingenii cultum in Graecis Latinisque Literis positum: unam hanc esse studiorum salutem: ab his profectum alia omnia facile consequi: recentiorum linguas non nisi ad vitae necessitatem referri: novitiorum argutula et frivola in discendi ratione commenta omni modo cavenda et arcenda ab iuventutis institutione: veterem viam tenendam, unde Erasmos, Scaligeros, Grotios, et totum illum heroum apud Batavos chorum exstitisse. Ita multos adolescentes ad nostrarum studia Literarum impulisti, eaque in primis Amstelodami frequentasti. Omnino virtutem, ut est, in actione ponis: odisti ignavas linguas: valere iubes ratiocinatores illos, qui non ipsi discunt, sed subtiliter disputant, quomodo discendum sit. Tu ad rem ipsam properas:

eia!
Quid satis? — Atqui licet esse beatis.
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude:
Incipe! qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.

Haec Tu cessantibus: quasi

Iupiter ambas
Iratus buccas inflet:

Socratis, Antisthenis, Diogenis instar, cum adhor-

tationis vehementiâ, *παῤῥησίᾳ, εὐθυῤῥημοσύνῃ, τραχύτητι·* libere loquens: scapham scapham appellans, aspere: sed salutari asperitate: quam, ut ex lenissimo mitissimoque animo profectam, quisque Tibi ignoscit. Si porro interrogant, quomodo incipiendum sit: *More maiorum*, inquis, *en ita ego feci!* Atque sic in caeteris vitae partibus veterem sequeris morem, vestitu, cultu, habitu; ut qui Te videat, vetera florentis tempora reipublicae cogitet. Nam ex reipublicae commutatione Tu, quum posses, privati commodi nil cepisti: immo iacturam fecisti muneris graphiarii salario ad minorem modum redacto: gratiâ, quâ valebas, usus es ad afflictis bene faciendum. Haec enim inter caeteras virtutes in Te eminet. Huius Tu tanto studio ardes, ut, si quid alii bene fecerint, hoc Te fecisse malis: et, si quod Tibi bene factum cum aliis commune sit, id proprium Tibi esse cupias. Haec est illa virtus, quae cernitur in officiis erga alios, quam Veteres uno Iustitiae nomine appellarunt: omnibus bene velle, omnibus bene facere: neminem laedere, nemini nocere: suum cuique tribuere: miseris succurrere: *non sibi soli natum se putare: partem nostri vindicare sibi patriam, partem amicos: non vivi cum perfectis hominibus, sed cum iis, in quibus, bene agitur, si sint simulacra virtutis: neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat: colendum autem ita esse quemque maxime, ut quisque maxime his lenioribus virtutibus sit ornatus, modestiâ, temperantiâ, et ipsâ iustitiâ.* Et beneficia erga alios Tua per omnem vitam multa et varia exstiterunt. De quibus ut nil dicam, et ut omittam ea, quae Tu in munere Curatorio communiter cum Collegis tuis, Viris Illustribus, cum in universam Academiam, tum

in singulos complures Professores contulisti: in Tuos quantum contuleris, ego Tibi sum testis: in his, ut patrem, matrem, duas sorores, fratrem, et vivos tutatus sis ac foveris, et mortuos pie dolenterque luxeris. Sinas me duorum ex his nominatim mentionem facere, natu minorum, sororis Iudithae, et Gregorii fratris: quorum mihi Tecum communis in vitâ fuit amor, communis in obitu luctus.

Illa erat integrum naturae opus, ut animo, ita sermone et cultu, sincera, aperta, ab omni simulatione et artis affectatione abhorrens: nativo decore, puellari candore et simplicitate, affabilitate et comitate, amabilis: similis Tibi, insigni benivolentiae laude et significatione; unde fiebat, ut eam unam in caeteris Tuis maxime amares. Solebat cum marito iam ab aliquot annis apud me rusticari: quod quum item hilariter, suo more, fecisset anno MDCCXCIII, domum redux gravi morbo intra paucos dies apud Te obiit. Qui tunc, mi Boschi, Tuus fuit, qui meus, dolor? Scripsi continuo ad Te, consolari Te studens, monens, ut egregias illas consolatorias epistolas Ciceronis, Senecae, Plutarchi, quas quondam illaesi et integri admirati essemus, relegeres nunc, ubi ad rem ventum esset: caeterum quantocyus ad me venires, ut una lugeremus. Venisti: comites Tibi erant Gregorius et Nieuwlandius, uterque heu! iam nobis ereptus: qui tunc mecum Te lugentem sustentabant, post a nobis una lugendi erant. Nieuwlandius, mox sequente anno: Gregorius ante hos duodeviginti menses: illius manes honoravimus in Vitâ D. Ruhnkenii: huic in hac ipsâ epistolâ satisfaciemus. Sed redeo in illud tempus.

Veneras ad nos cum lacrymis: has nostrum colloquium abstergebat. Nos Te a recentis cogitatione

casus abducere tentabamus: Tu eam consectabaris: quaerebas, quibus locis soror ambulare, morari, delectari consuevisset. Haec Tu loca repetebas, illius vestigia relegens, pedem ponens, ubi ipsa posuisset: arbores, quas ipsa amasset, spectans et contrectans: prata, unde flores collegisset, obiens, lustrans, indeque aërem captans, si forte aliquam dilectae animulae auram adhuc in his terris vagantem spiritu ipse Tuo exciperes. Ita Te tractabas, Tibique satisfaciebas: et prope confirmatus domum redibas. Ibi vero ipsa domus luctum renovavit, solitudo, vacuitas, absentia cari capitis, eius imago ac desiderium, ubique occurrebat: hoc loco hoc solita erat agere, illo illud: hoc tempore hoc, illo illud: quaevis pars domus, quaevis hora diei recordatione veteris consuetudinis novum vulnus infligebat, rivos lacrymarum excutiebat, Teque ad tantum luctum incendebat, ut alii Tuae valetudini metuerent. Omnes tunc ad Te consolandum venerunt amici, omnes amicae: multi etiam viri docti: ipse ad me scripsit Leidâ Ruhnkenius, ut Te suo nomine, suisque verbis ab ipso adscriptis, consolarer. Sed quum omnium consolationem vinceret magnitudo doloris, Tuque illi iam iamque succumberes: ecce! divinitus medelam attulit Tua Musa, spe melioris post hanc vitae, et divinae providentiae commentatione: Teque ipse consolatus es scriptâ in obitum sororis elegiâ, plenâ doloris, plenâ amoris, ut ipse dolorem amor sedasse videretur.

Gregorii mors minus acerba nobis accidit, quod minus immatura censeretur; quamquam fuit mihi cum eo non minus vetusta, quam Tecum, amicitia. Tu mihi eum paucis annis me minorem in disciplinam commendaveras: quâ ille sex annos utens, in studiis non quidem ardebat, sed tamen calebat, Platonis et

XenophontisConvivia edere cogitans, iamque commentarios annotationum conficere instituens: deinde paullatim refrixit, sive quod diutius apud parentes aleretur et mollius foveretur, sive aliam ob caussam: taedium certe eum cepit studiorum; ut aliquando illos commentarios in ignem coniiceret, et videns prudensque combureret. *Ibi omnis effusus labor*: nostraque spes simul cum fumo evanuit. Tamen, *quo semel erat imbuta recens, testa servavit odorem*: retinuit amorem, non ut scriberet, sed ut legeret: veluti lectitabat Homerum, Euripidem, Aristophanem, Lucianum, Ciceronem, Virgilium, Horatium, alios: ex recentioribus in primis Muretum, Ernestium, Ruhnkenium, elegantiam et Latinitatem admirans, cuius haud ineptus erat iudex. Taceo alia hominis bona, quae Tu item pie et polite cecinisti in elegiâ funebri manibus eius dicatâ. Reliqua vita inde ab aliquot annis eiusmodi fuit, ut, labefactatâ valetudine, amici ei non tam vitam longam, quam facilem exitum optarent: qui ei obtigit subitus, d. II Februarii superioris anni.

Nos vero, optime Boschi, ita vivamus, ut amici nos nostri diutissime vivere cupiant. Cumque multorum nostrorum etiam iuniorum funera fragilitatis nos nostrae et mortalitatis saepe admonuerint, reliquum, quodcumque superest, spatium ita exigamus, ut ne *dubitemus virtutem extendere factis.*

En! epistolam diu Tibi debitam: quae si longior et loquacior fuit, Tibi imputabis: si quid praeterea aliud in eâ Tibi aliisve displicuerit, rursus Tibi imputabis: utcumque bene aut secus meritus fuero, hoc totum Tuum erit. Tu me dormientem ad scribendum excitasti et impulisti: semel quidem excitatus et impulsus, facere non poteram, quin meo more scriberem et excurrerem: aut dormire me sivisses,

nec excitasses. Accedebat argumenti, quod est de amicitià nostrà, ubertas et suavitas, quae me inducebat, ut plura etiam, quam initio constitueram, scriberem. Tum haud absurdum putabam, scribendi tarditatem longitudine scriptionis compensare, et quasi debitam pecuniam cum duodecim annorum foenore referre. Denique est hoc amantium, ut, quos amant, haud facile alloqui ordiantur: semel orsi, haud facile desinant. Veluti Socrates sermones et congressus cum Alcibiade diu intermissos repetens dixit apud Platonem p. 25, D: ὅρα δή· οὐ γάρ τοι ἂν εἴη θαυμαστὸν, εἰ, ὥσπερ μόγις ἠρξάμην, οὕτω μόγις καὶ παυσαίμην. Sive communibus nostris deliciis, Horatio, utar:

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant.

Neque vero solis cantoribus hoc est vitium: sed et scriptoribus, et oratoribus, et Professoribus. Hinc longae epistolae, longae orationes, quas Tu minime omnium amas. Et iam ipse Horatius nos monet, prouti orsi sumus in ipso, ita in ipso desinere, et, ut antea semper, ita nunc suum illud erga se usurpare,

Prima dicte mihi, summa dicende Camoena.

Vale. Scripsi ruri d. XIV. Iulii a. MDCCCV.

EPISTOLA
AD PHIL. GUIL. VAN HEUSDE.

Heusdii specim. crit. in Platon. praef. p. XXV sqq. Wytt. Opusc. T. II. p. 1 sqq.

Quod roganti Tibi receperam, mi Heusde, me Tuo libello aliquid literularum et iudicii de locis a Te tractatis additurum: ecce, ubi ad rem ventum est, nihil habui, quod adderem. Nam quum de animadversionibus Tuis inter nos ageremus, Tuque, instar illius apud Platonem nostrum Theaeteti, iis iudicii severitatem adhiberes, falsum quodque et *ἀνεμιαῖον* abiiceres, nec nisi, si quid probabile et *γόνιμον* videretur, retineres; non profecto opus est, ut nunc eas denuo recenseam, et singulis meum iudicium, *pulcre, bene, recte,* apponam. Ergo primum hoc literarum nobis argumentum periit. An igitur, ut saltem Tuae voluntati meoque promisso satisfaciam, hoc ipsum unum ad Te scribam, me non habere, quod scribam? Aliis hoc sit concessum, a nostrâ quidem abhorret coniunctione, cui numquam vel sermonis vel epistolae materia defuit. Ergo et alterum hoc mihi ereptum est scribendi genus. Et tamen scribere me cogit et Tua voluntas et mea fides. Ecquod tandem nobis argumentum superest? Superest unum certe, idque minime tenue aut leve. Tu ipse, mi Heusde, Tu mihi huius epistolae eris argumentum. Te cum dico, dico ingenium animumque Tuum, dico commune nostrum optimarum Literarum et Platonis studium. Quibus de rebus cogitanti quamvis indiserto copia scribendi deesse nequeat. Quo certius hoc mei

de Te iudicii documentum Tibi accidere debet; quod, quum libri tui ubertas mihi de eadem re docte disserendi facultatem praeripuerit, malim indoctius et amantius, *ἀμαθέστερον καὶ φιλικώτερον*, quam nihil ad Te scribere.

Sextus hic annus est, cum ad me Amstelodamum venisti incensus studio Literarum, earumdem cognitione sensuque iam imbutus Rotterodami in scholâ Cl. Nodelli, elegantissimae doctrinae viri: ostendebas Te Platonis amore captum, ad cuius intelligentiam ut Tibi adiutor essem, candide me modesteque rogabas. Hoc primum mihi novum et inexspectatum accidebat, adolescentem, modo ex puerili disciplina prodeuntem, Platonis et cognitione tinctum, et studio ardentem, ad me venire: Platonis inquam: quem quotusquisque non modo discentium, sed docentium, legit, aut, si forte inspexit, non continuo relinquit? Nam discentium quidem isto dudum est mos, ut, si paucos Graecos versus, paucas Latinas Elegias didicerint, iam haec ubique crepent, sibique docti videantur. At vero Tu, in hoc etiam similis Platonici Theaeteti, *οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος*, sine strepitu, sine vento, quid scires, quid nescires, ingenue prae Te ferebas. Ex quo in primis iudicavi, Te vere a Platone captum esse, et, ut ipsius dictione utar, *τὸν Πλάτωνα τὴν ἀληθῆ σοῦ εἰλῆφθαι λαβήν*, Platonem verâ Te ansâ apprehendisse. Hunc enim qui legunt, intelligunt, in eiusque se doctrinam ac praecepta insinuant, hi profecto primam omnium legum sibi imponunt *τὸ γνῶθι σαυτόν*· huic perpetuo et volentes parent: huius ad adventum et imperium omnis ex animo expellitur expurgaturque vanitas, arrogantia, superbia. Unde fit, ut homines vani et ventosi Platonem nec diligant nec intelligant. Tu propositum

iter ingressus, cum in meas de Graecis Literis scholas ventitabas, tum domi assidue Platonem tractabas, ut facile animadverterem, Te cum in dies magis et diligere et intelligere. Ita biennium traductum. Interea multa, quae rerum mearum statum mutarent: obiit Ruhnkenius: vel huius necessitudo, vel mei fati necessitas, me migrare Lugdunum coëgit. Tu adhuc annum Amstelodami mansisti, inchoatum opus urgens, domi legens relegensque Platonem, caeterum in Iurisprudentiâ operam dans Craso, in Philosophiâ Swindenio, clarissimis nuper meis collegis, et utrique cum Athenaei Amstelodamensis, tum suae disciplinae, doctori celeberrimo. Tum ipse Lugdunum ad nos venisti. Mihi vero, mi Heusde, cum temporum meorum varietas et stationis commutatio, multa *ἀβούλητα* attulerit, quae nunc narrare nil attinet: *τὰς γὰρ ἐν μέσῳ σιγῷ τύχας, κατ᾽ Εὐριπίδην·* cuius et hoc mihi subiicere soleo, *Ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφή·* — in his igitur unice me consolatur conscientia recte factorum, servati officii, et restitutae in hac nostrâ Academiâ disciplinae Literarum, quae iam per aliquot annos prostrata iacuerat. Disciplinam dico scholas, discipulos, horumque studia et progressus: quae non numero censentur, sed pondere; quamquam et numerus, pro huius saeculi ingenio, probabilis est. Et in his, qui pondere censeantur, discipulis Tu quoque in primis mihi es, mi Heusde. Sed Literarum studiosi alii aliud propositum habent: alii eas, ut adiumentum aliarum doctrinarum, adhibent: alii ad ingenii ornatum: alii ad animi oblectationem: alii aliâ de caussâ: paucissimi ipsarum unice caussâ et amore, et ut in ipsarum studio vitae tabernacula ponant. His equidem semper soleo auctor esse, ut studia adolescentiamque suam aliquo scripto in optimam

partem ad civium notitiam commendent. Quod et Ciceronis est praeceptum, et his ipsis diebus, ut nosti, a nobis in scholâ de Officiorum libris tractatum. Quamquam enim subinde fit, ut adolescentes vani et ventosi modestis doctisque adolescentibus et laudem et laudis praemia praeripiant: est illa non laus, sed opinio et error exigui temporis: magna est vis veritatis, quae diu latere nequit: maxima est virtutis efficacitas, quae sui cultores certissimo doctrinae conscientiaeque fructu beat. Sed ostendenda est virtus, et ad publicam notitiam producenda. Etenim si cognita virtus nonnumquam negligitur, quid ignoratae virtuti fiet? Et, ut isti ventosi non nisi τὸ δοκεῖν consectantur, hi modesti unice τῷ εἶναι contenti sunt: ita, quamvis modestus virtutis cultor virtutis muneri sic satisfaciet, ut τὸ δοκεῖν ne prorsus negligat, sed τῷ εἶναι addat, et, qualis est, talis haberi velit. Ita et superiore anno recte fecit Lyndenus noster, documento progressuum suorum, Disputatione de Panaetio edendâ ac defendendâ: qui quum et generis nobilitate et opibus omnia summa consequi posse videretur, tamen externa ista bona adeo levia ducit, ut in his nihil, omne decus in animi bonis ponat. Et nunc Tu recte facis prodendo Tuo Specimine, mi Heusde: qui, nec ipse illorum inops subsidiorum, iis posthabitis, omnem vitae suavitatem laudemque ex Platonis optimorumque veterum lectione petis. Et communis noster amicus, Vester condiscipulus, Sluiterus, dum ipse similis editionem documenti meditatur, ante paucos hos dies in Daventriensi cathedrâ positus, ipse documentum exstitit, suum adhuc meritis constare honorem.

Caeterum nostros de Platone sermones, Amstelodami inchoatos, Lugduni instauravimus: quum Tu quotidie Platonem tereres, non huc illuc vagando,

sed unoquoque dialogo ab initio ad finem perlegendo, perlecto iterando, singularum deinceps sententiarum nexu indagando, Teque omni mente et cogitatione in philosophi dicendi disputandique consuetudinem insinuares, itaque veram scripturam multis in locis, quamvis obliteratam, perspiceres, plurimaque librariorum menda corrigeres. Quae Tu inventa ad me deferens, materiam adferebas, de quâ iucunde colloqueremur, non solum *ϭυμφιλολογοῦντες*, sed etiam *ϭυμπαθοῦντες* et *ϭυνενθουϭιῶντες*, quum dictionum, sententiarum, imaginum, suavitate, veritate, sublimitate in admirationem Platonis abriperemur. Est profecto divinus scriptor Plato, neque *divini* cognomen temere ei venit. Nullus enim est ex eruditâ antiquitate scriptor, in quo maior sit ubertas et copia earum virtutum, quibus legentes in quemdam divinitatis sensum auferantur: aut, si qui sunt, qui in eiusdem laudis ac similitudinis societatem venerint, hi ab ipso Platonis fonte fluxerunt.

Mihi vero nostri sermones saepe in memoriam revocarunt adolescentiae meae tempus, quo ille in animo meo sensus et recentior et acrior vigebat: quem nunc usus et aetas vel refrigerarunt, vel ratione coërcuerunt. Ego vix dum adolescentiam ingressus eram, quum mirificus me caperet et quasi *δαιμόνιος* amor Platonis: cui legendo quum omne meum tempus impenderem, tum in primis otia captabam, quibus per anni tempestatem in sylvas montesque excurrerem, et *nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae,* promerem, non ut ille *veteris pocula Massici,* sed librum Platonis, in eius me lectionem coniicerem ac penitus demitterem. Ibi tum fieri solebat, ut, quemadmodum ipse in alto editoque positus in circumiacentia infra me loca ve-

luti parva et humilia prospiciebam, sic Platonis genio repletus purior leviorque in coelestes regiones sublimis evolare viderer,

Ut mihi iam summam sapientia panderet arcem,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possem contemnere curas.

Sed hoc somnium, saepe mihi inchoatum, quamvis breve, quippe mox abruptum corporis admonitione, animum e coelo in terram detrahentis, tamen ita crebrum refertumque fuit mirabilium visorum sensuumque varietate, quae veluti mysteria, nemo, quamvis initiatus, oratione enarrare, nemo profanus, quamvis enarrata, intelligere possit, initiatus ab initiato paucis verbis admonitus continuo sentiat. Igitur et Tu sentis, mi Heusde. Et mihi satis sit, hoc dedisse recordationi somnii illius et frequentis et mirifici, tamquam anticipationis et gustus verae et a corporis vinculis solutae vitae: atque, ut cum ipso Platone loquar, (Phaedro p. 346, D.) ταῦτα μὲν οὖν μνήμῃ κεχαρίσθω, δι᾽ ἣν πόθῳ τῶν τότε μακρότερα εἴρηται. Interea dum in hac vitâ sumus, huius vitae officia ne negligamus. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat,* ut est in Graecorum proverbio: per eamque aliis prodesse studeat. Qui in Platone plus aliis videt, ad huius intelligentiam studiosis prosit: et profecto egregium vitae munus susceperit. Hoc Tuum est, mi Heusde. Equidem ipse adolescens, δαιμονίῳ illo Platonis amore incensus, eum aliquando edere constituebam: mox Iulianum, Synesium, denique Plutarchum eodem amore et edendi proposito complectebar: nec dubitabam, quin studium meum vitaeque spatium vel quatuor edendis his scriptoribus suffecturum esset. Veni deinde ad Ruhnkenium, qui me a reliquis ad unum Plutarchum convertit: Platonis editionem ipse

cogitabat: in caeteris scriptoribus unus omnium Plutarchus maxime emendatricem explicatricemque interpretis operam et desiderare et mereri videbatur: et brevi animadvertere coepi, hunc tantam habere materiam, quae meam quidem vitam operamque omnem consumere posset, sive operis magnitudine, sive virium mearum tenuitate, sive temporum iniquitate. Quinque sunt anni, quod Ruhnkenius noster diem obiit: quatuor, quod Lugdunum migravi. Horum quinque annorum quotam partem putas me Plutarcho tribuere potuisse? Sex menses, ne hos quidem continuos. Hoc sex mensium spatio confeci animadversiones in Moralium paginas priores centum, a libello De Educatione ad Consolationem Apollonii. Et hucusque profeceram his ipsis diebus, quum ecce, denuo belli tempestas intonat, post brevem pacis usuram nondum recreatâ patriâ, immo tamquam primae quietis dulci somnio lactatâ et mox excussâ. Igitur Plutarchus meus rursus commeatu cum Oxoniensibus excludetur. Sed hoc, et omnino meum omne negotium, leve est prae patriae damno: quod quis tandem bonus civis non lubens vel suo incommodo redimat? Utinam, qui populis praesunt, Platonem legerent! mallent profecto *ἀδικεῖσθαι* quam *ἀδικεῖν*, iniuriam ferre quam inferre aut referre, et, siquidem bellum est malum, ut nemo dubitat, mallent philosophari quam bellare, studerent suo ipsi exemplo ratam facere et implere nobilem illam Platonis vaticinationem, (Republ. V. p. 466. B.) *ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταυτὸν ξυμπέσῃ δύναμις τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία — οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα, ὦ φίλε Γλαύκων, ταῖς πόλεσιν· δοκῶ δὲ οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει.* At nos, qui non

regimus, sed regimur, in hoc certe philosophemur, ut pareamus rectoribus nostris, cum hominibus, tum supremo omnium rectori Deo: quidquid nobis praeter nostram culpam acciderit, ut ab illo immissum, aequà mente accipiamus, semperque in promtu habeamus illud Cleanthis: *Ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη, Ὅποι ποϑ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.*

Et quandoquidem, quod quis agat, nil superest, quam suum cuique officium, age, et nos nostrum agamus, et ego me protinus ab huius temporis cogitatione ad recordationem adolescentiae institutamque scriptionem referam. Igitur ego illà aetate cogitans Platonis editionem, solebam mihi ipse iustae editionis formam designare; quam Tibi, iam depositum a me hoc opus suscepturo, cognoscere non inutile sit.

Editoris munus duabus constat partibus, *emendatione* et *interpretatione*. Hoc nunc verbo monuisse satis est, quandoquidem de utroque officio uberius exposuimus alibi et nuper in Praefatione ad Plutarchum. Nunc aliud volo. Nam mihi adolescenti accidebat, ut, quum utrumque officium Platoni adhiberem, tamen multas eorum partes non perspicue cognoscerem: sentiebam, mihi aliquid deesse ad eorum accuratam cognitionem: nec, quale hoc esset, intelligebam. Venit mihi tandem in mentem totum argumentum in suas partes distribuere. Haec me distributio sponte ad singularum cognitionem partium ducebat, mentis involutam notionem explicabat, ut iam intelligerem, quid illud esset, quod mihi defuisset, multaeque novae et iudicandi et inveniendi viae mihi aperirentur. Erat autem distributio a simplici manifestoque hoc principio ducta, omnem emendationis et interpretationis sylvam duobus locis contineri, altero *in ipso scriptore*, altero extra eum *in aliis scriptoribus*.

Ipsum scriptorem bifariam dicimus, primo *ipsum hominem*, quis, quando, ubi, quibus parentibus, quâ gente, patriâ, vitae actione et factis fuerit: deinde *eius scripta*. Prioris generis cognitionem saepe etiam ex Literariâ Historiâ percipiunt homines, qui ipsa scriptoris scripta numquam legerunt; quo magis ea nobis et primo loco, et diligenter, tenenda erit. Alterum genus, quod *ipsa scripta* continet, in quorum lectione et accuratâ intelligentiâ nobis finis omnis nostrae operae positus est, in tribus cernitur partibus, *dictione*, *materiâ*, *formâ*. Atque siquidem ita naturâ comparatum est, ut a verbis ad res proficiscendum sit, primum *dictioni* studebimus: consuetudinem scriptoris, cum in singulis verbis, tum in constructione caeterisque partibus orationis, figuris, sententiis, exemplis, comparationibus, notabimus, indicibus consignabimus, ut paratum habeamus Lexicon, cuius ope scriptorem secum ipsum conferamus et ex ipso interpretemur: quae prima et certissima omnis intelligentiae est via, et totius grammaticae interpretationis fundamentum. Quâ in re saepe officium desideravi Editorum, qui suis editionibus nulla verborum Lexica addunt, itaque eas tam necessario intelligendi iudicandique subsidio carere sinunt. Habent pleraeque Latinorum editiones Scriptorum: Graecorum paucae: caret Plato: et Aristoteles aliquid amplius desiderat quam Sylburgianos indices, quamquam laudandos caeterum, ut omnia huius viri. In Hippocrate exemplum dederat A. Foesius, egregio opere Oeconomiae Hippocrateae: quod utinam secuti essent editores Galeni: qui quum propter librorum multitudinem et doctrinae varietatem copiosissimis et verborum et rerum indicibus opus haberet, utrosque adhuc exspectat. Poterat et Wesselingiani Herodoti quamvis magna commendatio

tamen augeri addendo locupletandoque Lexico Herodoteo Aemilii Porti. Igitur Platonis quoque editor glossarium Platonicum conficiet, verborum dictionumque, cum eorum, quae in philosophiâ, tum eorum, quae in reliquo linguae usu versantur. Et prouti Ciceronis in hoc genere duo exstant subsidia, Thesaurus Nizolii et Clavis Ernesti, ita Platonicum glossarium utriusque dotes habeat, immo superet etiam, copiam illius, huius diligentiam. Atque huiusmodi singularibus Scriptorum Lexicis paulatim materia congeritur, unde posteri aliquando Stephanianum Graecae linguae Thesaurum expleant, vel certe augeant: qui quandocumque et quicumque exsistent, certe non solis hisce singularibus Lexicis freti opus aggredientur, *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*, Stephani compilatores, ad eum reprehendendum promti, ad imitandum infirmi: sed vere Grammatici ex heroico illo Stephani genere et aevo, magnas ipsi suas ingenii doctrinaeque vires ad materiam locupletandam digerendamque adferent.

In hac lectione necesse est multae se legenti offerant cogitationes, quibus vel sententiae difficultas expediatur, vel scripturae vitia emendentur: etiamsi unice *dictionis* rationem habuerit. Sed, hac finitâ lectione, releget scriptorem; nam saepius legendus est. Et priora quidem inventa cum corriget, tum confirmabit: nec dictionis rationem umquam negliget: caeterum, iam ad *materiam* quoque animum propius attendet. Haec universe duplex est, vel *philosophiae*, vel *reliquae doctrinae*, quae pertinet ad historiam, antiquitatem, mores, leges, instituta, opiniones, artes ac disciplinas omnes in omni vitae genere versatas. Philosophiam Platonis cognoscet ex ipso Platone: cavebit sibi, ne iudicium ipse suum occupet eique inculcet aliquod compendium Philosophiae Platonis,

qualia feruntur et Veterum quaedam, veluti Apuleii, Diogenis Laertii, Alcinoi, et plura recentiorum de *philosophiae historiâ* Scriptorum. Nunc ipsum Platonem leget: illa compendiorum adminicula relinquet minutis illis et acutulis μετεωροφένακι, sublimis scilicet sapientiae captatoribus: qui quum sibi et philosophi et nescio quid videantur, tamen desiderant, saepe etiam postulant ab iis, qui Platonem diligenter tractant, ut breve compendium eius philosophiae conscribant, circumcisis omnibus ambagibus; nam eum habere tam multa a proposito aliena, ut magni laboris sit, ad sententiae cognitionem pervenire. Equidem memini, me aliquando in istiusmodi flagitatores incidisse. Et Tu fortasse quoque incideris, mi Heusde. Nec desunt, qui istorum desideria probent. Vidimus aliquando viros, doctrinae tuendae socios, certamen ac praemium proponere disceptandae quaestioni, quomodo poëta Belga, id est, homo Belgicâ linguâ versus scribens vel scripturus, Graecae linguae expers, ad Homeri intelligentiam pervenire posset. Haud mirer, si aliquando proponatur, quomodo philosophus Belga, Graecae linguae expers, ad Platonis intelligentiam pervenire possit. Tu, si forte in certamen descendes, videbis, quid respondeas. Ego non descendam. Sed inter nos respondeam, neque Homeri, neque Platonis scripta quemquam intelligere, nisi Graecae linguae accurate intelligentem. Si nil nisi facta quaerimus, ut in historiâ, possit sane scriptor in vulgarem linguam verti: sed ita, ut pereat omne orationis lumen et acumen, omnis affectus sensusque dictionis, omnis gratiae venustatisque flos: quae omnia singulis verbis et constructione continentur, nec aliâ in linguâ pariter exprimi possunt: veluti ex magno intervallo pulcri corporis non nisi univer-

sam faciem extremis quasi lineis designatam videmus: peculiares pulcritudinis partes, os, oculos, obtutum, lineamenta, vultum, colorem, animi morumque significationem, non videmus. Neque adeo facta ipsa recte intelligere possumus sine cognitione opinionum, institutorum, morum, omnium omnino rerum illius aetatis. Neque vero nos invidemus huiusmodi interpretationes hominibus Graecae linguae et antiquitatis ignaris: sed eosdem inde de scriptoribus rebusque Graecis iudicare, vel ridemus, vel miseramur, certe miramur, qui ignorantiam ignorantià cumulent, nec vereantur prodere, se nescire, quid sit iudicare. *At*, inquiunt, *quaerimus nucleum, non putamina.* Vos vero, ut pueri, nucibus luditis: quasi vero ista similia sint: aut quasi ad nucleum nisi per putamen aditus sit: aut quasi id, quod vos putamen vocatis in scriptore, id est, vestitus et forma orationis, non item sit pars sententiae et nutrimenti. Et vero, cum ipse Plato est poëta, tum multa assumsit a poëtis, ut a nemine intelligatur, nisi Graece legatur. Neque tamen omnis Graece doctus intelliget Platonem. Ad linguae accuratam cognitionem accedat oportet proprium quoddam legentis ingenium, studium, iudicium: quibus instructus esse debet Platonem vel intellecturus, vel editurus. Hic igitur philosophiam eius cognoscere studebit, ut primo cuiusque dialogi et argumentum et consilium perspiciat: deinde tres antiquae philosophiae partes distinguat, et unicuique suum ac proprium det locum: Logicae, Ethicae, Physicae: subiectas singulis partes discernat: Logicae, Dialecticam, Oratoriam, Poëticam, Grammaticam, Criticam: Ethicae, locos de Principiis, Virtutibus, Finibus, Officiis, Summo Bono: Physicae, de rebus Divinis, Humanis, Animo, Corporibus et commune fundamentum Meta-

physica. Platonis de philosophiâ sententias quasque in hos locos digeret: expletis singulis locis, sententias in iis notatas inter se comparabit, ordinabit, et ad quandam doctrinae rationem disponet. Reliqua materia multiplex, nec solum caeteras, praeter philosophiam disciplinas, sed omnem historiam et antiquitates, omnium in omni vitâ rerum varietatem, sacrarum, civilium, bellicarum, domesticarum, complectitur: quae ipsae in Excerptis suo quaeque loco notandae sunt. Hanc ego rationem in Platone mihi sequendam designavi breviter adolescens: postea in Plutarcho factitavi, non sine magno meo quidem fructu. De uno etiam indice monendum generis historici illius, quo continentur nomina propria hominum, non modo Scriptorum, sed aliorum, qui vel colloquentes inducuntur, vel aliâ quacumque caussâ memorantur. Horum nomina et res, cum ex Platone, tum aliunde, colligendae, et ad quamdam notitiae perspicuitatem constituendae sunt: veluti in Prosopographiâ Codicis Theodosiani factum a magnis viris, Iac. Gothofredo et D. Rittero. Habet haec opera magnum momentum cum ad auctoris intelligentiam, tum ad multos historiae locos explendos.

Tertium eorum, quae in ipso scriptore cernuntur, est *forma*. Plato usus est *formâ dialogorum*. Hac offenduntur minuti philosophi, compendiorum angustiis assueti: eamque puerilem, non virilem esse rationem dictitant. Imperite, ut omnia. Non intelligunt, quid in docendi viâ sit virile, quid puerile: et dialogum confundunt cum catechismo. Nunc videmus istos viriles scilicet philosophos suam sapientiam libellis conscribere, ubi magister breviter, ut ignorans, interrogat, discipulus docte et copiose respondet. Inepte, profecto, nec naturae convenienter. Nisi forte dicant,

interrogationem magistri nihil aliud esse, nisi titulum capitis. Quid igitur attinebat, hoc *dialogum* vocare, quod potius inculcamentum vocandum erat. Videmus eosdem istos, quum in reprehendendis contemtoribus suis faceti et festivi esse volunt, colloquia scribere, inficeta quidem illa et horrida, nec enim aliter possunt: sed colloquentibus antiqua nomina imponentes, subito sibi suisque germani Socratici videntur: a doctis ridentur, ut ille in proverbio asinus ad lyram saltans. Ne igitur aut dialogum pro puerili lusu, aut puerilem stultitiam interrogando respondendoque distinctam pro dialogo habeamus. Sed hoc docendi genus quam ob causam et quà ratione Plato usurpaverit, accuratius exponendum videtur; si forte reprehensores isti aliquando rectius iudicare discant.

Ante Platonem qui dialogos scripserint philosophi, incertum est. Alexamenum Teium primos scripsisse Socraticos dialogos prodidit Aristoteles libro perdito de Poëtis, unde hanc mentionem retulerunt Athenaeus XI, p. 505, C, et Diogenes Laertius, III. 48: qui idem primum dialogos fecisse perhibet Zenonem Eleatem, sed nullo ille auctore: *διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην.* Plato an Xenophon prior Socraticos sermones ediderit, quaeri possit. Sed haec nunc exquirere nil attinet. Illud inter omnes constat, Platonem primum omnes philosophiae partes adhuc dispersas complexum uno doctrinae vinculo ligasse, dialogorum formâ consignasse, eamque formam ad artis rationem et verisimilitudinem communis vitae excoluisse. Nam, ut aliarum rerum, ita philosophiae primi scriptores fuerunt poëtae, ligatâ certe oratione scripserunt. In quibus ne memoremus Orpheum, Musaeum, Hesiodum, quorum sub nominibus spuria ferebantur carmina: certe germana fuerunt

Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis. Sed hoc scribendi genus, quippe adstrictum necessitati modorum, quum excluderet facultatem subtiliter disserendi, definiendi, argumentandi; factum est, ut philosophi paulatim prosâ scriptione uterentur. Et antiquissimorum quidem in hoc genere, quos aliquid scripsisse constet, Pherecydis, Anaximandri, Anaximenis, Anaxagorae, Zenonis Eleatae, Gorgiae, Melissi, Protagorae, Prodici, aliorum, libri ita perierunt, ut ne tantum quidem supersit, unde eorum de oratione iudicetur. Aliquanto plures exstant reliquiae Heracliti, qui legentibus sententias magis divinandas, quam intelligendas, obiecit. Multae sunt Pythagoreorum Disputationes, Logicae, Ethicae, Physicae, cum disserendi diligentiâ et orationis gravitate. Haud paucae ad nos venerunt, non quidem disputationes, sed breviores sententiae, Democriti: cuius de omni philosophiâ, exceptâ Logicâ parte, fuerunt libri, insigni orationis ornatu; ut essent, qui hoc nomine eum et Platonem, potius quam Comicos, in poëtis habendos censerent: quod est apud Ciceronem, Oratore, 20: *Itaque video, visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum: apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* Sed Plato nullam fecit Democriti mentionem: quamquam poterat per aetatem. Huius silentii quaecumque fuerit causa, certe in orationis ornatu consectando habuit, quorum exemplum sequeretur, Democritum et Pythagoreos: et aliquanto plus hac etiam in re vidit. Vidit, prosam philosophiae orationem, nimio intervallo a poëseos similitudine avulsam, propius denuo ad eam revocan-

dam esse. Hoc effecit dialogo adhibendo: itaque philosophiae institutioni motum vitamque adiunxit: nec disserendi diligentiae quidquam detraxit: immo accuratius eam ad humanae captum naturae accommodavit. Exemplo in primis ei erant sermones magistri sui Socratis: exemplo poëtae, tragici, comici, mimici. Igitur et poëseos genera in dialogorum varietate apparent. Alii enim, ut epicum genus, sunt *διηγηματικοὶ*, narratione continentur, interposito *inquam* et *inquit*: alii *δραματικοὶ*, in quibus colloquium agitur, non narratur: alii ad tragoediae sublimitatem assurgunt, alii ad comoediae similitudinem et vitae quotidianae exemplum compositi sunt. Hoc debebat cogitare excellentis ille ingenii doctrinaeque scriptor Dionysius Halicarnasseus, sed idem in Platonem iniquior, vetere oratorum erga philosophos odio, inprimis Platonem, cuius et alibi, et maxime in Gorgiâ, iudicium de civili eloquentiâ omnibus deinceps et oratoribus et rhetoribus sedet altâ mente repostum. Hic ergo Platonem in genere *tenui* summis laudibus afficit: in *sublimi* ut puerilem reprehendit: eiusque caussae documentum adfert dialogum Phaedrum, in quo utrumque genus exstat: illud egregie, hoc perperam, tractatum affirmans. Quod, nisi invidiâ occupatus, affirmare nemo possit. Quis enim, integro iudicio ad illius libri lectionem accedens, non sentiat, omnia apta inter se et continuata eodem verisimilitudinis nexu, omnia in utroque genere cum argumento, loco, tempore, re ipsâ pariter convenire tantum, quantum in ficto colloquio fieri potest; ut legentis sensus nusquam quidquam vel ineptum, vel absurdum, vel intempestivum offendat, sed ubique Platonem, *κεκηλημένος καὶ συνενθουσιῶν*, delinitus eodemque divinitatis spiritu afflatus, sequatur. Sed Tu Dionysii locum, iam antea Tibi

lectum, in Tuo ipse exemplo relege; est enim longior, quam qui hic apponatur: exstat in *Epistolâ ad Pompeium* Cap. II, pag. 203. ed. Hudson: et partim repetitus in *Iudicio de Demosthene* Cap. VI, VII, pag. 271: et eumdem locum iam posuerat in parte nunc perditâ operis *de Oratoribus Atticis.* Tanti ei videbatur, istam Platonis reprehensionem ubique inculcare.

Et quod dixi, Platoni exemplum colloquii etiam poëtas praebuisse: certe utrumque genus iam philosophiae adhibuerant scenici, tragicus Euripides, comicus Epicharmus. Et mimorum scriptorem Sophronem diligenter lectitavit Plato; quo magis dialogos ipse suos ad verisimilitudinem et communis vitae speciem formaret. Quam quidem laudem mirifice explevit. Differunt enim huius dialogi ab aliis et Socraticorum et aliorum omnium philosophorum dialogis tantum, quantum viva corpora a statuis. Nam ut Xenophon sententiam Socratis verius sinceriusque tradat: certe Plato rationem Socraticam disertius exprimit: dico ironiam, urbanitatem, facetias, imaginem quotidianae consuetudinis ac sermonis, tum illam disserendi viam accommodatam vel ad errores vanorum hominum confutandos, vel ad studia discentium iuvanda, et, quasi obstetricis instar, ex parturientibus eorum ingeniis notiones involutas eliciendas. Porro, dialogus Platonis habet fere iusti magnitudinem dramatis, partes, descriptionem, ingressum, progressum, digressiones, exitum: habet interrogandi respondendique vices ita probabiles, ut ex ipsâ humanâ naturâ expressae videantur, nil de industriâ quaesitum appareat: habet sensum affectumque, iocandi viam urbanam, venustam, verecundam. Et credibile est, iam ipsius Platonis aetate lectionem librorum eius frequentatam multum

valuisse ad conversionem veteris comoediae, ut sal Atticus, quem *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae, Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est*, multum quidem et acrem, sed acerbâ suffusum bile, gerebant, paulatim per mediae poëtas comoediae, tum novae in primis Menandrum, ab his labibus purgaretur et ad germanam Atticam festivitatem elegantiamque redigeretur. Plato in plerisque omnibus suis scriptis dialogi formam tenuit, exceptis Epistolis et duabus Orationibus, Apologiâ Socratis et Epitaphio: quamquam et huius principium et caussa repetitur a colloquio Socratis cum Menexeno. Qui postea fuerunt philosophi, multum ex illâ dialogi frequentiâ remiserunt: velut Speusippus, qui Platoni in Academiâ successit, teste Diogene Laertio, IV, 4, 5, καταλέλοιπε πάμπλειστα ὑπομνήματα, καὶ διαλόγους πλείονας, *reliquit plurimos commentarios. et complures dialogos*: non, ut vulgatus interpres reddit, *complura commentaria, et dialogos plurimos*: neque enim πλείονα plura sunt, quam πάμπλειστα valet huiusmodi hyperbole apud eos, qui oratorie loquuntur, in significandâ praecipue amoris magnitudine: veluti illud fuit, quod in clausulâ librorum de Officiis vidimus: *Vale, mi Cicero, tibique persuade, esse te mihi quidem carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.* Plinii minoris, quem primis his feriarum diebus relegi, Panegyrici, 86, 6: *ut maximo fructu suscepti, ita maiore depositi officii gloriâ fruitur.* 92, 5: *principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit.* Epistolarum II, 6, 7: *quae cum sint turpissime discreta ac separata, turpius iunguntur.* V, 18, 1: *Neque enim dubito, esse amoenissimam villam, in quâ se composuerat homo felicior, antequam feli-*

cissimus fieret. In Laërtio, qui proprie loqui solet, alia est ratio. Subiicit enumerationem dialogorum, et ὑπομνημάτων multitudinem numero versuum 43475 definit: quo in loco notandum est, *ὑπομνήματα esse libros nondum ad editionem expolitos*, et in his quoque censendos esse τοὺς ὑπομνηματικοὺς διαλόγους. Sed et huius et deinceps reliquorum, exceptâ parte librorum Aristotelis et Theophrasti, ac nonnullis Epicuri et Chrysippi fragmentis, reliquorum igitur ad Ciceronem usque philosophorum scripta perierunt, nec tantum ex iis servatum est, unde eorum de oratione et formâ iudicetur. Ex horum numero complures fuisse, qui dialogos scriberent, credibile est. Et nominatim quidem omnes recensere, non est huius loci: sunt certe, quorum dialogi memorentur, praeter Socraticos, *Heraclides Ponticus*, apud Ciceronem, Attic. XIII, 19: *Dicaearchus*, apud eumdem, Tusc. I, 10: forte *Aristo Chius*, apud eumdem, De Senectute, 1: *Clearchus*, in Eusebii Praep. Evang. IX, p. 409, ex Iosepho contra Apionem I, 22: *Stilpon*, apud Diogenem Laërtium II, 120, et Suidam.

De Aristotele diligentius dicere iuvat, quod hunc locum brevius attigi in Praeceptis Philosophiae Logicae III, 1, 9, et meam sententiam a nonnullis non recte intellectam animadverti. Ac primum quidem ex Ammonio, Hermiae filio, cui debemus accuratissimam librorum Aristotelis distributionem, in Commentario ad Categorias propositam p. 4. edit. Ald. eam descriptionis partem, quae ad dialogos pertinet, Latine et summatim apponamus. Igitur secundum formam usumque scripta Aristotelis bifariam dividebantur „ut essent, vel συνταγματικά, id est, opera composita, descripta, absoluta ad editionem aliorumque cognitionem: vel ὑπομνηματικά, quae Latine dicantur *com*

mentariensia aut commentaria, quae nondum ad editionem conformata, tantummodo adversaria et materiam scribendi libri continerent. Συνταγματικὰ duplicis fuerunt generis: alterum, αὐτοπρόσωπα et ἀκροαματικὰ dicta, in quibus e suâ ipse personâ disserens ad germanos auditores ἀκροατὰς, sententiam suam explicabat per accuratissimas demonstrationes, ac difficiliores illas intellectu aliis hominibus: alterum διαλογικὰ et ἐξωτερικὰ dictum, in quibus sub alieno nomine, veluti Plato factitaverat, alienam personam agens, suam sententiam exponit, non accuratis demonstrationibus, sed facilioribus rationibus ad communem multorum captum comparatis." — Haec ita sunt accipienda, non ut omne ἐξωτερικὸν genus dialogis conscriptum fuerit, sed ut omnes dialogi ἐξωτερικοῦ generis fuerint. Eodem valet testimonium Simplicii in Commentario ad Aristotelis Physica, Libr. I, p. 2, lat. 2: Διχῇ δὲ διῃρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων, εἴς τε τὰ ἐξωτερικὰ, οἷα τὰ ἱστορικὰ καὶ τὰ διαλογικὰ, καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, καὶ εἰς τὰ ἀκροαματικὰ, ὧν καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ πραγματεία, ἐν τοῖς ἀκροαματικοῖς ἀσάφειαν ἐπετήδευσε, διὰ ταύτης τοὺς ῥαθυμοτέρους ἀποκρουόμενος, ὡς παρ' ἐκείνης μηδὲ γεγράφθαι δοκεῖν. quibus in verbis ultimis ἐκείνης mutandum in ἐκείνην, id est, *per illam, propter illam obscuritatem.* Nosti enim hunc usum Praepositionis παρὰ cum Accusativo. Locum sic reddam: „Quum autem Aristotelis scripta bifariam dividantur, in *exoterica,* veluti historica, dialogica et omnino ea, in quibus non summa demonstrandi diligentia adhibetur: et in *acroamatica,* ex quibus et haec Physica sunt; in acroamaticis obscuritati studuit, per hanc inertes a se reiiciens, ita ut propter hanc ipsam obscuritatem ne scripta quidem videantur." Illud ἀποκρουόμενος plane convenit cum Ciceronis dicto

ad Trebatium in Topicis, 1: *Sed a libris (Aristotelis) te obscuritas reiecit.* Et quum de his, quae ad nos servata sunt, Aristotelicis scriptis dissentiant homines docti, quae sint scripta in acroamatico genere censenda, quae in exoterico: minus incertus erit census secundum perspicuitatem: quo quidem censu pleraque scripta in genere acroamatico vel hypomnematico erunt habenda. Neque dubium est, quin hypomnematici generis maior etiam fuerit obscuritas; si quidem hoc genus nec ab initio ad editionem et perspicuitatem conformatum ab Aristotele, deinde cum huius ac Theophrasti libris in Asiae urbe Scepso situ ac putredine corruptum, ita Athenas, inde Romam venit: ibique primum editum est ex laceris istis ac derosis voluminibus. Equidem in hypomnematico genere quoque censeam libellum, qui hodieque exstat, *de Poëticâ,* inchoatum illum ad modum commentarii, postea tribus libris περὶ ποιητῶν ab Aristotele conscriptum et editum, nunc perditis. Sed de istâ calamitate librorum Aristotelis ac Theophrasti luculenta exstant testimonia Strabonis XIV, p. 906, et Plutarchi in Sullâ, p. 468, B: nec plura dicere attinet. Illud non est praetereundum, libros Aristotelicos ac Theophrasteos per illam Romae factam editionem iam Ciceroni eiusque aequalibus innotuisse: ac deinde frequentatos fuisse, exotericos quidem usque ad exstincta veteris philosophiae studia iussu Iustiniani Caesaris, ac deinceps: acroamaticos etiam diutius per totum Medii Aevi spatium, subinde non modo a Graecis tractatos, sed ab Arabibus et Latinis in suas utrisque linguas conversos et insano studio cultos. Igitur qui hodieque exstant libri Aristotelis in genere Logico, Ethico, Physico, longe maximam partem sunt acroamatici: exoterici perierunt plurimi, in his etiam

Historici veluti De Rebuspublicis, et Dialogi. Et ex his adeo non nisi duo servati sunt longiores loci, nec tamen satis ad Aristotelici formam Dialogi cognoscendam: alter, ex Eudemo, cui libro argumentum fuit *περὶ ψυχῆς*, servatus a Plutarcho in Consolatione ad Apollonium, pag. 115: alter ex illo *περὶ εὐγενείας*, sed forte spurio, relatus a Stobaeo Serm. LXXXIV et LXXXVI. Et si qui alii Aristotelis dialogos memorant, breviore sane defunguntur mentione, quam ut inde horum cum Platonicis aliisque Socraticis dialogis similitudo aut dissimilitudo definiatur. Nam aut verbo eos attingunt: veluti Dio Chrysostomus Orat. LIII, p. 553, C: — *Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ καὶ τιμῶν·* hinc nil aliud colligatur, nisi Aristotelem multis in dialogis *de Homero* disseruisse: non item, hoc fuisse ipsum illis dialogis nomen et argumentum. Themistius Orat. XXIII, pag. 295, D, memorat Aristotelis dialogum, nomine *Corinthium*, inque eo inductum agricolam Corinthium, qui Platonis Gorgiam legisset. Plutarchus Adversus Colotem p. 1115, B, narrans Aristotelem ubique Platonis sententiam de ideis exagitasse, scribit: *Τάς γε μὴν ἰδέας, περὶ ὧν ἐγκαλεῖ τῷ Πλάτωνι, πανταχοῦ κινῶν ὁ Ἀριστοτέλης, καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν αὐταῖς, ἐν τοῖς ἠθικοῖς ὑπομνήμασιν, ἐν τοῖς φυσικοῖς, διὰ τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων, φιλονεικότερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἔχεσθαί τῶν δογμάτων τούτων, ὡς προθέμενος τὴν Πλάτωνος ὑπερείπειν φιλοσοφίαν·* ita corrigendus hic locus: quem in nostrâ editione ita posuimus, ut pro *διαλέγων* daremus *διαλόγων* ex antiquis codicibus: caeterum *ἔχεσθαι* pro *ἐκ*, et *ὑπερείπειν* pro *ὑπεριδεῖν* corrigendum moneremus. Ne vero aliquis per hanc Plutarchi mentionem inducatur in eam opinionem, ut putet, duplex

fuisse genus dialogorum Aristotelis, *exotericum* et *esotericum;* nam eadem ratione quis colligat, Aristotelem tantummodo in ethicis et physicis *commentariis*, *ὑπομνήμασι*, non item in ethicis et physicis *συντάγμασι*, *editis libris*, illam Platonis sententiam reprehendisse. Falso. Nam dixit Plutarchus, Aristotelem hoc factitasse *πανταχοῦ*, deinde amplificandi caussâ quaedam genera librorum Aristotelis recenset, nec opus erat omnia recensere genera: neque exigenda est ab eo, tamquam a iurato teste, absoluta omnium generum enumeratio et quasi confessio. Quamquam frequens est haec iniquitas et *ἀκρισία* etiam apud eos, qui se Criticos haberi volunt.

Cicero denique, qui bis Aristotelicorum orationem dialogorum memoravit, eius vix unam partem significavit; et hanc quoque tam breviter, ut alter alteri locus repugnare videatur. Sed operae pretium est, ipsos apponere locos, si forte eorum contentione aliquid huic argumento lucis eliciamus. Igitur in Epistolis Ad Div. I, 9, § 67, scribit ad Lentulum: *Scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo De Oratore: quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles; abhorrent enim a communibus praeceptis, et* (ita recte Ernestus reposuit pro vulgato *ac*) *omnem antiquorum, et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur.* Hoc loco nil apparet dilucidius posse dici: *Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam* dicit ipsa eloquentiae praecepta ex his duabus principibus scholis sumta: quarum laudes praedicat ipse De Inventione II, 2. *Aristoteleo more in disputatione ac dialogo* significat ipsam disserendi ac dialogi formam: cuius formae certo ea pars Ciceroni cum Aristotele communis est, quod

scriptor non ex suâ ipse personâ loquitur, sed alios loquentes inducit: veluti Cicero in libris De Oratore Crassum, Antonium, Catulum, Caesarem, disserentes facit: atque item Aristotelem factitasse, ex illis Ammonii verbis colligi debet: — *διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραψεν, ἀλλ', ὥσπερ ὁ Πλάτων, ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.* — Nam et Plato nusquam in suis ipse libris suo nomine loquitur. Altero loco contrarium videtur asserere Cicero, Attic. XIII, 19, quasi libros De Finibus more Aristoteleo scriptos affirmet, eos De Oratore contra: *Sunt etiam De Oratore nostri tres, mihi vehementer probati: in eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius: puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent: in quo sermo ita inducitur caeterorum, ut penes ipsum sit principatus: ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem.* Hic locus, ut ex Epistolis ad Atticum, corruptissimo omnium Ciceronis operum, cedere debet priori loco, ut operis multo magis emendati, praesertim confirmato auctoritate Ammonii. Nec difficile est excogitare mutationis aliquid, quo haec verba cum illis in consensum redigantur. Nos quidem istud aliis relinquimus: neque enim ii sumus, qui omnem mutationem emendationis instar censeamus. Igitur hoc unum tenemus: in istâ duorum locorum repugnantiâ auctoritatem prioris graviorem esse reputandam. In reliquis *ἐπέχομεν.*

Caeterum diversitatem dialogi Aristotelici a Platonico insignem notat eruditus ac disertus ecclesiae

doctor, Basilius cognomine Magnus, in Epistola CLXVII, Tom. Opp. III, p. 187, C: — *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλάτων δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται· ὁμοῦ δὲ καὶ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόςωπα· Θρασυμάχου μὲν τὸ θρασὺ καὶ ἴταμον διαβάλλων· Ἱππίου δὲ τὸ κοῦφον τῆς διανοίας καὶ χαῦνον· καὶ Πρωταγόρου τὸ ἀλαζονικὸν καὶ ὑπέρογκον· ὅπου δὲ ἀόριστα πρόςωπα ἐπειςάγει τοῖς διαλόγοις, τῆς μὲν εὐκρινείας ἕνεκεν τῶν πραγμάτων κέχρηται τοῖς προςδιαλεγομένοις, οὐδὲν δὲ ἕτερον ἐκ τῶν προςώπων ἐπειςκυκλεῖ ταῖς ὑποθέσεσιν, ὅπερ ἐποίησεν ἐν τοῖς Νόμοις.* Ex hoc loco, non satis intellecto, fluxit pervulgata opinio, Aristotelem primo dialogos scripsisse, deinde scribere desiisse, quod Platonis et Xenophontis copiam et venustatem aequare non posset. Quam opinionem, ut probans, repetiit vir, quamvis magnus, I. A. Ernestus in notulà ad Ciceronis l. c. Attic. XIII, 19, nullâ tamen alicuius auctoris factâ mentione. Latinus interpres Basilii *εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων*, reddit: *mox rectam tractationem rerum aggressi sunt:* perperam, certe ambigue; quasi hic sit sensus: *mox relictâ dialogorum scriptione, se ad alteram disserendi formam, quae res ipsas simpliciter et continuâ disputatione persequitur, retulerunt.* Atqui Basilius loquitur de formâ dialogorum Aristotelis ac Theophrasti, quae non, ut Platonis, dramatico artificio ab initio ad finem deducta et personarum morumque notatione distincta erat: sed ipsum argumentum statim adgrediebatur: qualem in Xenophonteis item dialogis exstare videmus, iis quidem, qui in Memorabilibus Socratis consignati sunt.

Sequitur, ut de iis dicamus emendandi interpre-

tandique fontibus, qui extra Auctorem ex aliorum lectione Scriptorum proficiscuntur. Igitur aliorum Scriptorum triplicem sequemur distributionem; ut eos spectemus primum *universe*, deinde *peculiariter* in duplici aetate; altera eorum, qui post Auctorem, altera eorum, qui ante eum fuerunt. Atque totus hic locus, quamvis late patens, omnem antiquorum Graecorum Latinorumque scientiam monumentorum complectens, nunc brevi admonitione contentus erit.

Et primo quidem, qui Platonem cum fructu perlegere velit, nemo ad eum accedit, nisi lectis poëtis, Homero, Hesiodo, Pindaro, Tragicis, Aristophane, et ex prosae orationis scriptoribus certe Xenophonte. Lecto demum Platone, reliquos omnes persequetur: in iisque, ut item in Platone factitaverat, duplex cognitionis genus colliget, *linguae* et *rerum*. Ad utrumque recte perspiciendum adhibebit etiam recentiorum libros, cum Grammaticorum et Criticorum, tum Antiquariorum. De illis plura dicere nil nunc attinet. De his unum satis sit monuisse, horum delectum accommodandum esse ad argumenta ea, quae Plato vel tractavit, vel attigit. Igitur et omnis historia tenenda est, et formae civitatum, leges, mores, instituta, consuetudo in omni vitae genere, cum publico, tum privato; et artes a Graecis cultae, cum mathematicae, tum aliae, sive bellicae, sive civiles, musicae, gymnasticae, similes, cognoscendae sunt ad eum certe modum, qui valeat ad Platonis frequentes in his argumentis locos interpretandos. Nam de philosophià, quae est proprium et perpetuum Platoni argumentum, quid moneamus futurum editorem? Et monuimus supra, eam ex ipso Platone colligendam esse. Neque vero colligere eam poterit, nisi ipse adferat aliquam philosophiae cognitionem exercitatio-

nemque iam antea perceptam. At cuius philosophiae, antiquae an novitiae? Utriusque, si fieri possit: sin minus, certe antiquae, ut magis coniunctae cum Platone. Sed volo in primis dialecticam, cuius expers τυφλοῦ πορείᾳ oberrat, ut ipse dixit Plato: volo item physica et mathematica, volo etiam ethica: sed haec omnia hactenus, quatenus vel explorata vel verisimilia sunt, et ad vitae usum conducunt: nam quae supra hunc modum ad intelligibilia abstractaque, uti vocant, rerum principia adscendere se profitetur metaphysica doctrina, magis historice quam dogmatice assumenda, ut magis videamus, quid alii statuerint, quam ut ipsi aliquam statuendi necessitatem suscipiamus. Igitur is, quem quaerimus, Platonis interpres, philosophiae, veluti aedificii, partes ac membra ita teneat, ut sciat, quae sit eorum magnitudo et quasi supellex, ut iudicare possit, qui in iis vel instruendis, vel amplificandis operae pretium, qui secus fecerint, quid actum, quid agendum sit. Et huiusmodi cognitione satis munitus, non se moveri, aut a propositâ viâ deduci patietur clamoribus magistellorum novissimae cuiusque sectae, vaticinantium, suam demum sectam solam et unice veram esse, hanc tenendam, si quis Platonem interpretari velit. Tale memini esse saeculum ineuntis meae adolescentiae. Intereram sermoni doctorum hominum: incidebat mentio Aristotelis: erant qui dolerent, eum contemtum iacere, nec novâ editione ornari: horum aliquis, *Atqui novus*, inquit, *Aristotelis editor debet simul et Graecae linguae et philosophiae bene peritus esse: is nunc unus est I. A. Ernestus.* Tum alius, isque iuratus Wolfianus, *Immo*, ait, *Ernestus Graecae quidem linguae peritissimus est, sed philosophiae ignarus.* Mirantibus reliquis temeritatem hominis, et commemorantibus,

quos de philosophiâ libros scripsisset Ernestus; *Enimvero*, inquit iste, *Ernestus subinde Wolfium reprehendit, quem cum ratione nemo reprehendere potest; igitur prodit, se aut non legisse Wolfium, aut non intellexisse; utrumvis sit, peritus philosophiae haberi nequit.* Hic alii acutiores indoctam hominis simplicitatem ridere: unus eum leniter admonere: *Heus tu*, inquit, *o bone; philosophiae peritum non eum dicimus, qui unius alicuius magistri sectam cognovit, in eamque iuravit: sed eum, qui plurimas, quoad eius fieri potest, cognovit, iisque tractandis et censendis iudicium ac delectum adhibuit. Et in aliis disciplinis eamdem rationem tenemus. Veluti in Medicinâ, Iurisprudentiâ, atque adeo in Theologiâ, ut item in Philosophiâ multae deinceps fuerunt sectae: si quis igitur, ut hoc utar, in Medicinâ, recentissimi alicuius et famigeratissimi medici methodum amplexus, hanc solam dictitet veram, reliquas ignoret et contemnat, is ineptus sane sit et a prudentioribus rideatur. Ipsa quaeque doctrina manet: sectae nascuntur et pereunt ut homines.* Recte ille et vere. Ita fuit, ita et nunc esse videmus, ita erit. Semper novitatis cupidi erunt homines. Et quod de musicâ dixit Homerus, Od. A, 351:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται·

idem de aliis valet studiis, valet de philosophiâ, quam Plato noster τελειοτάτην μουσικὴν appellavit. Quot quantaeque fuerunt in Graecorum philosophiâ sectarum varietates? Quot quantaeque in quavis sectâ novae sectae, tamquam ex maiore rivo minores rivuli? Harum nulla fuit tam tenuis et exilis, quin ultimus quisque eius doctor a discipulis admiratori-

busque suis victor aequalium ac priorum omnium, et solus veritatis inventor, ferretur. Medio aevo in Scholasticâ philosophiâ fuerunt Realistae et Nominalistae: utrorumque multae sectarum subdivisiones: uniuscuiusque sectae antistes supra quam humanis honoribus celebrabatur: alius erat doctor *Angelicus*, alius doctor *Seraphicus*, alius doctor *Irrefragabilis*: alii aliis nominibus, omnes deorum instar, colebantur. Sed erat haec divinitas brevissimi temporis: deiecto priore deo, novus inducebatur: qui, quum suam aetatem explevisset, item desertus, novo ipse deo locum fecit. Et recentiore aevo eadem fabula, aliis actoribus, deinceps repetita est: viderunt eamdem agi maiores nostri, vidimus ipsi, videbunt posteri. Spectatores prudentes fabulam agi sciunt: imprudentes, tamquam puerili in scenâ, veram rem videre se putant, moventur, insaniunt, clamant, nunc demum veritatem ostensam patefactamque apparere. Adeo verum est, quod dixit Cicero de historiâ, *eam nescire, idem esse, ac semper esse puerum.* Et isti omnino dupliciter pueri, ut in proverbio est, δὶς παῖδες, reperiuntur. Primum, historiam ignorantes philosophiae, a novissimae cuiusque sectae auctore capiuntur: deinde, prouti pueruli, simiarum instar, viros imitantur, sic isti illius auctoris verba crepant. Sed missum faciamus istud *imitatorum servum pecus.*

Videamus peculiariter de scriptoribus, qui ante et post Platonem fuerunt. Adhuc quidem posterius magis genus, ut copiosius et paratius, adhibitum est, cum a Criticis, tum a Philosophis. Nosti enim, quanto studio postera omnis erudita Graecorum Latinorumque aetas legerit triveritque scripta Platonis: non modo omnium sectarum Philosophi, sed Grammatici, Rhetores, Historici, caeterique omnes, ut quisque maxime

dicendi cogitandique elegantiam consectabatur. Habes in manibus Timaei Lexicon Vocum Platonicarum, cum commentario Ruhnkenii nostri, cuius Tu rationem Tuo hoc in libello laudabiliter secutus es. Et ut in omnibus illis scriptoribus frequentes sunt Platonis loci, vel ad verbum appositi, vel imitando expressi, qui valeant ad Platonis cum scripturam emendandam, tum sententiam interpretandam: ita inprimis ratio habenda est philosophorum, non solum Platonicorum, sed reliquorum inde ab Aristotele ad extrema fere Byzantina tempora omnium; quippe in quibus multi adhuc latent tales loci, nondum a novissimis interpretibus animadversi et excussi. Neque hoc ita dico, quasi Platonis de philosophiâ sententiam velim cognosci censerique ex posteriorum commentariis Philosophorum. Unam spectamus grammaticam rationem, quid scripserit senseritque Plato: vere necne senserit, suum cuique iudicium relinquimus. Quot enim sunt hominum capita, tot sunt diversa iudicia: et ad iudicandum fere inclinare solent capita inania historiae philosophae, et unius alicuius magistri decretis occupata.

Superest, ut de iis moneamus Scriptoribus, qui ante Platonem fuerunt, quos a novissimis huius editoribus interpretibusque parum adhuc cognitos adhibitosque animadvertimus. Sunt vel solutae orationis scriptores, vel poëtae, vel philosophi, vel utrumque: eorumque scripta vel supersunt, vel perierunt. In citandis auctoribus primus frequens esse coepit Aristoteles: neque tamen infrequens fuit Plato. Hunc multa e prioribus sumsisse, nullâ eorum factâ mentione, non solum est probabilis coniectura, sed certa res, multis documentis ac testibus confirmata. Ergo ratio duci debet diligens priorum Scriptorum: cum

philosophorum, nec modo eorum, qui recensentur a Diogene Laërtio, sed aliorum ab Aristotele memoratorum, in primis eorum, qui carmina scripserunt, Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis, Epicharmi: tum vero, Historicorum, Sophistarum, Oratorum, aliorumque omnium. Sed plerorumque cum libri perierint, nec nisi leves reliquiae in aliorum scriptis sparsae lateant; has ipse quisque interiorum Literarum studiosus colliget. Nam, quae adhuc sunt collectae, et paucae sunt et paucissimorum: et qui hac laude in primis fertur libellus H. Stephani, *Poësis philosophica* inscriptus, ut inchoatus, eâdem laborat inopiâ: quem ut aliquis doctus homo augeat suisque numeris expleat, et omnino ut omnium perditorum scriptorum reliquiae congerantur, et sub suo cuiusque nomine digestae vulgentur, vehementer optamus; quo facilior expeditiorque reddatur fontium cognitio, sine quâ omnis interpretandi labor vanus et inanis est. Caeterum in iis, quae exstant integra, scriptis promta ac parata, certe minus difficilis, est observatio. Homericae quidem et Hesiodeae imitationes cuique Platonem legenti sponte in oculos incurrunt: aliae magis latent, veluti ex Lyricis, Tragicis, Comicis, expressae. Equidem in hoc genere complures imitationes nondum, quod sciam, a quoquam animadversas, annotare me memini: et credibile est, multo plures me fugisse. Et profecto ita se res habet, ut maximum Criticae feliciter tractandae momentum positum sit in cognitione fontium, unde scriptor quisque et res et verba hauserit; quippe ignoratis fontibus, plurimorum locorum et sententiam et venustatem latere necesse est.

Sed haec pleraque Te ipsum, mi Heusde, iam et usu expertum esse, multis in Tuo libello documentis comprobasti: et mea haec scriptio magis pertinuit ad

Te admonendum, quam ad docendum. Tu igitur, qui Platonis ornandi studium ita ingressus sis, ut primum hoc specimen edideris, non modo tironi decorum, sed neque veterano poenitendum; fac reliquum cursum gnaviter persequaris, ut Tuâ ex operâ fructus et ad Te laudis, et ad multos doctrinae, perveniat uberrimus. Vale. Scripsi Lugduni Batavorum, d. vii Iulii, a. MDCCCIII.

PRAEFATIO

AD PLUTARCHI MORALIA OPERA.

Vol. VI. Animadvv. T. I. Opusc. T. I. p. 435 sqq.

Iam ad interpretationem venimus. Nam quum complures huius operis partes provinciaeque sint, ita deinceps quamque, caeteris interim sepositis, suscipimus atque absolvimus, ut ipsa quaeque maioris est momenti, minusque a successore, si quid nobis accidat, expleri perficique potest. Igitur primum dedimus locum Emendationi, quae cum Graeco contextu et Latinâ versione prioribus prodita est voluminibus. Nunc ad secundum accedimus locum, cui Interpretatio proposita est. Tertius et reliqui loci complectentur Varias Lectiones, Disputationem de vitâ et scriptis Plutarchi, Indices Auctorum, Rerum, Graecorum verborum, Animadversionum: qui loci vacui a me inchoative, si forte, relicti, minus ad absolvendum difficultatis habebunt successori: certe nunc a me in finem operis reiiciendi sunt, quando non omnia simul agere possumus.

Caeterum dissimulare non possum, me in Interpretatione minus etiam quam in Emendatione mihi satisfecisse, magisque adeo quam antea iudices aequos et ad ignoscendum faciles quaerere. Cuius quidem rei duae sunt causae: altera, quod in specimine editionis Plutarcheae, prodito Parte II Voluminis III Bibliothecae Criticae, de Interpretatione nimium quoddam professus sum, et quantum a me praestari efficique non posset, nunc demum ipse intelligam: altera, quod Interpretationis quam Emendationis successus magis in nostrâ potestate vulgo censetur, atque idcirco aequi etiam iudices ab editoribus plus in Interpretatione quam Emendatione exspectare ac postulare solent. Utraque causa cuiusmodi sit, explicare, argumentum mihi huius Praefationis erit.

Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν. Res aliae in nostrâ sunt potestate, aliae non item: ut est in Stoicorum initiis. Emendatio e duplici proficiscitur fonte: altero, librorum auctoritate: altero, coniecturae probabilitate. Utriusque successus maximam partem in felicitate quadam est positus: nec sunt fere industriae partes nisi hae, ut et vias, quibus bonos libros nanciscamur, diligenter persequamur, et ingenii facultates exerceamus acuamusque eas, quibus coniectura paritur: cuius utriusque operae, quamvis necessariae, successus est incertus. Interpretatio in nostrâ esse potestate, a nobis et pendere et regi existimatur. Eius quae sit vis et ratio, quod officium, exposui et antea in specimine Editionis Plutarcheae, et nuper in exordio Annotationis ad *Selecta Principum Historicorum Graecorum*, et nunc, at suo loco, accommodate ad hanc editionem referendum exponendumque est: praesertim, quum illo in specimine ita de Interpretatione disputaverim, ut, qui eam simul

cum Graeco contextu et Latinâ versione eâdem paginâ exhibiturus essem; nunc vero hac in editione illam rationem relinquere ac repudiare, atque Interpretationem seorsim exhibere, coactus fuerim. Ergo disputationem a suo initio repetitam, quoad eius fieri potest, breviter explicemus.

Interpretatio est oratio, quae efficit, ut alterius orationem intelligamus. Intelligimus alterius orationem, quando ei eumdem, quem ipse alter, adiungimus sensum. Genera Interpretationis duo sunt, Grammaticum et Criticum: Grammaticum indicat, *quid* Scriptor dixerit: Criticum, *vere recteque*, *necne*, dixerit. Utrumque duas habet partes, et instrumenta, quibus hae partes tractantur, tria. Partes sunt materia et forma: materia item duplex est, *Rerum et Verborum.* Instrumenta sunt, *Dialectica,* quae versatur in formâ: *Linguae scientia,* in verbis: *Historica doctrina,* in rebus. Sed interpretando vel libro vel eius loco prior adhibenda est Grammatica Interpretatio, ex eiusque instrumentis primum Dialectica: cuius est officium, videre, quae nomina verbaque quibus nominibus verbisque iungenda, praeponenda, postponenda sint, omnino, quod vulgo vocant, quomodo locus construendus et quae inde sententia eius constituenda sit. Secunda accedit Linguae scientia, quae Dialecticam ad leges et consuetudinem orationis eius, in quâ scriptus est liber, veluti Graecae, adstringit et moderatur. Tertia est Historica doctrina, quae omnem antiquarum rerum intelligentiam complectitur, et intra huius fines duo priora instrumenta continet. Criticae interpretationis eadem sunt instrumenta, eadem via, alius finis.

Sed utriusque Interpretationis duo sunt genera: alterum, *perpetuum*, quod totius libri sententiam

nexumque complectitur: alterum, *singulare,* quod non nisi singulares, certos, omnino quosdam, nec omnes eodem nexu, locos attingit. *Perpetuae Interpretationis Grammaticae* tres sunt formae, pro varietate longitudinis ac brevitatis. Nam vel ita reddendae se adstringit sententiae, ut, quoad eius fieri potest, eumdem enunciationum numerum ordinemque referat, atque aliis, nec multo pluribus paucioribusve, verbis idem dicat: quae dicitur *Metaphrasis* et *Versio.* Vel sententiam in pauca contrahit, eiusque non nisi brevem summam reddit: quae dicitur *Synopsis*, *Epitome, Compendium*, *Argumentum.* Vel denique sententiam pluribus enunciationibus exprimit, ad uberiorem plenioremque intelligentiam diducit ac dilatat: quae dicitur *Periphrasis, Dilatatio, Amplificatio.* Versionem suo quamque libro adiunximus. Periphrasin e perpetuâ singularem faciemus, nec eam omnibus, quos tangemus, locis, sed iis, qui eam desiderare videantur, adhibebimus. Neque Epitomas omnium exhibebimus librorum; nam plerorumque argumentum per se est perspicuum: neque lectores nostri hanc nostram operam requirent, quippe fere accommodatam tironibus. Atque iis, qui totius libri legendi molestiam laboremque fugiunt, consilium propositum, atque adeo argumentum, libri, quando opus esse videbitur, explicare non omittemus. Ergo relinquitur nobis, in quâ aut unice aut potissimum versemur, *Interpretatio singularis.*

Iam partes nostrae in interpretando quae sint ut iustae debitaeque exigendae, uberius exponendum est. Materiam Interpretationis duplicem diximus esse, *Rerum* et *Verborum.* Hae implicitae quidem sunt altera alteri, quod verba sine rebus esse nequeunt: attamen ratione quadam disiunctae, certe non confundendae

a bono Interprete. In *Verborum* Interpretatione tres cernuntur partes; primum, singula verba: deinde, dictiones et phrases: tum, earum compositio, seu nexus constructionis. *Res* generatim sunt vel *facta* vel *sententiae*, ut vulgo loquuntur, vel *historicae* vel *dogmaticae*. Res historicae, nisi si sint pervulgatae, hactenus tractandae sunt, ut appareat, et quem Auctorem et quantam auctoritatem fidemque habeant. Sententiarum tam sunt multa genera, ut ea enumerare infinitum sit. Sunt vel *propriae*, ipsius natae Auctoris ingenio, vel *alienae*, ex aliis Auctoribus petitae: illustres formâ, reconditae materiâ: vel ad intelligentiam et ingenium, vel ad actionem et animum, pertinent; vel e vitâ communi susceptae, vel e doctrinis assumtae et Philosophiâ, morales, physicae, dialecticae. Nullius non sententiae vis ac potestas, si paulo altius abdita lateat, patefacienda est. Placita Philosophiae diligenter explicanda, praesertim in Plutarcho, qui inter primarios Historiae Philosophicae fontes censetur, in eoque argumento adeo est frequens, ut sine eius explicatione intelligi omnino nequeat. Neque vero rebus magis quam verbis illud adhibebit Interpres officium, quod cernitur in locis aliunde sumtis, seu diserte memorato, seu omisso Auctoris nomine, sive imitando expressis, sive alludendo significatis: cuiusmodi loci in nullo fere Auctore frequentiores sunt, quam in Plutarcho. Omnino propria ab alienis ita distinguantur, ut nullus non notetur locus, in quem aliunde quid duxisse videatur Auctor. Quod si enim minus ad ipsius intelligentiam Auctoris valeret, tamen pertinebat ad iudicium de Auctore et Criticam provinciam, pertinebat ad humanitatis ingeniique fructum, nosse, utrum a se ipse, an ab alio, sua habeat Auctor. Nunc tanti est momenti ad ipsam Auctoris intelligen-

tiam hoc officium, ut illa constare sine hoc omnino non possit.

Sed quod saepe diximus, illa interpretandi officia adhibenda esse locis, iis qui ea desiderent, et quantum desiderent atque opus habeant: hoc quale sit, intelligendum est. Interpretatio certum finem ac modum habeat. Nam, ut nemo dubitat, quin obscura illustrari, impedita expediri debeant: ita dubitatur, quid sit obscurum et impeditum. Atqui haec non per se, sed comparatione constant: non sunt absoluta, sed relata; ut, quod aliis obscurum impeditumque sit, idem aliis perspicuum expeditumque reperiatur. Ergo neque ita diffundenda est Interpretatio, ut eos etiam locos explicet, qui non nisi pueris ac tironibus obscuri sint: neque ita restringenda, ut nonnisi eos attingat locos, in quibus doctissimi homines haereant. In priori genere sunt Minellianae, Farnabianae, similesque editiones: quas ego haud penitus contemno, quippe ipse quondam earum utilitatem expertus: sed Plutarchum totum ad eam rationem edi nolim. In altero genere sunt Bentleianae et similes editiones, quae unice in emendando versantur, omnem rerum verborumque Interpretationem, quasi legentibus cognitam, omittunt: nec eam nisi obiter, ubi emendationis ratio reddenda est, attingunt. Ad quem modum, paucissimis accommodatum, non edendus est Plutarchus, cuius doctrina cum habet fructum, qui ad communem omnium utilitatem explicari debeat. Quid igitur? Media quaedam tenenda est via, quam quisque non imperitissimus sequi possit. Carneades *) in scholâ nimium clamans, a vicino admonitus, ut vocem aliquantum submitteret, respondit: *Da mihi vocis mensuram:* cui vicinus,

*) Plutarch. Op. Mor. p. 513, C: Diogen. Laërt. IV. 63.

Mensuram habes auditores tuos. Ita editor mensuram Interpretationis habet legentes: quorum captui, quasi auribus, ita vocem accommodabit suam, ut a quovis non surdo intelligatur, nec contentione obtundat acutiores, nec submissione praeterlabatur hebetiores. Non igitur se ipse faciet mensuram, ut de iis tantum locis dicat, qui adhuc ipsi difficiles videantur, praetereat locos, quos, antea minus intellectos, iam longo Auctoris usu intelligit. Personam sumet medii hominis, qualis ipse fuerat, anteaquam ad interiorem cum Auctore familiaritatem pervenerat: tum se ipse excutiet, ac suo sensu explorabit, quem Interpretationis modum legentibus admetiatur: quibus quantumque taceat. De locis quidem desperatis, quibus lucem aut sanitatem adferre non potuerit, ne taceat, sed ignorantiam ipse suam candide profiteatur. Qui secus facit, dupliciter peccat: et quod silentio intelligentiam simulat, et quod aliis corruptum tamquam sanum tradit. Nec potest, nisi simplex et apertus, quisquam esse bonus interpres.

Ad hunc modum si nobis Grammaticam Interpretationem explet interpres, praeclare nobiscum agi existimemus: contenti simus, nec ultra quid requiramus. Ipse vero interpres non ita se his finibus continebit, quin subinde in Criticam excurrat Interpretationem. Sed eam historicis magis, quam dogmaticis adhibebit locis: cavebit sibi, ne Auctorem ad nostri potius, quam antiqui rationem consuetudinemque ingenii, exigat: semper cogitabit, quid postulet loci ratio, quid legentium mensura: quorum ingeniis saepius relinquet hoc iudicium, quam ipse faciet. Nam horum quidem per est ridiculum et indoctum genus interpretum, qui in locis obscuris nec sibi intellectis tacent: ubi vero talem iudicandi locum nacti sunt, eum, quamvis

perspicuum, cupide arripiunt, in eum, ut ignorantiae tegumentum, se induunt, per longas disputationes intempestivam sapientiam expromunt, seque tum optimos interpretes iactant, alteros illos Grammaticos interpretes, quamquam unicos intelligentiae opifices, tamen, ut syllabarum aucupes, comtemnunt. Quo decepti errore multi, patrum maiorumque memoriâ, eas demum bonas editiones indicarunt, quibus *Discursus*, uti vocabant, *Politici* et *Philosophici* adiecti essent. Qui, quamvis accurate confutati ab Ernesto ad Tacitum, tamen hodieque in simili genere suos habent imitatores.

Caeterum interpres, quum id agere debeat, ut Auctoris intelligentiam aperiat, ita scribet, ut ipse intelligatur. Qui enim non ipse intelligitur, nae is, ut Auctor intelligatur, non efficiet. Igitur omne studium in perspicuitate ponet. Quam quidem vidimus a compluribus, quos nominare non est opus, doctissimis etiam viris, adeo neglectam esse, ut saepe minori negotio locus Auctoris, quam illorum Interpretatio intelligatur.

Haec ego quum et aliis locis disputaverim, et saepius inculcaverim, et hoc loco retulerim, neque tamen re et facto consequi et explere potuerim; vereor, ne apud plerosque in vanitatis reprehensionem incurram. Et fateor, hanc ipsam cogitationem me in maturandâ Animadversionum editione retardasse. Sane, multo est facilius artis rationem, quam usum, quod vulgo aiunt *theoriam*, quam *praxin*, tenere; facilius est bene dicere, quam facere; leges scribere, quam sequi. Nam ut reliquas omittam artes, de Interpretandi arte quotusquisque est, quin iudicare sibi posse videatur: quotusquisque ex innumerabilibus Logicae et doctoribus et scriptoribus, quin eius artis rationem

ac praecepta, veluti ex tripode oracula, decantet: rudes plerique omnes ab omni Veterum lectione ac studio. Quid igitur, dicat quis, caussae est, quod tu, qui vitam in Veterum lectione consumis, Interpretationis rationem et officium oratione probabiliter designas, re et actione non item probabiliter exples? quid est, quod Animadversiones tuae tantum ab illâ designatâ perfectione absint? Dicam paucis. Ego satius duxi, dare, quod haberem, qualecumque id esset, quam, opere diutius ducendo, aut nihil dare, aut qualecumque illud meum diutius a publicâ utilitate cohibere. Forte aliquanto meliores plenioresque meae futurae erant Animadversiones, si eas etiam nunc, quod aiunt, nonum pressissem in annum: at ne sic quidem, neque bis ac ter in nonum pressae annum, ad illam perfectionem venissent, semper magnâ in mediocritate substitissent. Quod ne cui mirum dubiumque videatur, ita mecum rem perpendat ac reputet.

Nam illa, de quibus diximus, Interpretationis instrumenta nemo non, qui hoc agit, comparare sibi posse putatur. Veluti, ut ex his unum, sed maximi illud momenti, memorem, quod cernitur in colligendo rerum verborumque apparatu, de quo dixi in Praefatione p. 19: hoc igitur magis laboris ac diligentiae, quam ingenii et felicitatis, censetur. Ut Auctores, inquit, antiquos, ac recentiores item optimos quidem, legamus, ex iisque eos excerpamus locos, quibus Auctoris, quem edendum suscepimus, loci difficiles expediantur et illustrentur, in nostrâ est potestate: quid enim, ut hoc efficias, requiritur, nisi ut primum velis, deinde ut opus aggrediaris, tum in labore persistas, excerpas locos Auctorum, eosque annotes ad locos tui Auctoris: hoc igitur, inquit, in negotio

omnia sunt in nostrâ potestate, nil extra eam in fortunâ. Atqui, o bone, quae tu numerasti nostrae instrumenta voluntatis ac potestatis, eadem sunt fortunae subiecta: certe, eiusmodi eorum est materia, in quâ non magis ratio et consilium, quam casus ac temeritas, dominetur. Nam ut concedam, in nostrâ esse potestate velle, incipere, progredi: ut hoc addam, dimidium esse facti, bene coepisse: quamquam horum nil non magnam dubitationem habet: sed ut haec tibi concedam, quid dices de constantiâ in perpetuitate laboris? Ut in longo et in fere infinito opere non torpore capiatur ingenium, non animus satietate, non caput vertigine, oculi caligine, manus ac totum corpus lassitudine; quorum et plura nonnumquam simul accidunt, et si vel unum acciderit, perfectus laboris fructus constare nequit: porro, ut in legendis aliis Auctoribus omnia animadvertas coniuncta cum tuo Auctore, huiusque tibi loci praesto sint, ne quid opportunum praetermittas, ut attentio non hebescat, festinatio studii nil praetereat, oculi nil praetervideant, manus suum semper officium faciat: ut, intermissum opus repetens, quo desiisti loco, pergas, nec sequentia occupans, antecedentium partem vacuam et intactam relinquas: haec tot tantaque quis tandem mortalis praestare potest? quippe quae extra nostram potestatem sita, vel a fortunae temeritate vel a naturae infirmitate existunt. Et quamvis multa, tamen ex innumerabili eorum multitudine non nisi pauca memoravi! Plato *) animi naturam comparavit currui iuncto duobus equis, gubernante aurigâ: aurigam fecit *νοῦν*, *mentem*; alterum equum agentem, fervidum, *θυμὸν*, *irae impetum*; alterum patientem,

*) In Phaedro p. 344. E.

pigrum, *ἐπιθυμίαν*, *cupiditatem.* Iam quis umquam humanus *νοῦς*, corpori ex hac terrenâ faece conflato inclusus, ita sui ipse imperium obtinuit, ut suas sibi facultates semper dicto obedientes haberet, easque in rectâ perpetuo viâ contineret? Et Plato illam constantiam solis Deorum curribus tribuit. Meus quidem currus ita comparatus est, ut auriga et vigilet et regat, quoad eius fieri potest, eique obtemperet fervidus equus; at piger equus perpetuo coniugis equi alacritatem retardet, et ab aurigâ nequicquam voce stimulisque excitetur. Atque huiusmodi planè plerorumque, quibuscum degi, hominum negotium cognovi. Unus fortasse et alter ex raro videbatur mihi esse genere eorum, qui sui ipse imperium obtineret. Videbam eos quotidie suas res agere, non modo negotia, sed et otia et literarum studia, certis horis distributa destinataque habere, neque a praescriptâ illâ designatâque viâ recedere. Felices eos praedicabam: quaerebam ex iis, quomodo hanc felicitatem consecuti essent; si forte eam ipse quoque consequi possem. *Voluntate*, aiebant, *et consuetudine.* Itane, inquam, voluntate et consuetudine? Atqui voluntas mihi numquam defuit, consuetudinem consequi non potui: haec, quaeso, quomodo comparatur? *Voluntate*, aiebant: atque idem iterum iterumque interroganti idem respondebant: vehementer quoque mirabantur, me, quem in Literis aliquid profecisse dicebant, non ipsorum ratione modoque vivere. Nae vos, inquam, mirifici estis homines, aut potius plus quam homines, heroes ac semidei, qui tam efficacem habeatis voluntatem: ego sum unus e multis; voluntas adest, vires desunt, saepe in viâ deficio, saepe a viâ in diverticulum deferor: vos, ut caelestia corpora et sidera, eumdem perpetuo et aequabilem tenetis motum. Caeterum ab

his discedens ac rem mecum ipse reputans, intelligebam, eos esse homines valde laudabiles, efficaces item et utiles ad quotidiana vitae negotia cum domestica et publica, tum etiam literaria, minus tamen ad egregia et insolita opera: nec sane ullum eorum ex hoc genere opus, quamvis diligenter quaerens, reperiebam: itaque eos, in summo illo ordine, hoc ipsum, ut ita dicam, homines ordinarios esse, aut potius sine illo ordine nullos futuros fuisse.

Neque vero ita hoc dico, ac si ordinem magis mediocritatis, quam excellentiae effectorem esse existimem. Nam nullum est tantum ingenium, ut ad discendum progrediendumque sine ordine quidquam magnopere valeat: et ipse me in Praefatione p. 33. professus sum et adhuc profiteor non in velocibus ingeniis, sed in tardis, quae labore et ordine nituntur. Et vellem sane ordinis legem constantius sequi possem: sed quando non possumus, quod volumus, debemus velle et agere, quod possumus, observare opportuna ad agendum tempora, ubi excitari nos et alacriores ad laborem fieri sentimus, eaque tempora subito se offerentia subito arripere ac sequi, sepositis, quoad eius fieri potest, ordinariis negotiis. Equidem quo magis illi γνῶθι σεαυτὸν studeo, eo magis meam ipse mediocritatem agnosco; reperio, meum ingenium in mediâ quadam classe versari: neque in infimâ eorum, qui, nisi perpetuâ ac severâ ordinis lege adstricti, nil possunt: neque in supremâ eorum, qui sine ordine omnia possunt: sed in mediâ eorum, qui ordinem et sequi plerumque, et deserere subinde debeant. Memini me per complures dies, atque adeo menses, aliquando nihil agere posse, ac deinde vehementer dolere, tantum mihi periisse temporis: postea maiore studio, et instauratis quasi viribus, intermissa studia repetere,

et amissum tempus compensare. Quid igitur? Quod alacritas deficit, quod redit, non est in meâ potestate. Ut deficientem alacritatem non invitis Musis in eodem studio retinere coner, sed ad aliud non inutile studium traducam: ut redeuntem excipiam ac sequar; horum utrumque in meâ est potestate. Itaque eo fere inducor, ut putem, amissum illud tempus dolere, idem esse ac dolere me hominem natum esse. Mens humana, quamdiu coniuncta est cum illâ equorum bigâ, nisi currum subvertere velit, equos non solum imperio, sed obsequio etiam reget, saepe eorum ingeniis indulgebit, magis lenitate, quam vi utetur. Maneat ergo hoc, multum valere fortunam, ut in omni vitâ, ita in studiis artium, literarum, doctrinarum: sed plus etiam valere prudentiam et rationem, quae oblatâ fortunâ scienter utatur: haud secus atque gubernator navem eo, quo vult, perducit, dum ventis obsecundat ac prudenter utitur.

Ergo, quum de vi fortunae, ut de plerisque rebus, duae sint caeque diversae et contrariae hominum opiniones, aliis nimium, aliis parum ei tribuentibus; nos inter ista extrema medium teneamus. Est autem inter nimium et parum in medio id, quod *satis* appellatur. Demosthenis *) haec in primis fertur sententia: *μεγάλη ῥοπή, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον, ἡ τυχὴ παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα· in rebus humanis omnibus magnum, immo omne, momentum est fortunae.* Sed hoc ad popularem concionis sensum, non ad philosophiae auctoritatem referebatur. In eodem est genere veteris poëtae dictum: *Vitam regit fortuna, non sapientia:* quod laudavit Theophrastus, ut Cicero **) ait, eamque ob caussam libris et scholis om-

*) Orat. Olynth. II, p. 24, C. **) Tusc. V, 9.

nium philosophorum vexatus est. Equidem utrisque ignoscam et vexato et vexantibus. Theophrastus dictum laudare poterat, ut vulgarem opinionem: alii reprehendere poterant, ut philosophiae sententiam. Nam philosophia cum multa nobis bona pollicetur, tum hoc in primis, ut nos in libertatem vindicet e servitute fortunae, nostrique imperium, illi ereptum, nobis restituat. Igitur plerique philosophi parum fortunae tribuerunt: non solum ii, quorum doctrinae hoc erat consentaneum: sed ii etiam, quorum adversabatur doctrinae, capti scilicet gloriâ professionis. Metrodorus, Epicuri familiaris: *Occupavi te, inquit, fortunâ, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non possis.* Aliquanto modestius ipse pater Epicurus: *Exigua sapienti intervenit fortuna:* id est, in sapientis vitâ paucos esse locos, qui fortunae pateant. Modestius, inquam: nec tamen aut verius, aut consequentius. At Stoici constantius: qui sapientem nullâ in parte a fortunâ pendere, solum non modo liberum, sed etiam regem sui ipsum volebant. Constantius, inquam: nec tamen accommodate ad humanam naturam, quae illum sapientem non capit. Nos, qui non sumus sapientes, medio inter sapientiam et fortunam versamur loco. Multum in rebus nostris valet fortuna: plus etiam sapientia valere potest, si ei pareamus ut gubernatori, fortunâ utamur ut ventis. Et huc sane redit tota Philosophia, si quidem recte ab ipsis Stoicis *τέχνη βίου, vitâe ars*, definitur.

Sed quid haec disputatio ad nostrum argumentum? Sane multum. Nam qui ab Interprete tale quid postulat, ut nil perperam factum, nil neglectum, opportunus aliorum Auctorum locus nullus omissus deprehendatur: hic profecto Interpretem vult ab omni for-

tunae dominio liberum et immunem, plane perfectum sapientem ad Stoicorum normam. Ad quam legem et conditionem si Interpretes semel redigantur, quis tandem mortalis, quamvis doctus et ingeniosus, Interpretis provinciam suscipere audeat? Hoc illud est, quod magnum Hemsterhusium ab edendis antiquis Auctoribus deterruit: quod, ut de eo prodit Ruhnkenius *), „Nihil, nisi quod omnibus numeris expletum esset, a se exire vellet; quod, quamcumque rem tractandam sumsisset, eam ita excutere et cum pulvisculo exhaurire studeret, ut, qui posthac idem agere instituerct, omnem sibi materiam praereptam fateretur. Quibus de causis memoriae suae, fidissimo caeteroquin omnium, quae semel legisset audissetve, custodi irasci solebat, si vel leve quiddam, quod eodem pertineret, sibi post editum librum suppeditaret.“ Saepe etiam accidebat, ut aliquis minorum gentium Criticus, atque adeo terrae filius, interea tale quid animadverteret et continuo in publicum proderet, vel uti graculus in praedam ita in hanc gloriolam involaret, altum quoddam raucumque clamaret, se nimirum id vidisse, quod tantum virum latuisset. Quibus graculis ut non magnopere movebatur Hemsterhusius, ita minus etiam ad scribendum excitabatur. Enimvero quis umquam fuit editor, cui non post editum librum quaedam in mentem veniant praetermissa? Et haec tamen in scriniis servat interea, dum vulgandi opportunitas offeratur: nisi si quis pueriliter, ut ita dicam, edituriens, quotannis Animadversionum libellum vulgare velit, quibus veteres retractet, et novas item subitaneas addat proximo rursus anno et libello retractandas; ut scilicet partum ipse suum ostentet, nec eius gloriam

*) Elog. Tib. Hemsterhusii, p. 65.

sibi ab alio praeripi sinat, *Μήτις κῦδος ἄροιτο βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι.* Unus fortasse est commentarius Ruhnkenii in Timaei Lexicon Platonicum, ex editione alterâ, cui nil ad absolutionem desit. Sed quis dicat, non uno aut altero loco quid addi posse? quandoquidem ea est horum operum natura, ut semper accessioni locus relinquatur. Atque, si quid video, unus fuit post renatas Literas Ruhnkenius ex paucis iis, quibus hoc in studiorum genere par cum efficaciâ facilitas, par cum secundo fortunae flatu gubernandi solertia obtigerit. Equidem ipse quoque in Plutarcho editionem mihi proposueram omnibus numeris absolutam, praesertim quod ad colligendum doctrinae apparatum attinet. At mox animadverti, me maius quoddam quam pro humano et captu et vitae spatio concepisse: meum propositum ex illâ magnitudine in arctiores fines redegi. Itaque hoc teneamus, nostro nos modulo metiamur. Ne speremus, nos omnem futuri interpretis operam occupasse ac supervacaneam reddidisse. At speremus, operam nostram inventuram aequos intelligentesque iudices, qui eam ex maiore censeant parte, errores nostros cum recte factis compensent, haec potius laudi, quam illos vitio, nobis vertant.

Hac ego spe fretus meum adhuc iter tenui: nec me aliorum festinatione ipse ad festinandum induci passus sum, qui interea, dum ego meum opus agerem, vel totius editionis, vel singularum animadversionum mihi laudem novitatemque praeriperent. Neutris irasci debeo: illis, quia nil nisi, idem atque ego stadium ingressi, cursu me praeverterunt: his, quia eodem ipse adolescens morbo laboravi. Illâ aetate subinde Criticos libellos edere gestiebam; ne scilicet animadversiones publicâ luce, ut putabam, dignas, praesertim in

locos a claris Criticis frustra tentatos, in tenebris continerem. Quem meum morbum et maturior aetas sanavit, et Ruhnkenii admonitio. Hic meum studium ab istiusmodi libellorum editione ad Plutarchum convertens, *His tuis emendationibus*, aiebat, *locum aliquando dabis in editione operum Plutarchi.* Cui ego: *Quid vero, si quis illas mihi interea praeripit?* Tum ille: *Pauperis est numerare pecus: et vel praereptas tu ut tuas prodes emendationes: certe praestat, magnum opus agere, quam in levibus opusculis tempus perdere.* Ergo posteà neque in Bibliothecà Criticâ, ubi huius negotii locus videbatur esse, illas emendationes vulgavi; nisi forte ad eos Auctores referrentur, quorum in editionibus censendis versarer: neque etiam reliquas omnes in his Plutarcheis Animadversionibus prodam; certe non nisi eas, quas Animadversionis cuiusque argumentum postulare videbitur.

DE

M. T. CICERONE PHILOSOPHO.

Bibl. Crit. Amstelod. Vol. I. P. 3. p. 2 sqq.

Gravis error plerorumque animos occupavit, qui et ipsi crederent, et aliis etiam persuadere conarentur, in Ciceronis de Philosophià libris orationis tantum inesse suavitatem, rerum ac rationis praestantiam exiguam; eorum igitur lectionem haud inutilem esse iis, qui verborum ornatum consectarentur, non item iis, qui ipsarum rerum certam scientiam quaererent. Neque etiam istorum unum est ac simplex genus vitupera-

torum. Ac primum quidem sunt homines nimium acuti, qui putent, subtiliter accurateque disputari non posse, nisi orationis adsit siccitas ac ieiunitas. Atqui Cicero in Rhetoricis libris de oratoriâ facultate tam accurate, quam eloquenter, disseruit. In Orationibus eius ipsius artis summum et perfectum opus effecit. In Epistolis eandem facultatem ad varia vitae negotia consiliaque accommodavit. Igitur in his quidem generibus orationis elegantia non obfuit rerum bonitati, in Philosophiâ obfuit? Et unius Philosophiae tam iniquum est fatum, ut, nisi inculte horrideque, bene explicari non possit? Videte, o boni, ne ipsi parum acute agatis, qui, cum nullum a naturâ habeatis pulcri sensum, et idcirco, ut quidque elegantissime scriptum est, ita minime intelligatis, de reliquis tamen hominibus ex vestrâ imperitiâ iudicatis!

Sunt quoque, quibus videatur horum librorum laus magnopere imminui, quod fere ex Graecis fontibus ducti sint. Quibus quidem facillime occurritur. Neque enim Cicero Graecorum libros ad verbum Latine vertit, sed suam iis rationem, suum iudicium ac lumen adhibuit. Verum fac, eum nil aliud quam Graeca Latine vertisse. Quis idcirco paulo humanior eius de Philosophiâ libros minus probet atque miretur? Nunc, in tanto veterum naufragio, eo magis a nobis legendi, discendi, et in primariis veteris Philosophiae monumentis colendi sunt.

Aliud est genus eorum, qui aiunt, Ciceronem mediocriter Philosophiae peritum fuisse: sive quod leviter, et quantum satis esset ad oratoris officium, eam attigisset: sive, quod ea apud antiquos Philosophiae fuisset conditio, quae cum eo, qui nunc est, splendore vix comparari possit. Magnae hic disputationis aperitur campus, de veteris hodiernaeque Phi-

losophiae comparatione. Quae cum sit res una omnium difficillima ad diiudicandum, tamen fere, ut quisque est rudior ab antiquitatis usu, ita de eâ statuit audacius. Nos quominus in eam disputationem digrediamur, instituti nostri finibus prohibemur. De eâ quidem Philosophiae parte, in quâ Cicero versatus est, hoc et affirmamus et contendimus, eam ita cum ab ipso Cicerone, tum ab aliis antiquis explicitam esse, ut nec copiâ atque ubertate, nec principiorum constantiâ ac veritate, nec rationis acumine, diligentiâ, subtilitate, recentior aetas melius quidquam tulerit.

Iam qui putant, Ciceronem ipsam Philosophiam non satis percepisse, sed veluti eloquentiae instrumentum assumsisse, hi nec eloquentiae vim intelligunt, et Ciceronis ingenium suae ipsi mentis angustiis metiuntur. Nostrae haec est aetatis consuetudo, quâ iuvenes, qui se oratores aliquando profiteri volunt, si qui alias etiam eloquentiae adiutrices disciplinas adhibendas sibi iudicant, eas fere currendo gustant, ne earum peritiores fiant, quam par sit, et a proposito fine retardentur. Qua quidem festinatione illud egregie assequuntur, ne iusto fiant doctiores: sed praeterea orationis quoque genus contrahunt, tam verbis exsangue, quam rebus ieiunum. Verum quis tandem haud prorsus ab antiquitatis scientiâ rudis, aut Ciceronis ingenium ad istorum hominum modulum exigere, aut omnino hodiernam eloquentiam cum veteri conferre audeat? Cicero, ut de reliquis eius doctrinarum studiis nil dicamus, in unâ profecto Philosophiâ tantum operae temporisque collocavit, quantum vix ii, qui hoc unum agunt, ut Philosophi dicantur atque habeantur. Ac ne forte hoc a nobis temere dictum videatur, exponemus, veluti in tabulâ, hanc partem vitae studiorumque Ciceronis. Eritque ea res tam utilis suavis-

que ad cognoscendum, quam coniuncta cum nostro consilio.

Igitur, cum puer esset, Phaedrum audivit Epicureum, eumque valde ut philosophum probavit: (Ep. Div. XIII. 1.) Postea vero, annum agens undevigesimum, maiori quodam ad Philosophiam studio concitatus, totum se tradidit Philoni, quartae Academiae principi; qui, Mithridatico bello, domo profugus cum Atheniensium optimatibus Romam venerat. Sequebatur illa Academia philosophandi genus maxime elegans minimeque arrogans: quippe quae de omnibus rebus in utramque partem disputabat, pauca vera, multa verisimilia esse dicebat, ubique exquirebat, quid verum aut verisimile esset, nil tamen ipsa statuebat, sed animum ab assensionis temeritate cohibebat. Atque ex hac disciplinâ duplicem fructum percepit Cicero. Alterum, quod exercebatur atque acuebatur ad perspiciendas varias veri falsique species, easque adhibendas accommodandasque ad animorum moderationem multiplicesque motus; unde ipse fatetur, se oratorem extitisse non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis. Alterum, quod, susceptâ hac de omnibus contra omnes disputatione, necesse erat reliquarum etiam sectarum placita rationemque cognoscere, omnesque adeo res mentis cogitatione complecti. Quod quamquam difficilius videatur, quam pro humani ingenii modo, tamen ita Cicero perfecit, ut non satis haberet, res, contra quas Philo disserebat, ex eiusdem disputationibus cognovisse, sed ex ipsis fontibus peteret, ac singulas Philosophiae sectas ipse adiret, earumque excellentissimis doctoribus uteretur. Itaque Diodotum, Stoicae rationis magistrum, adhibuit, eruditissimum hominem, a quo per triennium in variis doctrinis erudiebatur, et in Dialecticâ in primis diligenter ex-

ercebatur. Nam et Stoicam disputandi rationem sibi addiscendam iudicabat Cicero, quae breviter concludebat, et veluti adstricta contractaque erat; cum contra Academica latior et in omnes partes fusa esset. Ac per idem tempus in foro versatus, duas dixerat caussas, quibus nihil quidquam ad summam eloquentiae laudem deesse videretur, quum consilium cepit in Graeciam proficiscendi. Et primum Athenis per sex menses Antiocho dedit operam, qui, a Philone magistro dissentiens, quintam condiderat Academiam, quum se, ut quidem ipse aiebat, ad veterem Academiam Xenocratis ac Speusippi retulisset, revera cum Stoicis ita rediisset in concordiam, ut, si perpauca mutasset, germanus Stoicus fuisset. Inde, peragratâ Asiâ, Rhodum veniens, Molone dicendi magistro usus est, et simul Posidonium, principem eius aetatis Stoicorum, diligenter audivit. Ita duobus annis in Graeciâ transactis, domum rediit, cum confirmatus corpore ad dicendi laborem, tum egregie locupletatus Philosophiae scientiâ; eaque ingenii bona ita explicare atque in civium utilitatem conferre instituit, ut ipse sibi forensi operâ caussisque dicundis iter faceret ad summos in republica honores. Iam vero in hac tam occupatâ vitâ Philosophiae studium aut abiecit, aut intermisit? Ille vero non modo intermisit, sed auxit etiam quotidie, cum commentatione, tum summorum philosophorum familiaritatibus, quibus semper eius domus floruit. Itaque si ex eius scriptis nil, praeter orationes, ad nos pervenisset, vel hae ipsae ex philosophi ingenio se profectas probarent, cum rebus ac sententiis, tum ratione ac viâ. Nunc et Rhetorici sunt libri, quibus eloquentiae praecepta ex intimis Philosophiae ducta sunt fontibus. Sunt de ipsâ Philosophiâ libri multi, admirabili suavitate, subtilitate, uber-

tate. Nam cum, auctore Socrate, Philosophiae studium ad mores ac vitae actionem referret, scripsit primum eo tempore, quo reipublicae gubernacula tenebat, sex libros de Republicâ: Platonis quidem exemplo: neque tamen ita eam informavit, ut in re ac naturâ existere non posset, sed ut explicitâ humanae societatis origine atque indole, optimam civitatis formam effingeret, eamque in exemplum proponeret, ad quod Romana respublica revocaretur atque emendaretur. Postea, cum Ciliciam obtinuisset provinciam, bis iterum Athenis fuit, et proficiscens et redux, et vetera studia renovavit. Neque multo post, eiusdem Platonis imitatione, libros de Legibus scripsit: eamque disciplinam ex Juris civilis et formularum angustiis, quibus hucusque constricta tenebatur, vindicavit, suamque ei dignitatem restituit, cum eam a Divinâ naturâ repeteret, legesque inde duceret, quas ad optimum, quem in libris de Republicâ exquisiverat, civitatis statum accommodaret. Quod utrumque opus nisi temporum iniuria nobis invidisset, haberemus profecto, quo contenti, multa hodiernorum in hoc genere compendia ac systemata facile contemneremus. Nunc libri de Republicâ ad unum omnes interciderunt *): et ex quinque de Legibus tres tantum, neque ii integri, ad nos pervenerunt. Ceterum, ut argumentum hoc cum prudentiâ civili proxime coniunctum erat, ita Cicero alias, easque interiores, Philosophiae partes explicuit, posteaquam se a reipublicae administratione removis-

*) Anno demum 1822 *Angelus Majus* magnam eorum partem in cod. palimpsesto bibliothecae Vaticanae detectam Romae edidit. Unde quanquam totius operis desideratissimi ratio disci potest, aliaeque res scitu dignissimae cognoscuntur, valde tamen dubito, quin multa insint, quae ad animum ingeniumque Ciceronis melius perspiciendum faciant, quam hucusque nobis concessit caeterorum scriptorum integrorum assidua lectio. *FR.*

set. Nam cum omnium rerum potestas ad unum Caesarem rediisset, Cicero ita se gessit, ut tam humanitatis, quam gravitatis, rationem haberet: et a reipublicae quidem procuratione et caussarum patrocinio recessit, ne fortunam alterius admirari adularique cogeretur: neque tamen se abdidit afflixitque, ut multi faciebant, sed, veluti ex tempestate in portum, ita se ad literas suas recepit, Philosophiamque primus Latinae orationis luce illustrare instituit. Igitur ad ipsam Philosophiam primum cives hortatus est Hortensio, deperdito libro. Tum philosophandi genus Philonis, quod maxime probabat, commendavit libris Academicis. Horum primum duos scripserat, Catulum et Lucullum, quorum uterque huic disputationi interfuerat. Postea eandem disciplinam copiosius uberiusque explicuit quatuor libris ad Varronem. Sed ex priore editione superest Lucullus, periit Catulus: posterioris quatuor libros omnes intercepit vetustas, exceptà primi libri particulà. Cumque totam fere Philosophiam, Socratis exemplo, ad vitam moresque referret, eiusque disciplinae ratio accurate explicari nequeat, nisi constet, a quibus initiis voluntatis naturaeque motus proficiscatur, ad quemque finem tendat; locum hunc accurate et subtiliter pertractavit quinque libris de Finibus Bonorum et Malorum. Primo Torquatus exponit Epicuri sententiam; secundo eam refellit Cicero: tertio Stoicam rationem explicat Cato: quarto eandem refellit Cicero: quinto Academicorum veterum ac Peripateticorum doctrinam aperit Piso, ita quidem, ut facile appareat, eam ipsi Ciceroni maxime probatam fuisse. Sed cum ad beatam vitam non satis sit, fines bonorum ac malorum perspicere; sed animus etiam cum inflammandus sit ad virtutis studium, tum confirmandus contra multas variasque vitae calamitates; huic loco

satisfactum est quinque libris Tusculanarum Disputationum, quibus res ad beate vivendum maxime necessariae accurate copioseque pertractantur. Nam primus est de mortis contemtu, qui ducitur cum ex rerum humanarum perspicientiâ ac despicientiâ, tum ex certo indicio de animorum immortalitate ac gubernatione divinâ: secundus est de tolerando dolore: tertius de aegritudine leniendâ: quartus de reliquis animi perturbationibus: quintus unum totius Philosophiae gravissimum caput continet, cum docet, ad bene beateque vivendum virtutem se ipsâ esse contentam. Caeterum, ut multis partibus Philosophia moralis a Physiologiâ seu doctrinâ de rerum naturâ pendet, ita haud parum refert, quid de Divinâ naturâ sentiamus, quamque ei vim tribuamus. Igitur haec etiam quaestio explicita est, tribus libris de Naturâ Deorum, ita quidem, ut de eâ neque ex populari opinione, neque ex certae alicuius sectae decretis statueretur, sed Academicorum more disputaretur. Primo enim libro Epicuri opinio exponitur a Velleio, ac refutatur a Cottâ: secundo Stoicorum sententia explicatur a Balbo: eademque tertio libro reprehenditur a Cottâ. Iam cum Cicero sub Cottae personâ latere videatur, isque non quid ipse sentiret prodiderit, sed aliorum sententias reprehenderit, fuerunt, qui ipsum Ciceronem de Divinâ naturâ nil certi sensisse, sed fluctuasse, dicerent: minime illi quidem mali homines, sed parum acuti, neque gnari Ciceronianae Academicaeque consuetudinis. Tertiae Academiae principes Arcesilas et Carneades statuebant, nil in sensibus inesse veritatis, nil ab hominibus sciri posse; dubitabant de omnibus, et contra omnia disputabant. Sed ex istâ dubitatione Philo haud parum remittebat, neque tantum contra omnia disputabat, sed, Aristotelis et Peripateticorum more,

de omnibus rebus in utramque partem disserebat. Itaque recte suum ipse morem Cicero vindicavit contra istos reprehensores, cum multis aliis locis, praesertim Academicorum librorum, tum diserte etiam in iis de Officiis (II, 2.): „Occurritur autem nobis,“ inquit, „et quidem a doctis et eruditis, quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, cum percipi nil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus, et hoc ipso tempore praecepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam, quod sequatur. Quae enim esset ista mens, vel quae vita potius, non modo disputandi, sed vivendi ratione sublatâ? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic, ab his dissentientes, alia probabilia, contra, alia non probabilia, esse dicimus. Quid est igitur, quod me impediat, ea, quae mihi probabilia videantur, sequi: quae contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quae a sapientiâ dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utrâque parte caussarum esset facta contentio.“ Sed, ut revertamur, unde digressi eramus: Epicurei Deum verbis relinquebant, re tollebant, cum eum a mundi procuratione removerent, et ad humanam imbecillitatem conformarent. Stoici contra, et esse Deum, et res humanas curare, acerrime contendebant: sed conquisitis omni operâ, multis etiam levibus et e longinquo arcessitis, rationibus pugnabant, ut et rem obscurare magis quam illustrare, et suae ipsi caussae diffidere viderentur. Quare Cicero ita contrarias Stoicorum Epicureorumque sententias reprehendit, ut se neutri addiceret, sed propius tamen ad Stoicam accederet.

Quod cum aliunde constat, tum quod ipse in fine tertii libri testatur, ita se ex hoc colloquio discessisse, ut Vellcio Cottae disputatio verior, sibi Balbi sententia ad veritatis similitudinem propensior videretur; tum quod aliis locis, ubi ipse ex suâ personâ disputat Cicero, veluti in Legibus et Tusculanis, virtutis et iustitiae rationes ex certo de Divinâ naturâ iudicio, Stoicorum more, repetuntur. Secuti sunt duo libri de Divinatione, seu eâ parte Providentiae, quae in portendendis humano generi rebus futuris versatur. Huius in primo libro patrocinium suscipit Quintus frater, eamque ex Stoicorum sententiâ acerrime defendit ac tuetur: secundo contra ipse Cicero eam certissimis rationibus evertit. Atque huius disputationis operae pretium est conclusionem cognoscere, ut intelligatur, Ciceronem in aliorum refutandis opinionibus id unum egisse, ut ex hominum mentibus errorem ac superstitionem eiiceret. „Explodatur," inquit, „haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, superstitio fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod et in iis libris dictum est, qui sunt de naturâ Deorum: et hac disputatione id maxime egimus. Multum enim et nobis ipsis, et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero, id enim diligenter intelligi volo, superstitione tollendâ religio tollitur. Nam et maiorum instituta tueri, sacris caerimoniisque tuendis, sapientis est: et esse praestantem aliquam aeternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum coelestium cogit confiteri. Quamobrem ut religio propaganda etiam est, quae est coniuncta cum cognitione naturae: sic superstitionis stirpes omnes eiiciendae. Instat enim

et urget, et, quo te cumque verteris, persequitur; sive tu vatem, sive tu omen audieris; sive immolaris, sive avem adspexeris; si Chaldaeum, si haruspicem videris; si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo; si ostenti simile natum factumve quippiam; quorum necesse est plerumque aliquid eveniat: ut numquam liceat quietâ mente consistere: cet." Restabat tertius Physiologiae locus, qui coniunctus esset cum morum doctrinâ, de Fato. Hoc enim si est ullum, nilque relinquitur nostrae potestati; nec laudi nec vituperio, nec praemiis nec poenis locus sit. Igitur haec etiam pertractata est quaestio duobus, ut videtur, libris, ex quibus nil nisi alterius particulam servavit fortuna. Sunt praeter hos alii extremis temporibus a Cicerone scripti libri: tres ad Atticum, de Amicitiâ, de Senectute, et deperditus de Gloriâ: Paradoxa, quibus Stoicorum placita, quae ab hominum communi sensu abhorrerent, vindicavit: denique suavissimi accuratissimique libri de Officiis, quorum duos priores a Stoico Panaetio sumsit, tertium suo ipse expromsit ingenio.

Satisne videmur summam et consilium Ciceronianae Philosophiae ostendisse? Quid si singulorum etiam librorum vim ac rationem describeremus? Nunc quidem simus contenti hac universâ disputatione: quâ nos illud effecisse speramus, ut literarum amantes intelligant, nos operam nostram in re minime levi et contemnendâ posuisse, si aliquid ipsi contulerimus ad hos libros nonnullis locis melius intelligendos. Et quam superioribus censuris rationem tenuimus, eam hac quoque tenebimus. Neque enim per universos libros philosophicos temere vagabimur, sed quosdam, in quibus praecipue versemur, eligemus. Qui quidem erunt de Officiis, et de Naturâ Deorum.

Atque hoc loco non possumus silentio praeterire, qui nos error diu tenuerit: si forte nostrum exemplum aliis prodesse queat. Ex Ciceronianis libris omnium primi a nobis lecti sunt illi, qui sunt de Officiis: consuetudine tam perversâ, quam pervulgatâ. Eramus tum pueri: id est, eâ aetate, quâ horum librorum vim ac praestantiam minime perciperemus, verba verbis redderemus; nec hoc quidem sine summo taedio, quod res ipsas non intelligebamus. Itaque factum est postea, ut, quo plus suavitatis caperemus egendis Poëtis et Historicis, qui sine dubio magis accommodati sunt puerili ingenio, eo minus iucunda nobis accideret recordatio librorum de Officiis. Tum contemtus etiam oriebatur reliquorum omnium Ciceronianorum de Philosophiâ librorum: qui quidem in dies augebatur hominum iudiciis, quorum apud nos multum valebat auctoritas. Huc accedebant decreta Doctorum atque Professorum, qui ex cathedrâ saepius Ciceronem ridebant, exagitabant, condemnabant. Hi scilicet omnia demonstrabant, ut quidem sibi et discipulis videbantur: Cicero et veteres hanc egregiam demonstrandi artem non noverant, tantum declamaverant. Coepimus tum nobis persuadere, nullo alio consilio Ciceronem nobis pueris in manus datum fuisse, quam ut Latine disceremus. Quamquam non recordabamur, nos eius lectione quidquam ad Latinae orationis facultatem profecisse. Nec mirum: verba sine rebus tradita memoriae effluxerant. Verumtamen, dicebamus, alii sunt a Cicerone de Philosophiâ scripti libri, praeter illos de Officiis: sunt Academici, Tusculani, et de Finibus Bonorum et Malorum. Haec nomina quid sonarent, quidque sibi vellent, ne suspicabamur quidem. Sed ecce! est etiam de Naturâ Deorum. Erit hic sine dubio compendium vel systema

Theologiae Naturalis? Age legamus! Exordium elegans et grave: sed tamen certa principia, axiomata et definitiones mallemus. Pergamus! Velleius Epicuri sententiam explicat: refellit eam Cotta. In haccine refutandâ opinione totus liber consumendus erat, quam quilibet unus ex nostris philosophis uno ictu profliget? Videamus secundum librum. Balbus Divinam esse Naturam demonstrat. Demonstrat? Imo vero vult, nec potest! Neque enim est argumentum a priori, neque etiam argumentum a posteriori se nobis offert. Itaque hunc librum non totum perlegamus; nam, quod inter nos dicere liceat, difficilis est ad intelligendum. Accedamus ad tertium! Quid? Cotta disputationem Balbi reprehendit, dicit, quid ei in eà placeat, quid displiceat. Ciceroni Balbi sententia verisimilior videtur. Ubi Mathematica methodus? Nostri quidem philosophi primum axioma ponunt, tum definitionem, deinde postulatum, tum theorema, denique addunt demonstrationem. Ergo abiiciebamus tum Ciceronem, cum obcaecati hac evidentiae Mathematicae opinione, tum rudes a linguae cognitione et ab Academicae rationis usu. Omnino saepius hoc postea cognovimus, hominibus etiam acutis atque haud indoctis, sed adsuetis scholasticorum compendiorum ieiunitati, elegantem illam, quam Cicero sequitur, Socraticorum colloquiorum rationem placere non posse. Ceterum haec tantopere laudata et ab hodiernis in Metaphysicam inducta vis Mathematicae rationis nescio quomodo paulatim apud nos evanescebat, et minus minusque sensum nostrum percutiebat: illam invictam cogendi vim non amplius sentiebamus: aliud semper requirebamus. At hoc quid tandem rei est? In Mathematicis quidem post demonstrationem nullum amplius subnascitur dubium: in Metaphysicis non item. Tum denique ex-

cussimus hanc fallaciam, cognovimusque, hanc demonstrationem ludibrium esse ac laryam, nec magis pro Mathematicâ evidentiâ habendam, quam in theatris pro vero Hercule habemus histrionem parvo et exili corpore, quamvis se in leoninâ pelle et clavâ iactet. Postea factum est, ut in Xenophontem ac Platonem incideremus, quorum scriptis egregia illa et divina prorsus Socratica ratio consignata est. Hanc deprehendimus pauca quidem affirmare; sed, quae semel affirmasset, eo certius tenere: omnino eam unam verissimamque disciplinam esse Philosophiae, maximeque accommodatam humano ingenio: quippe quae veri indagationem a simplicissimis minimeque dubiis naturae initiis duceret, et nos ipsos nobis cognoscendos daret, cuilibet sententiae suum pretium statueret, ac philosophantes erroribus et purgaret, et ab iis tutos praestaret. Itaque, huius rationis veritate subtilitateque capti, cum Cicerone in gratiam rediimus. At quam diversus et longe alius, atque antea, tum nobis videbatur! Omnia non tantum suaviter, sed caute, accurate et utiliter eum scripsisse intelligebamus. Sed tamen illa praeiudicata de Officiorum libris opinio, ut tenerrimâ aetate suscepta erat, ita difficillime deponebatur. Nam cum, post excussos alios adolescentiae errores, hos libros aliquoties legissemus, semper adhuc aliquid ex veteri errore remanebat; ut non dubitaverimus alicubi concedere reprehensoribus istis, qui dicerent, doctrinam de Officiis non accurate et vere a Cicerone traditam esse. A quâ nunc sententiâ tantum absumus, ut nobis hi libri, cognito eorum consilio atque instituto, omnium maxime diligenter conscripti videantur.

DE
M. T. CICERONE ORATORE.

Bibl. Crit. Amstelod. Vol. I. P. 2. p. 1 sqq.

Quamquam in nullo non doctrinae ac rationis genere excellens atque admirabile fuit Ciceronis ingenium, summa tamen eius virtus ac perfectio in orationibus cernitur. Nec illa profecto plebis literatae est opinio, sed fuit ab omni tempore prudentissimorum hominum certa sententia, in Cicerone perfectae eloquentiae modum et quasi mensuram contineri. Quod et eorum, qui veterum monumenta diligenter tractant, suo quisque sensu ac iudicio percipit, et ratione quoque intelligi potest. Nam si ipsius Ciceronis res atque vitam spectemus, reperiemus, in eo ad summam eloquentiae praestantiam conformando tres illas rerum humanarum gubernatrices conspirasse, naturam, disciplinam, fortunam. Primum a naturâ habebat ingenium docile, sollers, perspicax, et tenerum ad pulchri honestique sensum. Cumque multum in utramque partem valeat, a quibus principiis vitae cursus ducatur, quibusque parentibus, legibus, patriâ, quis nascatur; Cicero in hac parte tam benivolam fautricem nactus est fortunam, ut ex his ingenii praeclaris dotibus animus existeret magni honestique appetens, turpis sordidique despiciens. Natus enim est patre equite Romano, ex splendidissimo ordine eius civitatis, quae orbis terrarum imperium obtinebat, eâ gente atque aetate, quâ vetus illa disciplinae salubritas severitasque adhuc vigebat, nondum corruptis luxuriâ civium animis, neque ad potentiorum adulationem abiectis. Sed adhuc rei

publicae constabat maiestas, sua patriae sanctitas. Recenti memoriâ florebant fortia maiorum facta, quibus puerorum aures quotidie personabant, omnisque ab eorum animis arcebatur humilis turpisve cogitatio, atque universi excitabantur, ut dignos se et idoneos praestarent, qui tantam imperii magnitudinem tuerentur, vel bellicâ virtute, vel civili scientiâ. Porro eloquentia acerrimis florebat civium studiis, maximis ei propositis praemiis ad opes et honores. Adolescentes, sumtâ virili togâ, in foro quotidie versabantur, ibique usu diserti fiebant audiundis dicundisque caussis, et mature operam suam rei publicae, illustri defensione vel accusatione, commendabant. Ex tali igitur ingenio, animo, institutione, usu, necesse est sponte efflorescere eloquentiam, etiam si nulla ars nec literarum disciplina accesserit. Verissimus enim est atque uberrimus eloquentiae fons in ingenio magnarum excelsarumque rerum cogitatione nutrito, et exercitato dicendi consuetudine. Hoc cum inflammatur vel honesti sensu vel indignationis dolore, sponte parit eam orationem, quâ audientes moveat, incendat et in suam sententiam rapiat. Quid vero, cum ars quoque ac disciplina accedant? cum mens omnis antiquitatis et historiae scientiâ repleatur? cum ingenium continuâ lectione optimorum oratorum, poëtarum et in omni genere scriptorum excolatur atque acuatur? cum philosophia animorum rationem rerumque naturam explicet et modum definiat? cum ratio exercitatioque intelligentissimorum magistrorum praeceptis conformentur? Nonne tunc aliquid existere necesse est supra reliquorum mortalium modum et plane divinum? Atque haec omnia in Cicerone convenisse videmus. Erat in eo cupiditas illa, quam in philosophi indole inesse vult Plato, scientiae, non unius alicuius sed univer-

sarum: eiusque iam in puerili disciplinâ ingenium ita excellebat, ut ab omnibus miraculi loco celebraretur.

Anno aetatis decimo sexto, sumtâ virili togâ, in forum se dedit, studiumque ingressus est eloquentiae, cuius quidem viam et quasi gradus ipse in Bruto descripsit.

Nam cum in foro summorum oratorum genera cognosceret, incredibili eiusdem laudis amore percussus, ita oratorias exercitationes suscepit, ut quotidie legeret, scriberet et commentaretur. Iuris etiam civilis discendi caussâ, a patre ad Q. Mucium Augurem ita erat deductus, ut, quantum fieri posset, a senis latere numquam discederet. Sequenti anno admirabili ad philosophiam studio concitatus, totum se dedit Philoni, principi Academiae; et Molonem etiam adhibuit Rhodium, summum dicendi magistrum actoremque caussarum. Tum per triennium, quo unus in foro regnabat Hortensius, eius gloriâ stimulatus, dies noctesque in omnium doctrinarum, in primis philosophiae ac dialectices, commentatione versabatur, duce Diodoto Stoico, quem semper secum habuit: neque tamen ullus dies vacuus erat ab oratoriis exercitationibus: Graece potissimum declamabat, et summorum eius gentis auctorum haud paucos libros Latine vertebat. Anno aetatis vigesimo sexto primam dixit privatam caussam pro P. Quinctio, et sequenti publicam pro Sexto Roscio Amerino. Quibus orationibus cum omnes iudicarent perfectae iam eloquentiae virtutem contineri, Ciceronisque nomen ubique celebraretur; ille tamen minime, quo errore praeclarâ indole multi iuvenes labuntur, hominum admiratione deceptus sibi ipse plausit, et omnia se iam summa consecutum arbitratus, a disciplinarum studiis ac magistrorum exercitatione discessit. Nam cum in dicendo animus eius

spiritusque vehementius intenderetur, quam corporis imbecillitas ferre posse videretur; illi, quibus carus erat, eum hortabantur, ut caussas agere desisteret. Ille vero quodvis sibi adeundum ratus periculum, ne a speratâ dicendi gloriâ discederet, in Asiam profectus est, ut, commutato dicendi genere, temperatius dicere assuesceret. Cum Athenas venisset, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae prudentissimo philosopho, fuit, studiumque philosophiae numquam intermissum, a primâque adolescentiâ cultum et semper auctum, hoc iterum summo doctore et auctore renovavit: simulque studiose in dicendo exercebatur apud Demetrium Syrum. Postea totam Asiam peragrans, summos, quibus tum ea regio florebat, oratores adiit, cum iisque se exercuit. Neque his contentus Rhodum etiam venit, seque iterum in Molonis dedit disciplinam, actoris verarum caussarum scriptorisque praestantissimi, et in instituendo, animadvertendo, notandisque vitiis, prudentissimi magistri. Cum ita, firmatus ab omni parte, consummatusque orator, domum rediisset, ne sic quidem a literis et commentatione destitit, sed facultatem quotidie suam stilo atque exercitatione auxit. Itaque brevi effecit, ut nemo praeter ipsum, ne Hortensio quidem excepto, orator haberetur. Et nil dicimus de singulis eius eloquentiae virtutibus; quae quidem, intelligentissimorum hominum iudicio, congruunt in illam perfecti oratoris formam ab ipso adumbratam in Oratore ad Brutum; quam qui expleret, neminem extitisse, qui proxime assequeretur, unum Demosthenem fuisse, affirmaverat. Hoc unum intelligi volumus, Ciceronem, quamquam omnibus naturae fortunaeque praesidiis munitum, tamen iudicasse, sine assiduo literarum studio atque exercitatione se ad hanc eloquentiae laudem pervenire non

posse. Et tamen multi reperiuntur nostrâ aetate, qui se vel solà dicendi consuetudine disertos fieri, vel orationem floribus spargendo, vel acute etiam subtiliterque ratiocinando, oratoris nomen tueri sperent. Quorum profecto angustae mentes eloquentiae maiestatem non capiunt. Itaque nos haud alienum putavimus ab hoc loco, iuvenes eiusdem laudis cupidos monere, quâ ratione quibusque gradibus ad eloquentiam pervenisset is, qui summam eius post hominum memoriam facultatem adeptus esset; si forte eos errantes in certam viam revocare possemus. Multa habebat beneficia fortunae Cicero, quibus nos temporum nostrorum conditio carere cogit: primum illam disciplinae puerilis sanitatem atque elegantiam: tum avitam maiorum gloriam, rei publicae maiestatem, et communem patriae amorem, cuius specie ac cogitatione animi magnitudo paritur atque alitur. Nos contra multis modis ab ipsâ pueritiâ in nescio quas angustias coarctamur; et, cum insita naturae vis exserere se conatur, saepe repellimur ac reprimimur; nil magnificum, nil excellens, nil sublime in mentibus nostris existit. Atque huius calamitatis unica compensatio ac medela posita est in continuo studio verae pulchritudinis, cuius perfectissima exempla in veterum monumentis expressa sunt. Quo magis opera nobis danda est, ut eorum lectione cum artis rationem assequamur, tum in primis ingenium ad naturae sanitatem revocemus et ad pulchri venustique sensum conformemus, animumque ad veram altitudinem extollamus. A quibus virtutibus nisi proficiscatur dicendi facultas, nae illa potius vana loquacitas, quam vera eloquentia sit.

DE HISTORICIS GRAECIS.

Praef. ad Select. Histor. Graec. Ed. alt. p. X sqq. Opusc. T. I. p. 236. sqq.

Primo loco est *Herodotus*, iure cognominatus pater Historiae; quippe quam primus et universam complexus est, et dicendi facultate ornavit; in quem plane convenit illa apud Homerum Nestoris laus, *Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.* Narrator dulcis, lenis, candidus, ut fere senem videre videamur, post longinquas peregrinationes domi reducem, in solio sedentem, libenter referentem, cum quae viderat, tum quae audiverat, ne iis quidem exceptis, quae incredibilia ipse iudicaret. Orationis facultatem suo ipse potius ingenio usuique, quam magistri disciplinae, debuisse videtur. Erat tum solutae orationis scriptio nondum magnopere frequens, in Ioniâ prius a Philosophis paulatim, deinde ab Historicis culta, Hecataeo, Hellanico, Charone Lampsaceno, Xantho Lydio: quorum lumina suo lumine obscuravit Herodotus, haud secus, atque Homerus priorum Poëtarum mediocritatem suâ ipse divinitate obruerat. Et est sane reliquis etiam in rebus *ὁμηρικώτατος* Herodotus: cum descriptione ac distributione operis ad similitudinem Epici carminis: tum Ionicae Dialecti cognatione in verbis, dictionibus, formis: tum maxime simplici illo antiquitatis candore et colore, aequabiliter per omnes et materiae et orationis partes fuso. Itaque dubium est, Homerine plus ad Herodotum, an Herodoti plus ad Homerum, intelligendum valeat lectio:

illud non dubium, quin utraque lectio maximo cum fructu ab adolescentibus iungatur.

Secundus est *Thucydides*, et ipse palmarius, sed diversâ ratione. Nam et argumentum habet brevius, res Graecorum, maxime Belli Peloponnesii: nec omnia narrat, quae vidit et audivit, sed ea fere, quae memoratu digna, et, exploratis testibus subductisque rationibus, vera iudicavit: raro digrediens a proposito, nec umquam nisi ipso postulante proposito: eidem brevitati studens in oratione, cum verbis, quae singula fere totidem habent sententias, tum compositione, quâ sententiae magis comprimuntur, quam explicantur, subinde magis obscurantur, quam illustrantur. Sed in hac coarctatione ac brevitate mirabile est dictu, quam sit sensibus magnificus et sublimis: quam gravis sententiis: quam certus virtutum vitiorumque aestimator: quam solers et verus explicator caussarum, eventuum, prudentiae cum civilis tum bellicae: quam item sagax consiliorum et intimorum humani animi recessuum indagator; quam denique efficax rerum gestarum narrator, in quas medias legentis animus abreptus et armorum strepitum audire et caedes certaminaque praesens cernere videtur, et variis deinceps commotionibus agitatur et versatur. Profectus a diversis, atque Herodotus, disciplinae initiis, non modo dicendi magistrum habuit Antiphontem, sed cogitandi etiam Anaxagoram. De hoc, ut Marcellini exstat auctoritas, ita verisimilis ducitur coniectura ab exemplo Periclis, qui, ab Anaxagorâ item repletus rerum divinarum humanarumque cognitione, eamdem ad dicendi usum exercitationemque transtulit. Mihi quidem Thucydides ita se ad Periclis imitationem composuisse videtur, ut, quum scriptum viri nullum exstet, eius eloquentiae formam effigiemque per totum Historiae opus

expressam posteritati servaret. Caeterum adolescentes, ut non nisi Xenophonteâ aut Herodoteâ facilitate et perspicuitate praeparati ad Thucydidem accedent, ita, huius lectione exercitati, ad nullum non sive Scriptorem sive Poëtam insigni cum intelligentiae spe et fructu progredientur.

Tertius est, eiusdem palmae socius, *Xenophon.* Hic orationem ex illâ Thucydidis adstrictâ gravitate ad Herodoteam formam, certe ad facilitatem, suavitatem, perspicuitatem, remisit ac relaxavit. Simili usus adolescentiae institutione, et eloquentiae et philosophiae magistros habuit clarissimos: eloquentiae Prodicum, philosophiae Socratem: cuius elegantem, popularem, ad omnes vitae partes saluberrimam rationem, cum peculiaribus consignavit scriptis, de quibus hic non est quod dicamus, tum vero in maioribus expressit historicis operibus. Haec tria sunt numero. *Cyropaedia,* de institutione Cyri Maioris: quem non ad Historiae fidem, sed in boni regis exemplum, Socraticis informavit praeceptis. *Anabasis,* verissimo Historiae nomine appellanda; quippe quae continet Cyri Minoris Expeditionem, cui ipse Xenophon primum socius interfuit, deinde dux praefuit, et, Socraticam disciplinam ad usum actionemque convertens, socios a praesente interitu liberavit, iisque per media hostium tela, per locorum regionumque claustra, per infinitas itinerum difficultates, reditum in patriam expedivit. Hoc opere nil uberius est exemplis cum agendi tum dicendi, ad omnes vitae et militaris et civilis locos, conditiones, tempora, accommodatis. Cumque Xenophon propriis illis et suis dotibus, praeceptorum veritate et naturali orationis facilitate, caeteris in scriptis alios Scriptores superaverit, in Anabasi se ipse superasse videtur. Igitur hinc plurima

in nostrum libellum retulimus. Tertio loco sunt *Hellenica*, id est, Rerum Graecarum libri, inde ab exitu historiae Thucydideae ad pugnam Mantineensem: opus item egregium, ut Xenophonteum et unicum de hoc argumento ex eâdem aetate: sed scriptionis praestantiâ et ratione, nostro quidem sensu, impar duobus prioribus. Quibus lectis qui ad hoc tertium accedat, quis non singulare quid ac plane divinum exspectet, ut in majore campo et totius Graeciae luce, tempore aequali et praesente, eodemque magnis et rebus et viris feracissimo? Quis non locos illustres, nostro libello accommodatos, iam e puerili institutione, Nepotis aliorumve lectione, cognitos, in hoc opere, veluti sede ac fonte, quaerat? Horum plerique leviter et sparsim tanguntur, veluti res Alcibiadis, Cononis, Iphicratis, Timothei, Epaminondae, Pelopidae, Leuctrica pugna, alia. Ipsius narrationis, ut in illis duobus operibus est copia et vigor, ita in hoc subinde, nescio quomodo, exilitas et languor, nisi fere ubi de Agesilao et Spartanis agitur: porro elogia, qualia in Anabasi sunt, Cyri et aliorum ducum, hic non item. Quare saepe in eam cogitationem incidi, ut suspicarer, Xenophontem in hoc opere aut mere commentarios consignasse historiae postea ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae, aut, nullâ suâ praecipue animi sententiâ et voluptate ductum, suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse. Nam haec una caussa, quod Spartanis magis quam reliquis Graecis favebat, non satis ad tantam scriptionis diversitatem valuisse videtur. Quidquid eius sit, adeo non a scribendo deterruit alios, ut aequales, aut suppares certe, illius aetatis, idem factitarent complures: veluti priorem eiusdem temporis partem ornavit Theopompus, posteriorem Callisthenes, in libris hoc ipso no-

mine, *Hellenica,* inscriptis: utramque in magnis Graecae historiae operibus complexi sunt Ephorus et Anaximenes. Sed hi, ut in rebus operae pretium fecerint, orationis quidem Xenophonteae praestantiam non sunt assecuti: quae vel in Hellenicis, et magis etiam in ceteris scriptis, eam habet sanitatem, facilitatem, simplicem nativamque venustatem, ut una omnium maxime conveniat primis adolescentum studiis, quâ, veluti puri fontis integritate ac salubritate, tenera et recentia ingenia imbuantur.

Tres hi, de quibus dïximus, ita fuerunt aetate coniuncti, ut prior quisque proximum senior juvenem videre potuerit. Nam ab Herodoti ortu, qui incidit in Olympiadem LXXIV, annum vero ante vulgarem aeram CDLXXXIV, ad obitum Xenophontis numerantur anni CXXIV. Eorum aetate censetur historicae orationis succus quasi ac sanguis incorruptus et naturalis pulcritudo: quamquam haec fuit magis propria certorum ingeniorum ac disciplinae, quam communis totius aetatis laus. Nam, ut hoc utar, Philistus et Ctesias, aequales Xenophontis, in eiusdem laudis societatem pervenire non potuerunt. Hinc ad Polybium ducenti ferme numerantur anni: quo spatio mirum est, quam multi et egregii fuerint Historici, doctrinae copiâ et literarum varietate triumviris illis minime postponendi, orationis sanitate magis deinceps magisque ab illis degenerantes: quippe plerique ex Rhetorum palaestris, fucato potius nitore, quam viribus et sano colore prodierunt: et, ut fit, vitiorum plures, quam virtutum, imitatores habuerunt. Ceterum fuit hoc ingenium saeculi Macedonici, sub Alexandro eiusque successoribus, ut Historiae forma in peius mutaretur, materia excoleretur et amplificaretur. Neque enim veteribus se Historia continuit finibus, regum

populorumque rebus gestis; sed protulit se ad origines et progressus artium ac disciplinarum, atque adeo hominum in illis cum laude versatorum vitas complexa est. Tum nova quasi accessit provincia, gentium regionumque antea ignotarum cognitio. Porro Grammatici adiutrices artes, tamquam instrumenta Historiae et omnis doctrinae, procuderunt atque explicuerunt: Geographiam, Chronologiam, Antiquitatis rationem: Criticam denique, quae veterum monumentorum et intelligentiam aperiret, et fidem auctoritatemque diiudicaret. Ergo innumerabilis exstitit multitudo ut in omni doctrinae genere excellentium hominum, ita clarorum Historiae Scriptorum. Horum ut non nisi principum paucos nominemus, partim a rhetoricâ exercitatione, nondum illâ corruptâ, profecti sunt, Ephorus, Theopompus, Timaeus: partim a Philosophiâ, princeps ingenio doctrinâque Aristoteles, ac totus fere, qui ab eo fuit, Peripateticorum chorus, Theophrastus, Callisthenes, Dicaearchus, Aristoxenus, Phanias, Agatharchides: partim a grammaticâ institutione, Callimachus, Eratosthenes, Apollodorus: denique a militiae usu et castris, socii Alexandri, Ptolemaeus, Aristobulus, Hecataeus: quorum, ut reliquorum omnium, de Historiâ scriptos libros temporum iniuria ac vetustas absumsit.

Ergo quartus nobis est, isque proximus triumviris ducentorum intervallo annorum, *Polybius*, vere appellandus *Graecorum ultimus*. Natus enim et educatus in liberâ patriâ, in eâdem tuendâ regendâque versatus, eiusdem libertati superstes, servavit civilis spiritum libertatis: qui ubi abest, eloquentia inane quid et languidum sonat: ubi adest cum rerum scientiâ, etiam sine verborum et compositionis delectu, Historiae munus explet. Huiusmodi erat Polybii ingenium.

Profectus item a Philosophiâ, non illâ eloquentiae sociâ Socraticâ, aut Academicâ, aut Peripateticâ, sed inope ad orationis ornatum Stoicâ: neque Rhetorum scholis exercitatus, neque suâ voluntate aut ad Veterum Historicorum imitationem comparatus, aut scriptionem ipse suam ad Grammaticorum praecepta dirigens: adolescens ad rem publicam tractandam delatus, in rebus continuo civilibus ac bellicis versatus, verbis e medio et vulgari consuetudine assumtis, orationis formam contraxit perspicuam quidem, sed minime elegantem. Huc accedebat scholam redolens loquacitas et repetitio eiusdem argumenti in laudandâ ubique et inculcandâ caussarum observatione. Et tamen illud assecutus est, ut eius lectio posterorum studia teneret, ac dictiones passim frequentarentur. Quo magis intelligitur, quanta in eo fuerit rerum ac scientiae praestantia, quae dictionis vilitatem non modo obrueret, sed ad imitandi adeo studium commendaret. Et profecto, si ab orationis dote discesseris, nulla est, quin apud Polybium exstet, Historiae virtus. Veri quaerendi et libere profitendi studium acerrimum: eiusdem a falso discernendi cum ex rerum usu, tum ex literarum scientiâ et omni doctrinâ, iudicium subtile: factorum eventuumque sagacissima explicatio, e caussis principiisque suis repetita; sive hae caussae continerentur in singulorum ingeniis hominum, sive in cuiusque rei publicae aut dynastiae constitutione et formâ, sive in harum mutuâ ratione et coniunctione universâque orbis terrarum quasi civitate, sive in militari disciplinâ, sive in coeli, naturâ, sive in locorum situ regionumque proventu et opportunitate, sive in hominum, pro varietate locorum et civitatum, diversitate, frequentiâ, animorum indole, corporum robore. In quibus omnibus describendis non solum dili-

gentissimi enarratoris, sed gravissimi auctoris laudem habet. Adeo nullus est ab eo memoratus homo, locus, eventus, quin eius tam certam haberet scientiam, quam si sensibus ipse suis eum cognovisset: nulla vitae naturaeque humanae pars, quin eam et ratione et experientiâ tractatam ac penitus perspectam habuisse videatur. Itaque effecit, quod sibi proposuerat, Historiam vitae magistram, nunciam veritatis, et futurorum ex praeteritis prudentissimam coniectricem. Huius autem talis tantique Scriptoris cognitio, quis dubitet, quin degustanda sit adolescentibus, cum ad ipsam hanc percipiendam rerum praestantiam, tum ne nudam eam et ornatus expertem in aliis forte Scriptoribus contemnere discant.

A Polybio ad Plutarchum item ducenti fere sunt anni: eaque aetas non minus ac superior, similique in genere, Historicorum fuit ferax: eademque latinas literas et nascentes, et florentes, et labentes vidit. Sed de Graecis agimus. Hi fere a Grammaticâ et Philosophiâ ad Historiam accesserunt, eruditissimi homines et doctrinae copiâ abundantes, rerum potius studiosi, quam orationis et compositionis, neque tamen huius ad Polybianum usque modum negligentes. Fuit et huius aetatis, et sequentium seculorum usque ad exstincta Iustiniani imperio humaniorum literarum et philosophiae studia, ista indoles et conditio, ut magis in augendis doctrinae copiis, quam retinendâ orationis sanitate, labor poneretur et proficeretur. Perditos huius aetatis, quae a Polybio ad Plutarchum fuit, Historicos ex ingenti numero nemo facile ignoret, Alexandrum Polyhistorem, Nicolaum Damascenum, Jubam, Athenodorum, Apionem, posteris frequenter laudatos. Eorum, quos fortuna nobis servavit, principes habendi Dionysius Halicarnassensis, Diodorus Siculus, Strabo,

Plutarchus: doctrinâ egregii: orationis suâ quisque dote probandus, Dionysius etiam antiquis, quam aequalibus, propior habendus.

Ultimus igitur, cuius in hoc delectu rationem haberemus, fuit *Plutarchus*. Hic natus in Graeciâ seculo primo nostrae aerae, eoque fere medio, maxime sub Trajano inclaruit, republicâ post priorum temporum tristitiam recreatâ. Sed quocumque sub imperio, quacumque in civitate natus fuisset, eos ei natura indiderat animi nervos, quibus ipse se ad antiquum et germanum Graeciae spiritum erigeret. Adeo illud ἑλληνικὸν in scriptis ejus spirat, illa bona, quibus veteres Graecos censemus: iudicii sanitas, decori honestique sensus, humanitas, amor erga cives, benivolentia erga omnes, de iisdem bene merendi studium indefessum, erudiendis ingeniis, formandis moribus, virtutibus commendandis, vitiis sanandis, erroribus expellendis atque exstirpandis. Accedebat excellens doctrina: cum Philosophiae ex Platonicâ scholâ, cuius alumnum se profitebatur, et reliquarum, unde optima quaeque delibabat, cognitione: tum Historiae, Literarum omnis generis et artium, ex infinitâ librorum lectione. Itaque, quum duplex argumentum scripto mandaverit, alterum Philosophiae, alterum Historiae, quandoquidem recte in historico genere censentur Vitae; difficile dictu est, utrum magis Historiam Philosophiâ corroboraverit, an Philosophiam Historiâ illustraverit, an utramque Literarum suavitate exhilaraverit. Hoc quidem vere mihi videor affirmare, egregium illud bonum, quod ex triplicis huius dotis coniunctione existit, cuius boni perfectionem adhuc magis cogitatione informavimus, quam re et experiundo cognovimus: illud igitur bonum in uno ex Antiquis plurimum exstare Plutarcho, et perfecte adeo exstiturum

fuisse, si ad hanc rerum praestantiam aequalis, aut in promptu posita, accessisset orationis cum elegantiâ perspicuitas. Sed perspicuitatis absentia, seu obscuritas, cum ex iis sit rebus, quae non per se sunt, sed ad alias referuntur, neque tam in scribente insit, quam ab ignorantiâ legentis adferatur; eo magis faciendum est, ut ad Plutarchi intelligentiam aditus adolescentibus mature aperiatur. Ita intelligentia, usu exercitioque confirmata, nullam vel perspicuitatem vel elegantiam desiderabit; quae non tam desunt, quam in rerum praestantiâ altius abdita inexercitatos latent. Neque tamen hoc ita accipiendum, ac si adolescentes rudes ad Plutarchi lectionem adduci velimus; immo hunc, ut Thucydidem et Polybium, provectioribus destinavimus: initia ab Herodoto et Xenophonte ducenda iudicamus. Sed de Plutarcho, cujus scriptis emendandis illustrandisque magnam adhuc vitae nostrae partem impendimus, plura dicere constituimus in editione operum ejus a nobis institutâ, in quâ typis excudendâ nunc maximo Oxoniensis officina occupatur.

DE
T. LIVIO HISTORICO.

Bibl. Crit. Amst. Vol. III. P. 4. p. 27 sqq.

Quamvis in caeteris omnibus orationis partibus egregius, tamen in narratione, quae est praecipua et longe maxima historiae pars ac veluti corpus, compositionem habet non illam libere ac sine salebris fluentem, sed quasi compedibus vinctam, brevitatis gravita-

tisque consectatione subinde ambiguam, traiectionibusque impeditam; quae fortasse caussa fuerit, ut Patavinitatem ei objecerit Asinius Pollio. Quod et alios recentiores sensisse video, et duos in primis doctrinae elegantiâ et Latine scribendi facultate claros homines, Georgium Trapezuntium et Jo. Sturmium, citatos Morhofio in libro De Patavinitate Livii Cap. V. p. 42. editionis Livianae a Drakenborchio factae T. VIII. p. 42, seq. tum Jo. Buherium ibid. p. 80. Nam deliciae nostrae, Jac. Facciolatus, unus in paucis harum rerum idoneus iudex, id argumentum faciens Epistolae Philologicae X, p. 436, universe peregrinitatem in Livio concedens, quà haec in parte constiterit non pronunciavit; neque a nostro, credo, iudicio dissensisset, si caussam diligenter tractandam suscepisset, nec per epistolii brevitatem leviter perstrinxisset. Itaque universe quidem subscribimus iudicio Quinctiliani Instit. Or. X, 1: *nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia, cum rebus, tum personis, accommodata: sed affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis, quam similes.* Sed hoc iudicium ita circumscribimus, ut hanc *jucunditatem* maiorem etiam futuram fuisse dicamus, si ei illa, quam desideramus, compositionis facilitas constitisset. *Candorem* autem intelligimus non perspicuitatem orationis, sed animi sinceritatem ac benevolentiam. Et affiirmamus, eum non modo in concionibus, sed sermonibus quoque, disceptationibus,

ac notationibus morum ingeniorumque, supra quam dici possit, eloquentem esse. Atque ut his, quas diximus, historiae laudibus alios complures Latinos historicos superet, certe in narrationis simplicitate et nativâ pulcritudine, atque, ut ita dicam, agilitate et mollitie, ut Graeci dicunt *ἁπλότητι*, *λειότητι*, *εὐκρινείᾳ*, *εὐκινησίᾳ*, cedit certe Caesari, magis etiam Nepoti, maxime autem Ciceroni: qui, ut in omni eloquentiâ divinus, ita in narrando historicos Latinos facilitate, perspicuitate, suavitate, gravitate, omnes superavit. Ad hunc igitur in primis, qui bene scribendi facultatem consectatur, se conformet: et caeterorum, et Livii, virtutes assumat, copiamque inde orationis alat et augeat: et cum in caeteris vitanda vitabit, ab huius uno abstinebit genere narrationis duro illo et trajectionibus impedito. De quo mihi cogitanti saepe illud occurrere solet, quod Cicero de Thucydidis orationibus dixit, earum huiusmodi esse formam, quam imitari, *neque, si velit, possit; neque, si possit, velit.* Sed hoc argumentum aliquanto uberius tractavimus in scholis nostris de scribendi ratione habitis: quas aliquando, si tempus et otium feret, edituri sumus.

DE
STUDIIS ANTIQUARUM LITTERARUM,
INPRIMIS GRAECARUM, OPTIME INSTITUENDIS.

Ex praefat. ad alt. edit. Select. Princ. Histor. Graec. p. 24-38.
Opusc. T. 1. p. 250 — 265.

Graecae linguae cognitio quantam habeat vim ad omne Literarum ac disciplinarum genus recte percipiendum,

quid vobis narrem, optimi adolescentes, minime dubitantibus et hac ipsâ utilitatis spe ad nostras scholas adductis? Et vero utilitati par est suavitas, suavitati facilitas. In hoc postremo videor vos videre mirantes mihique obloquentes: „De suavitate satis nobis est persuasum: facilitatem vero etiam a te praedicari! quum in nullo Auctore vel latum unguem sine Lexico progredi possimus! hoc semper in manibus habendum, semper evolvendum!" Scio, carissima capita: tale nunc est vestrum negotium, mox melius erit. Recordemini proverbium, quod pueri didicistis: *Disciplinarum radices sunt amarae, fructus dulces.* Longe maximam amaritudinis partem iam exhausistis: in propinquo sunt fructus, eorumque dulcedinem in dies magis magisque percipere incipitis. Turpe sit in cursu deficere, quum iam iamque metam attingatis. Intra breve tempus eâdem facilitate Graecos, quâ nunc Latinos, intelligetis Auctores. Neque, profecto, nisi ad hunc facultatis gradum perveniamus, operae pretium est, tantos labores exantlasse. Sane hoc gradu iam essetis, et Latinae simul linguae multo uberiorem accuratioremque teneretis scientiam, si puerilis disciplinae rudimenta prius in Graecis, quam Latinis, posuissetis Literis. Quae ratio ut aliquando publice constituatur, optamus, sperare non audemus: adeo multa sunt, quae prohibeant. Utinam privatim frequentetur! certe iis tenenda erit, qui puerum a primis inde annis ad egregiam Literarum scientiam informare velint.

Quid enim caussae esse dicamus, cur ex tantâ eorum, qui has Literas discunt, multitudine tam pauci in earum scientiâ magni existant viri? Adolescentiae labor perit in corrigendâ praeposterâ pueritiae institutione eiusque damnis compensandis. Quae quidem

compensare paucissimi possunt: plurimis aut otium, aut studium, aut ratio, aut magister deest. Quantum quidem in magistro et ratione positum est, tantum ego vobis praestabo, et ipse puer praeposterae institutionis erroribus agitatus, adolescens fortunae bonitate ad naturae rationem revocatus, vir in adolescentibus docendis et ad naturae rationem revocandis per viginti et duos annos versatus.

Ac primum cognoscite, quid vos ad scholas meas adferre velim. Exiguum est, quod postulo: igitur de hoc exiguo nihil remitto. Adferetis cognitionem Declinationum et Coniugationum ediscendis Rudimentis comparatam: accesserit etiam nonnullus usus construendae orationis eiusdemque Latine reddendae. Hoc facultatis gradu certe sunt, qui hac in urbe e Gymnasio ad Athenaeum nostrum provehuntur. Nil ultro requiro. Iam ingredientibus in hoc curriculum tres vobis erunt officii partes: Praeparatio, Schola, Iteratio seu Repetitio. De unaquaque deinceps breviter dicam.

Praeparationis haec est ratio, ut locos Auctorum in scholâ tractandos domi praecipiatis et commentemini: quaesitis *vocabulis* in Lexico, *nominum verborumque partibus* in Grammatices compendio, seu Rudimentis; nam haec malo, quam Analyticam Lexici partem. Utrisque igitur scripto notatis, sententiam componetis et Latine vertetis. De Rudimentis non est, quod multa moneam. Nulla non sunt sine aliquo errore: quem facile corriget magister. Satis nunc quidem vobis est subsidii in Vossianis. In Lexicis magis laboramus. Nam Hederico - Ernestino, quod omnes habetis, quod vobis commendem brevitate molis, verborum copiâ, eorumdem inveniendorum facilitate, vestris ingeniis accommodatius, equidem non reperio. Non loquor de Scapulâ, Stephano, aut aliis, quibus

aliquando cum fructu utemini. Nunc certe illud vestro captui magis convenit. Sed hanc laudem non absolute accipi volo. Magnopere, profecto, de studiosâ iuventute meritus est Ernestus locupletando et purgando Lexico Hedericiano. Illiberale sit, eum ob ea, quae reliquit, vitia defraudare laude et gratiâ bene factorum, sed illiberale etiam, non profiteri verum, praesertim ipso loco et utilitate discipulorum postulante. Magnus fuit vir Ernestus et omni laude cumulatus: cuius ego laudis si vel exiguam partem assequar, egregie mecum agi existimem. Sed in Graecis Literis quantum superabat Hedericum, quod sane magnum fuit spatium, tantum ipse superabatur ab Hemsterhusiis, Valckenariis, Ruhnkeniis, Piersoniis, Lennepiis. Ac primo quidem, quod in titulo profitetur, librum *multis millibus verborum locupletatum:* non animadvertit, talem copiam Thesauro, non Lexico manuali iuvenum usibus destinato, convenire. Quis facile Graecae linguae divitias vel Thesauro complectatur? poterat verius titulum ita ponere, *multis licet millibus verborum locupletatum, tamen pluribus adhuc millibus carens.* Sed pleraque addita verba, cedo, ex quo sunt genere? Nimirum ex eo, quod nemo non vel ex origine, vel e coniunctis, facile intelligat: verba aucta praepositionibus: nomina orta e verbis cognitis, vel coniuncta nominibus cognitis: veluti e Polybio, *ἐμπόδισμα, ἐμποδιστής, ὁμοπράγμων, παρόρμημα.* Haec addita laudo: sed in iis addendis non ita magnum ponendum erat momentum, non gloriandum. Quis, qui Polybium legit, non eâ est facultate, ut talia ex usu intelligat, nec in Lexico quaerat? At, contra, primitiva plurima sunt omissa, quorum cognitio unice valet ad omnem reliquam Linguae copiam intelligendam. Derivata plurima, omissâ originis notatione,

pro primitivis apposita. Nil dico de Analyticâ Parte, quam plane intactam reliquisse videtur; adeo sordibus Schreveliani stuporis inquinata mansit, ineptia in Etymologiis, perplexis ambagibus in verborum partibus explicandis. Nostro quidem iudicio eiusmodi demum Lexicon fructuosum erit iuvenibus ad interiorem Linguae cognitionem, quod non modo habeat vocabula usu optimorum Auctorum probata: sed, ad analogiam Hemsterhusianam, primitivas illas ac simplices verborum formas, tum ex his ortas et productas, denique ipsas illas literas ac syllabas, quibus praefigendis vel subiungendis nomina et verba augentur ac mutantur. Haec est mirifica illa Graecae Linguae copia et sylva, cerae instar tenera et mollis ad fingendam omnis cogitati imaginem, unde princeps vocabulorum notio et materia ad omnem varietatem cum generum, tum graduum significandam ita ducitur ac formatur, ut originis tamen suae manifesta servet vestigia. Atque eiusmodi Lexico vocabulorum omisssorum significatio, Analytica pars, et tota grammatica ratio in definiendis Declinationum et Coniugationum partibus, facile tenebitur. Sed de hoc argumento forte alius erit disserendi locus. Nunc de Praeparatione vestrâ dicimus: in quâ si quid erroris e Lexico suscepistis, hoc in scholis corrigemus.

Nam in Scholâ vestrae partes non solum audiendi, sed et dicendi, erunt. Ipsi Auctoris locos interpretabimini, mihi interroganti respondebitis. Hoc nemo vestrum non faciat, qui quidem proficere velit: omnes autem volent. Ita maxime Socraticae rationis fructus exstabit: qui sit vestrum cuiusque captus et quomodo me ad eum accommodem, cognoscam. Quidquid in vestris mentibus inest verarum falsarumve opinionum, elicietur: veras confirmabimus, falsas abiiciemus. Pen-

sum cuiusque diei praeibunt veterani, idem proximo die iterabunt novitii: id ita tenebimus, donec eam cum Auctore familiaritatem contraxerimus, ut iteratione non sit opus, et utrique promiscue interpretentur. Hae vestrae sunt partes. Meae tam sunt multae et variae, ut eas recensere infinitum sit; quippe quae omne accuratae interpretationis munus attingunt. Quas quoniam experiundo cognoscetis, hoc loco praecipere cum supervacaneum sit, tum ostentationis speciem habere possit. Ut paucis complectar, omnis opera nostra eo spectabit, ut misceamus utile dulci: ut interpretandis Auctoribus verae pulcritudinis sensu imbuamini, et huius exercitii suavitate perveniatis ad Graecae orationis et rationis intelligentiam, cum in singulis verbis ex origine et analogiâ repetitae, tum in constructione usu confirmatae.

Tertio loco est Repetitio, item illa duplex: alia magistri, quam hic explicare nil attinet: alia discipuli, domi continuo factitanda, incredibilis ad proficiendum efficaciae, modo sit vera repetitio, id est, saepius repetita et iterum iterumque instaurata. Quod autem volo, huiusmodi est: ut quotidie cuiusque diei pensum repetatur; finitâ hebdomade, pensum totius hebdomadis finito: mense, pensus totium mensis: porro per ferias totum hoc spatium denuo iteretur. Atque haec feriata iteratio, ut per otium et minorem festinationem facta, plurimum valet ad interiorem intelligentiam, plurimum habet et voluptatis continuâ progressuum animadversione, et incitamenti ad studii laborisque constantiam. Itaque cum multis in rebus maiorum nostrorum sapientiam admirari soleo, tum in constituendis feriis: quarum opportunitatem ac salubritatem percipi voluerunt, cum a Professoribus ad animorum corporumque recreationem, tum maxime

a discipulis ad repetitionem instaurationemque studiorum *). Quare agite, optimi adolescentes, date vos ad repetitionem, respondete instituto maiorum, prudentissimorum hominum. Ergo iterato per ferias toto superiore penso, ad instantis anni pensum meditandum praecipiendumque accedetis, qui quidem Graecis denuo scholis uti constitueritis: qui eas relinquetis, non item earum domesticum studium ac privatam commentationem relinquetis; ut nec aliarum, quam vobis comparaveritis, disciplinarum literarumque cognitionem oblivioni tradetis. Quin potius quotidie illis vel unam horam, vel horae certe partem, dabitis, eà quidem ratione, quà apud nos imbuti fuistis. Nullum enim est negotium, nullum vitae genus, quod volenti non quotidianos ad vetera studia reditus concedat. Hanc vero iterandae lectionis consuetudinem si in Graecis fideliter tenueritis; nae ego vanissimus omnium sim promissor, nisi brevi ad eum facultatis gradum pervenietis, ut Graecos Auctores aeque facile legatis, quam aut Latinos, aut quavis recentiore vobis cognità linguâ scriptos libros. Equidem si quid ego in his Literis profeci, hoc repetitioni debui.

Non alienum est ab hoc loco, ut de me ipse vobis narrem; si forte meo exemplo moveamini. Duodevigesimum agebam annum: in Graecis Literis fere eo eram gradu, quo vestrum plerique estis quarto mense postquam scholis meis interesse coepistis. Frequens audieram scholas Professorum cum in Literis, tum in gravioribus, ut vocantur, disciplinis, nullo

*) Haec dudum a me scripta legens aliquis meus amicus: „Tempestive vero, inquit, tua feriarum laudatio incidit in ipsarum novissimam illam in libro Belgico quodam reprehensionem.“ Simul ostendit et librum et locum. Vidi: nec quid vidi, cuius rationem haberem ad mutanda scripta.

magnopere cum fructu: videbar aliis profecisse, mihi non videbar: poenitebat me operae: quaerebam spatium, in quo altius evolarem: redibam ad disciplinas, meoque ipse studio eas retractare instituebam: et sane aliquanto longius progrediebar, quam quo in Professorum scholis perveneram: sed nil ad spem et exspectationem meam: discedo cum taedio: ab aliâ deinceps ad aliam disciplinam accedo: eadem repulsa, idem taedium. Et tamen, veluti fastidientis stomachi morbo, certum animi pabulum quaerere pergo. Venit in mentem voluptatis, quam puer in Graecis percepissem: requiro libros quondam lectos: depromo ex angulo illum, Plutarchi nomine inscriptum, de Puerorum educatione libellum: lego et perlego: operae multum, suavitatis parum. Hinc Herodianum repeto: paulo maior suavitas: nil ad explendum animum. Aliunde, idque casu, nanciscor Xenophontis, quem adhuc non nisi nomine noram, Memorabilia ex Ernesti editione: mirabile dictu, ut continuo me ceperit nescio quid suavitatis: quod, quale esset, postea magis intellexi. Hoc opus ita legi et commentatus sum, ut numquam ad sequentem accederem sectionem, nisi priore relectâ, nunquam ad novum caput, nisi capite priore relecto: numquam ad novum librum, nisi superiore libro iterato: denique toto opere finito, totum denuo uno tenore perlegi opus. Hic fere trium mensium erat labor, vel solâ repetitione fructuosissimus. Sane, eodem tenore e repetitis in proxima nova ingrediens, ex illis ad haec eum quasi cognitionis impetum adferebam, qui intactos ac difficiles locos patefaceret ac pervaderet: haud secus atque incitata remigio navis, quod in simili re dixit Cicero, etiam quum cessavit remigium, ipsa tamen per se cursum suum motumque retinet. Ergo hanc repetitionis con-

suetudinem postea constanter tenui. Caeterum, Graecae orationis facultate auctus, et aliquâ etiam ex Ernesti notulis interpretandi ratione et librorum notitiâ imbutus, constitui me totum Graecis dare Literis, et Auctores deinceps legere. Accessi ad Homerum, cuius puer ex primo Iliadis libro centum circiter versus didiceram: hunc librum eâdem, qua Xenophontis Memorabilia, iteratione duobus mensibus absolvi. Utinam sine Schrevelio! quem porro in toto Homero ducem secutus, innumerabiles suscepi errores, postea longo usu ac tempore abstergendos. Utinam tunc iam illud Hemsterhusianae analogiae lumen cognovissem! quod quum in Batavorum scholis frequens, vobis item accensum sit; quanto vestra adolescentia meam felicitate superat, tanto certiorem de profectibus vestris spem concipere debetis. Sed ad me redeo. Progrediebar in Homeri lectione, ut necessariâ magis, quam iucundâ: nondum illam ingenii divinitatem agnoscebam: quod item plerisque adolescentibus accidisse novi: caussam eius rei postea intellexi, quam nunc exponere longum est. Ergo Homero comitem adiunxi Xenophontem, ita ut in hoc multo plus temporis collocarem: hunc devorabam, quippe iam intellectu facilem: raro ad Lexicon descendere cogebar: pleraque omnia e nexu videbam: accedebat Latinum exemplum, utile sane illi aetati negotium, scholis non item. Reliqua omnia, exceptis Memorabilibus, opera Xenophontea, quater legendo, quatuor confeci mensibus. Iam putabam, nullum superesse Scriptorem, quin mihi apertus pateret. Accedo ad Demosthenem; habebam meram Graecam editionem, cum notis item Graecis, Hieronymi Wolfii: merae tenebrae! sed didiceram non absterreri in primo aditu: pergo: maiores quam usquam antea difficultates, cum in verbis, tum enunciationum

longe ductarum ambitu: primam Olynthicam magnâ cum aerumnâ ad finem perduco: finitam relego semel et iterum: plana et perspicua omnia: desidero tamen celebratam illam eloquentiae vim: dubito utrum ad secundam orationem progrediar, an hanc repetam: placet repetere. O salutare repetitionis consilium, nec umquam satis praedicandum! Ecce, denuo relegendo, novus plane et incognitus ad animum meum accidit sensus. Adhuc in aliis Auctoribus intelligentia non nisi delectationis mihi voluptatem attulerat, cum ex rerum verborumque perceptione, tum ex progessuum meorum animadversione: nunc inusitatus et plus quam humanus affectus mentem permeat et quavis lectione invalescit. Video Oratorem ardere, dolere, impetu ferri: incendor et ipse, eodemque motu auferor; altior fio, nec sum qui fueram: videor mihi Demosthenes ipse esse, stans in tribunali hanc orationem habere, Atheniensium concionem ad maiorum virtutem et gloriam hortari: nec tacitus lego, ut inceperam, sed altâ voce, ad quam tollendam imprudens inducor, cum sententiarum evidentiâ et fervore, tum numeri oratorii efficaciâ.

Ad hunc modum trimestri tempore plerasque tum legi Demosthenis orationes; indeque excitatus ad sentiendi facultatem, iam et Homero magis delectabar, quem mox finivi; et deinde in optimis quibusque Auctoribus cum veriore cognitionis fructu versabar. Nam proximus hinc mihi fuit Plato: quem, credo, numquam tanto amore complexus essem, nisi recens a Demosthene sensum attulissem faciliorem ad incalescendum. Et est in Platone illa ingenii vis et materia, sedatis temperata affectibus, sed varia et perpetua, quae ipsâ lenitate et frequentiâ nullam non plane ferream naturam molliat et flectat. In Xeno-

phonte est imago Socratis, vere et egregie sane expressa, sed imago. In Platone est ipse Socrates, nisi materiâ, certe formâ et ratione: spirat, movetur, agit, legentem animat et in actionis societatem inducit. Accedebat, ut ad intelligentiam mirifice iuvarer Ruhnkenianis ad Timaei Lexicon animadversionibus: unde nova etiam lux, quâ illam per totum Literarum orbem late fusam Platonis vim animo praeciperem. Hinc profectus alios legi et Poëtas et Scriptores, classicos quidem et principes omnes, ex posterioribus Philosophos ac Sophistas; ne Patribus quidem exceptis, qui quidem cum veteris doctrinae ratione coniuncti essent. Tota haec, inde a Xenophontis Memorabilibus, fuit quadriennii opera: cuius tunc operae specimen edidi in Epistolâ ad Ruhnkenium, ut eum, qui mihi quamvis ignoto certissimae dux viae exstitisset.

Haec me ipsum de me non ostentationis caussâ narrare, et iam intellexistis, et magis intelligetis ex iis, quae dicam. Nam si quaeratis, qui mihi illo tempore modus fuerit Latinarum Literarum in Graecis versato, pudet profiteri. Nemo non vestrum multis partibus doctior est. Nil habebam, nisi ex puerili disciplinâ, quae mihi cum decimo quarto anno finita erat. Nil Ciceronis, nisi pauca ex Officiis capita, magno cum taedio tractata, quippe non intellecta: Phaedrus, Curtius, Iustinus: et quae optima operae pars erat, aliquot Nepotis Vitae, Virgilii Georgica, Aeneidis dimidium. Hoc quantulum est? et totum fere in oblivionem abierat. Erant, qui dicerent, Latinis literis mihi, Graecarum perito, iam non opus esse. Quod quam sit stultum, et vos videtis et ego intelligebam. Accedo ad Terentium. Incredibile vobis narrabo et tamen verum: ne Demosthenis quidem primus aditus difficilior fuit, quam Terentii. Unius mensis labor ex-

peditum reddidit iter. Pergo ad Ciceronem, tum ad alios. Quid multa? quocumque ingredior, Graeca vestigia agnosco, res, dictionem, sententias in alienum solum translatas. Unus annus Latinas patefecit Literas. De reliquo cursu non dicam, nisi hoc, eum hucusque ita esse actum, ut tardior diligentiorque progrederer: non ut multa, sed multum, legerem: nec magis accederem ad nova, quam vetera retractarem, ad criticam rationem exigerem, ad scientiae fructum animique sensum referrem.

Ergo, quod ego sine magistro, solâ industriâ, potui, hoc vos, ingeniosi adolescentes, adjutore magistro, non poteritis? Immo plus etiam poteritis: modo studii constantiam adferatis, sine quâ omnis ingenii celeritas ad percipiendas Literas Disciplinasve vana et inutilis est.

Sed, inquit, Non omnibus vacat, tantum his Literis tempus dare; neque etiam, quod tu facis, eas profitebuntur: aliud cuique praecipuum est studium, quo aliquando et rem et laudem quaerat: alius destinatur caussarum patrocinio, alius rei publicae gerendae, sacerdotio alius, alius medicinae factitandae, item alius mercaturae: sunt adeo, qui ad horum nil neque ad certum negotium se comparent, sed Literis ac Disciplinis ingenium non nisi tingere et ornare velint. Audio, et saepe audivi. Est plane illud Neoptolemi apud Ennium, *Philosophandum est paucis; nam omnino haud placet.* Ego quam quisque et quatenus artem tractare velit, in suo cuiusque iudicio relinquo. Et loquor non ad alienos, neque ut quemquam in Scholas alliciam meas: ad discipulos loquor, liberali adolescentes ingenio, qui sponte veniunt: qui, quaecumque eos maneat vitae sors et conditio, has sibi Literas usui et ornamento fore iudicant, eâque de

causa partem illis temporis sui consecrant. Ad hos mea pertinuit oratio admonendos, quâ ratione in illâ quantacumque temporis parte plurimum, quoad eius fieri potest, proficiant: ad horum studia et utilitatem huius libelli editio spectavit.

Quâ, profecto, in re non est, quod meae me operae poeniteat. Quod si enim Graecae Literae tantum habent momentum ad omnem liberalem institutionem, quantum inter omnes constat: si Graeci in omnibus artibus ac disciplinis excelluerunt, ad easque percipiendas, uberrimas nobis copias reliquerunt: si scripta eorum referta sunt cum praeceptis, quibus ingenium ad rerum divinarum humanarumque scientiam ac civilem prudentiam instruatur, tum exemplis, quibus animus pulcri honestique sensu imbuatur et omnium amore virtutum incendatur; haec igitur si ita sunt, haud dubito profiteri, me hoc libello edendo et omnino Graecis Literis docendis praeclarum spectasse consilium, eiusque me consilii hunc maximum et humanissimum capere fructum, quod harum Literarum studia ab ingeniosis adolescentibus in dies magis frequentari video.

Quae studia utinam in hac frequentiâ maneant, aut crescant potius, quam decrescant. Quomodocumque ceciderit, tuebor me conscientiâ honestissimi consilii, quo illud egi, ut erudiendâ iuventute prodessem reipublicae, idque adeo gravissimi iudicio auctoris, Ciceronis: cuius sententiâ commemoratâ, sane non erit, cur verbum praeterea huic praefationi addam: *Quod enim munus*, inquit, *(Divin. II, 2.) reipublicae afferre maius meliusque possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coërcenda sit. Neque vero id effici posse confido, quod ne postulandum*

*quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam! quorum tamen in republicâ late patere poterit industria.**

Scripsi Amstelodami, Mense Nov. Anno MDCCXCIII.

GUIL. LEON. MAHNII

CRITO SIVE DIALOGUS

DE LITTERARUM, INPRIMIS LATINARUM, STUDIO RECTE COLENDO.

AEQUO ET ERUDITO LECTORI S.

Etsi diffiteri nolim, B. L., Franco-Gallorum publicam Literas Humaniores discendi docendique disciplinam mihi non admodum placuisse, et Batavorum certe moribus vitaeque rationi parum accommodatam visam esse, tamen profiteri me oportet, quum ingrati animi crimine nihil magis horream, novam istam disciplinam Caesaream mihi exiguo, vel nullo potius, impedimento fuisse, quo minus docendi rationem in Batavorum scholis usitatam omnino retinerem. Clarissimus *Hulthemius*, Academiae Bruxellensis Rector, cui ex decreto Napoleontis summum Gymnasii nostri moderamen mandatum erat, non modo ipse Literas Graecas et Latinas vehementer amabat, et Batavorum in rem Literariam merita magni aestimare, et quavis occasione praedicare solebat, verum etiam ipsi nihil magis cordi erat, quam discentium pariter atque docentium saluti consulere, eorumque commodis, quoad posset et liceret, benevole inservire. Huius igitur viri humanitate et liberalitate Gymnasii nostri cives omnium illarum difficultatum expertes fuerunt, de quibus tam multi viri docti, patriâ a Napoleontis imperio liberatâ, veluti de totidem ad Literarum studia provehenda impedimentis haud immerito questi sunt.

Ab hoc igitur munificentissimo Maecenate non tantum publice proposito programmate *), verum privatim etiam epistolâ amice invitatus, ut *Dialogum* conscriberem, qualem componi cuperet; nefas ducebam, huic honestae mihique honorificae rogationi non satisfacere.

Finito opere, dialogum Bruxellas misi, idque una cum literis, quarum exemplum huiusmodi fere fuit:

ACADEMIAE BRUXELLANAE RECTORI MAGNIFICO

SALUTEM ET *OFFICIA.*

Quum, lecto programmate a Te nuper edito, Vir Ornatissime! in eorum numerum me relatum vidissem, quibus de propositis praemiis certare cum aliis liceret, continuo Dialogi *conscribendi consilium cepi. Et quo melius res mihi processura esset, Menedemum adii, virum non modo Literarum peritissimum, verum mihi etiam amicissimum, ut cum illo de hoc consilio et negotio meo agerem, eaque occasione partim elicerem, quae ex ipso scire cupiebam, partim animadverterem, num, quae mihi probabilia videbantur, ab ipso etiam probarentur. Capit vero ille reverendus senex* ex suo propinquo rure, *cui e querceto nomen* Querquetulani *dedit*, non tantum hoc commodi, ut nec agri, nec urbis odium ipsum unquam percipiat, *verum etiam, ut amici eum frequentes visere queant. Neque quidquam ipsi maiorem voluptatem afferre solet, quam sermo cum amicis de rebus ad rem literariam pertinentibus. Aderant forte mecum una ibi ipsius filius Phaedria, et frater Demea. Peractâ, ut fit, salutatione, ego continuo quaerebam, an iam programma Tuum legissent. Quod quum nondum ad ipsorum notitiam venisse audirem, illud recitabam, eoque facto, ipsos rogabam, ut mecum suam de eo sententiam communicarent. Quid multa? non modo haud aegre petitioni meae satisfaciebant, verum etiam mihi auctores erant, ut sermonem habitum meo arbitratu exponerem. Itaque feci. Primum caussas praecipuas neglecti Literarum studii exposui. Tum viam mihi ad reliqua munivi, et sigillatim de Literis Latinis egi. Deinde ostendi, quibus rationibus illarum in dies magis magisque refrigescens studium restaurari, et doctrinarum sacris initianda*

*) Vid. infra pag. 231. et seqq.

iuventus accuratam sibi Latinitatis scientiam comparare posset. Atque haec de materia sufficiant. Ad oeconomiam vero, sive formam, quod spectat, Platonis, Ciceronis, et nonnullorum recentioris aevi scriptorum exempla secutus sum. Nos ipsos colloquentes induxi, ne vulgares istae Dialogorum formulae, inquam *atque* inquit *), *saepius repetendae lectoribus molestiam crearent, aut certe ipsos in legendo passim retardarent. Caeterum vero, an haec scriptio Tibi satisfactura sit, ne conjicere quidem ausim. Attamen hoc prae me fero, nihil mihi iucundius fore, quam aliquando audire, illam et Tibi, Vir Ornatissime! et caeteris Quinque-Viris, selectis a Te iudicibus, non omnino displicuisse.*

Scripsi in Museo d. XXIII. Aug. MDCCCXII.

CRITO.

Iam vero, B. L., quae ab eo inde tempore evenerint, quanta rerum mutatio facta sit, et quomodo, sublatâ tyrannide, in libertatem sese patria nostra vindicaverit, quum nemini non notum sit; dixisse sufficiat, me ignorare, an illud distribuendorum praemiorum propositum peractum sit, nec ne. Forte una cum Universitate et Maiestate Caesareâ in fumum, ut ita dicam, et cineres abierit. Sed quomodocunque haec sese res habeat, quoniam ego hanc operam nullo alio consilio suscepi, nisi ut *Hulthemio, V. Cl.*, bonarumque artium et doctrinarum eximio fautori et patrono, obsequerer, et literatae iuventuti pro viribus meis prodessem; nulla idonea ratio mihi adesse amplius visa est, cur hoc opusculum diutius in scriniis latere sinerem, ac non potius ad publicam notitiam proferrem. Interim tamen, quoniam a verisimilitudine minime abhorret, me hic vel illic a vero fortasse aberrasse, gratum mihi erit, si viri harum rerum periti me errantem in viam reducere, et *lumen mihi de suo lumine accendere* velint **).

Atque haec sufficiant. Vale igitur, B. L., mihique fave.

Scripsi Zierizeae Kal. Iul. MDCCCXVI.

---

*) Scimus e Diogen. Laert. III, 50, dialogos ex divisione Graecorum fuisse vel διηγηματικοὺς vel δραματικούς. Conf. Intrpp. ad h. l.

**) Cf. Wyttenbach. in Philom. L. III. p. 313. sq. ubi honorificentissimum extat praeceptoris de Mahnio discipulo eiusque libello iudicium. *FR.*

PERSONAE.

MENEDEMUS, senex.
DEMEA, Menedemi frater.
CRITO, utriusque amicus.
PHAEDRIA, Menedemi filius.

MEN. En, Critonem! salve! quomodo vales? quid agitur?

CR. Equidem bene valeo, et vos item bene valere spero.

DEM. Diu nihil de te audivimus, quocirca nobis adventus tuus multo iucundissimus est.

CR. Immo ego mihi ipse gratulor, qui me haud intempestive ad vos venisse audio.

MEN. Missa fac isthaec: amicus, qualis tu es, numquam intempestive venit.

CR. Siccine putas?

MEN. Ita sane. Verum dic, *num quid in urbe novi?* Scis enim nos, quamvis amatores ruris, tamen novis ex urbe nuntiis, modo bonis et veris, admodum delectari.

CR. Multum quidem novi in urbe, sed nihil admodum boni aut certi. Circumferuntur varii rumores, quibus haud sciam, an fidem habere temerarium sit. Sed, quod vulgo dicitur, *Silent inter arma Musae,* hoc . . . .

DEM. Ita est. Per multos iam deinceps annos aures nostrae, quae antea dulcissimo Musarum cantu demulcebantur, durissimo nunc tubarum clangore defatigantur.

CR. En rursus istam veterem tuam cantilenam, Demea! At quem fugiunt ista? Quis ignorat, continuis

malevolorum machinationibus varias *) orbis terrarum regiones belli funestissimas clades expertas esse? Verum ego non de rebus bellicis, nec de militum dilectu aut agmine loqui volebam, sed de Musis, Literarum palaestrâ, et quotquot in Minervae castris militant, sermonem facere institueram.

MEN. Quorsum igitur illud, *Silent inter arma Musae?*

CR. Nisi Demea me interpellasset, sed pervenire sivisset, quo volebam, me longe aliud quid significare voluisse, vosque verba mea perperam interpretatos esse, intellexissetis.

DEM. Recte, Crito! Me nimis intempestive sermonem tuum interrupisse sentio. In posterum me pisce magis mutum habebis.

CR. Quid? egone te pisce magis mutum habebo? num ergo interrogatus quidem respondebis?

DEM. Non adeo durus et inhumanus sum. At sedulo cavebo, ne iterum loquacitatis me incusare possis.

MEN. Et ego, Demea, exemplum tuum sequar, ne alioquin eadem, ut aiunt, faba in me cudatur. Tu autem, Phaedria, fac memor sis disciplinae Pythagoricae, de quâ tibi nuper quaedam narravi, et *ἐχεμυθίαν* **) diligenter mihi serves.

PH. Obsequar praecepto tuo, pater! et omnino, quantus quantus sum, *ἀκουστικὸς* ero.

CR. Bene facietis. Sic me ad loquendum promtiorem habebitis, nec auscultasse vos omnino poenite-

---

*) *Praestat pro* varias *legere* multas. *Nam proprie* varium *notat sui dissimile, et ex diversis contrariisque qualitatibus ita mixtum, ut singulae appareant, teste Heus. ad Nep. Paus. c. 1.: nec de multitudine simpliciter usurpari opinor.*

**) Vide, quae de Pythagorae disciplinâ et silentio Pythagoreorum dixi in Diatr. de Aristox. p. 35 et seqq.

bit. Ego iam curabo, ne sermo nobis frigeat. Scheda, quam me in manibus habere videtis, satis amplam confabulandi materiam nobis praebebit. Eius summam, si vultis, vobiscum communicabo, ut ipsi iudicare possitis, an vana vobis promittam, et in me coniici merito queat tritum illud*)

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes —

DEM. Volumus sane, Crito! Pro his enim, quibus maior natu sum, meo iure respondeo.

MEN. Recte tu quidem: ergo audiamus.

CR. Haec scheda mihi Bruxellis allata est. Continet programma **) Rectoris Magnifici Academiae

*) Hor. A. p. 139.

**) Quoniam hoc programma ad multorum hominum cognitionem fortasse haud pervenerit, operae pretium esse opinor, illud hoc loco integrum exhibere. Non dubito enim, quin ex eo unusquisque intellecturus sit, *Cl. Hulthemium* omni studio operam navasse, ut Literae Latinae in dies magis magisque colerentur, earumque amor revivisceret. En igitur ipsum programma:

ACADEMIE DE BRUXELLES.

Le Recteur de l'Académie de Bruxelles, membre de la légion d'honneur,

Considérant que l'étude de la langue latine est un des principaux objets de l'enseignement des Lycées et des Collèges, et que la connaissance approfondie de toutes ses richesses ne s'acquiert que par une lecture assidue des meilleurs auteurs et par un exercice habituel et presque journalier;

Désirant de voir fleurir l'étude de cette langue et de donner de l'émulation et de l'encouragement à ceux qui la cultivent;

Après avoir entendu le conseil provisoire de l'Académie,

Arrête ce qui suit: Art. I. Les professeurs de Rhétorique des Lycées et des Collèges prononceront chaque année, à la distribution solennelle des prix, un discours latin, dont la manière sera déterminée. Art. II. Ce discours aura cette année pour objet, *l'utilité de la connaissance de la langue latine.* Art. III. Chaque professeur, après avoir prononcé le discours, en remettra une copie dans les vingt quatre heures au Proviseur du Lycée ou au principal du Collège, qui la feront parvenir sans délai au Recteur

Bruxellensis, quo Literarum Latinarum studiosi cultores ad bonarum artium et doctrinarum mercaturam frequentandam invitantur, et propositis praemiis alliciuntur. Primum rogantur Professores, quotquot in Lyceis et Collegiis dioecescos Academiae Bruxellanae artem Rhetoricam factitent, ut, habitâ solenni praemiorum scholasticorum distributione, singuli Orationem Latinam recitent, *De utilitate scientiae Latini sermonis.* Qui a Quinque-viris, ad opuscula diiudicanda

---

de l'Académie. Art. IV. Le Recteur nommera une commission de cinq membres, qui examinera tous les discours, et qui décernera une médaille d'or de la valeur de quatre cents francs à l'auteur du discours qui sera jugé le meilleur. Art. V. Une couronne de laurier sera décernée à l'auteur du meilleur Poëme en vers latins hexamètres, sur le *rétablissement des études par l'érection de l'université impériale.* Ce poëme doit avoir au moins cent vers. Art. VI. Il sera donné une médaille d'or de la valeur de trois cents francs à l'auteur du meilleur Dialogue, écrit en latin, sur *les moyens de rétablir le gout de la litérature latine dans ce pays et d'acquérir une connaissance approfondie de cette langue.* Art. VII. Tous les professeurs des Lycées et des Collèges sont invités à concourir pour ces deux prix. Art. VIII. Tous les amateurs de la littérature latine, nés dans les sept départemens de l'arrondissement académique de Bruxelles, ou qui y font leur séjour, sont également invités à ce concours. Art. IX. Ils remettront leur poëme ou dialogue aux Proviseurs des Lycées ou aux principaux des Collèges, qui leur en donneront un reçu et qui les feront parvenir de suite au Recteur de l'Académie, ou, s'ils le préfèrent, les feront parvenir directement, francs de port, au Recteur. Art. X. Ils auront soin de mettre sur leur ouvrage une devise qui sera répétée sur un billet cacheté, dans lequel se trouvera leur nom avec leurs qualités et demeure. Art. XI. Tous les manuscrits doivent être remis avant la fin du mois d'août 1812; ceux qui arriveront plus tard, ne seront plus admis au concours. Art. XII. Le discours, le poëme et le dialogue, qui seront jugés dignes des prix, seront imprimés aux fraix de l'Académie et transmis à S. E. le Grand-Maitre de l'Université, à MM. les Préfets des sept départemens de l'arrondissement académique, à MM. les Maires des villes, où se trouve un Lycée ou un Collège, aux Proviseurs et Principaux des Lycées et des Collèges. Art. XIII. Les noms des auteurs, qui remporteront les prix, seront proclamés le jour de la rentrée des Facultés de l'Académie. Bruxelles, le 24. Février 1812.

Le Recteur,

(*Signé*) Ch. VAN HULTHEM.

Le Sécretaire de l'Académie,

VAN BAVIERE.

selectis, victor citabitur, is a Rectore Magnifico splendidum honoris insigne, *numum aureum quadringentorum francorum* accipiet. — Alterum praemium, *Corona laurea,* ab eodem brabeutâ illi dabitur, qui omnium optime hexametro carmine centum aut plurium versuum decantaverit *Commoda, quae ex constitutâ Universitate Caesareâ in doctrinarum studia redundarunt.* — Tertio denique loco idem Maecenas optat, ut sibi mittantur dialogi, item Latine scripti, in quibus expositum sit, *quâ ratione Literarum amor et verus sensus in iuvenum animis resuscitari, ipsique interiore Latinitatis sensu imbui possint.* Neque parvum est illud praemium, quod scriptori persolvetur, e cuius, ut ita dicam, officinâ optimus et tersissimus dialogus prodierit. Hic *aureo numo trecentorum francorum* donabitur. Et quo maior decertantium numerus futurus sit, omnes literarum cultores intra fines dioeceseos Academiae aut nati, aut saltem habitantes, invitantur, ut suas ingenii vires vel in componendo Carmine, vel in Dialogo scribendo exerceant.

DEM. Nunc demum video, quo ab initio sermonis tui spectaverit illud, *Silent inter arma Musae.*

CR. Quid igitur vides, Demea?

DEM. Te nos contrarium docere voluisse video et sentio.

CR. Ita omnino est: rem acu tetigisti. Non verbis, sed factis ostendere volebam, illud, licet tritum et vulgare, dictum non adeo verum esse, ut in eo, tamquam in oraculi Delphici effato, nobis acquiescendum sit. Saepe nimis cito praeiudicatis multorum opinionibus, aut dictis quotidiano sermone tritis assensum praebere solemus.

DEM. Beasti me hoc inexspectato nuntio. Hoc programma, cuius argumentum nobiscum communicasti, non modo voluptatem mihi peperit, sed solatium etiam

attulit. Diu enim iam veritus sum, ne propediem de Latinarum Literarum studio actum foret. Quotus enim quisque est, qui non vernaculo sibi sermone, quam Latino, hodieque in libris scribendis uti malit? Longe maxima scriptorum pars Latino sermoni quasi bellum indixisse videtur. Utinam igitur tandem cum omnibus istis in gratiam redire possim, quos toties de huius linguae neglectu accusavi!

MEN. Ego autem, Crito, gaudeo et laetor, te hoc potissimum tempore ad nos venisse. Quoniam enim, suadente imprimis fratre, Phaedriam ad Academicas lectiones, finitis feriis, dimittere constitui, nullus iam dubito, quin pro humanitate tuâ nobis tuam sententiam de hac invitationis veluti tesserâ impertiturus sis. Sic certe non modo mihi gratum facies, sed filius quoque meus e sermone tuo haud spernendos fructus percipere poterit.

CR. Nullâ aliâ de caussâ, Menedeme, hanc paraenesin huc attuli, nisi ut vobiscum, quos Literarum Latinarum studiosissimos novi, de illâ agerem. Quod vero de Phaedriâ ais, de eo postea videbimus. Ille interea modo legis memor sit, quam tu ei ipse praescripsisti.

PH. Non sit, quod opineris, Crito, me officiorum meorum fines transgressurum esse. Neminem profecto tacendi et audiendi studiosiorem unquam videris, quam me ipsum.

CR. Igitur ut sermo noster inde proficiscatur, unde hoc colloquium originem duxit; triplicis generis praemia proposita esse videtis. Ad primum modo Rhetorices magistri accedere possunt. Et quandoquidem vos non ii estis, qui Rhetoricam profiteamini, in illius artis stadium prodire, opinor, non admodum vobis libebit.

DEM. Atque alterius illius praemii argumentum, quod poëtarum ingeniis mandatum est, eiusmodi mihi

esse videtur, ut haud sciam, an tu in illam arenam descendere, et famam tuam periclitari nolis.

CR. Etsi optimorum poëtarum lectione numerorum et modorum qualemcunque cognitionem mihi comparavi, atque propterea probe scio, quot pedibus hexameter constet; tamen ne splendido quidem invitatus pretio facultatis poëticae meae periculum facere ausim.

MEN. En hominem aut nimis timentem, aut parum audentem! An tu enim reapse centum versuum pangendorum opus adeo plenam periculosae aleae rem putas, ut ad illum laborem, quamvis *Coronae laureatae* praemio invitatus, accedere non audeas? Ignorasne illud, *Fortes fortuna iuvat?* *)

CR. Si poëtices natura et ratio in solà versuum pangendorum solertià et facilitate, aut in fundendorum verborum volubilitate posita esset, Menedeme, poëtae personam agere non tantopere dubitarem. Sed in bono poëtà, praeter haec, multa alia requiruntur, quae mihi deesse sentio, et nunc enarrare nimis longum sit. Memorià teneo illa**) Venusini poëtae:

mediocribus esse poëtis
Non homines, non Di, non concessere columnae.

DEM. Qui ita iudicat, Crito, ut tu facis, ille profecto***)

Et sapit, et mecum facit, et Iove iudicat aequo.

Verum dic, quaeso; qualis tibi ultima illa proposita quaestio videtur?

CR. Magni momenti, et omnino digna, de quâ pluribus agatur. Illa mihi indicio est, Bruxellanum

*) Ita Plin. VI. ep. 16, sed Virg. Aen. X. 284: *audentes fortuna iuvat.*

**) Hor. A. P. 372. Verum, velim, legantur, quae de hoc argumento scripsit Cl. *Wyttenbachius* in Ep. ad H. Boschium p. IX. et sq.

***) Hor. L. II. ep. I. 68.

hunc Maecenatem haud vulgari Literarum Latinarum amore non modo ipsum flagrare, sed in id etiam praecipue incumbere, ut illarum quasi pomoeria proferantur, et iuvenum animi eodem illo amore inflammentur, ac non ipsorum iudicii levitate illius amoris veluti scintillae penitus exstinguantur.

MEN. Quoniam igitur otiosi sumus*), mihi haud iniucundum erit, de illâ materiâ vobiscum colloqui: sed ita tamen, ut tu primas, Demea secundas, nec ego nisi tertias partes agam.

CR. Callide profecto! Sed cur tibi divisionem ita facere placet, ut mihi primas des, tibi autem tertias sumas?

MEN. Quia ego unus de multis sum, et ad hanc quaestionem imparatus accedo: at tu contra ea, aut huc meditatus venisti, aut certe talia subtilius agere, et argumentorum rationibus, tenuissimo filo textis, accurate et solerter concludere soles.

CR. Immo, omissâ potius omni partium divisione, et posthabitâ nimis puerili subinde Dialecticorum subtilitate, aliam viam, Menedeme, eamque Dialogorum popularitati**) fortasse magis accommodatam ingrediamur. Quivis simpliciter et aperte dicat, quae sentiat, nec anxie et sollicite circumspectet, ne in horum magistrorum vel minutissima praecepta forte impingat. Nam non omnia, quae loquimur, ad artem et praecepta semper revocanda esse, ipsi veteres artis Rhetoricae***) magistri nobis tradiderunt.

*) Verissime omnino indicat *Macrobius* Sat. I. c. 2, ubi ait: *„Recte institutus animus requiescere aut utilius, aut honestius nusquam potest, quam in aliquâ opportunitate docte ac liberaliter colloquendi, interrogandique et respondendi comitate.“*

**) *Dicunt quidem Latini*, populariter loqui, popularibus verbis uti, *sed alio sensu. Porro substantivum* popularitas *an de dicendi genere dicatur, nunc iam valde dubitem. Corrige igitur*, Dialogorum, ut ita loquar, popularitati.

***) Vid. Cic. de Or. II. 11.

DEM. Age, Menedeme, obsequamur Critoni, ne obloquendo et haec discendi, aut novi quid ex ipso audiendi occasio nos praetereat, omninoque intereat.

CR. An novi quid ex me audituri sitis, aut ego ille sim, qui vobis incognita, nec antea audita vel lecta, tradere queam, haud facile dixerim. Sed hoc certum esse arbitror, vobis illorum, quae in iuventute didicistis, recordationem et recognitionem haud ingratam omnino fore.

MEN. Facite, ut lubet, si quidem ego faciam, ut potero.

CR. Audivistis igitur, optimi viri, Clarissimum huius programmatis Editorem de *restaurando* Literarum Latinarum studio et amore loqui. Iam vero sponte vestrâ intelligitis, opinor, ut in aliis locis, ita etiam in Bruxellanâ Academiâ eiusque dioecesi illarum Literarum studium deferbuisse, et multum de pristino honore suo amisisse. Quamdiu enim Literae in honore sunt, et sancte casteque coluntur, tamdiu ille amor illudque studium, quibus ad illarum culturam excitamur, integra manent. Verum simulatque vel temporum iniquitate, vel multitudinis levitate, vel aliis quibuscunque de causis, aliquid de hoc honore detrahitur, aut magistrorum inertiâ et socordiâ a disciplinae severitate et integritate receditur; continuo studii et amoris depravatio exoritur. Ex hac depravatione nascuntur frigus et stupor: duo mala, quae ubi hominum mentes et animos occuparunt, fatali quadam necessitate efficiunt, ut sordescant, iaceant, et penitus tandem evanescant, quaecunque improbantur et contemnuntur. Sicuti enim virtutes*) illis temporibus et

*) Tac. in Vit. Iul. Agric. c. I.

locis optime aestimari solent, quibus facillime gignuntur, contra vero ex hominum societate celerrime exsulant, ubi in admiratione et pretio esse desinunt; sic etiam Literarum studium illis potissimum temporibus, et illis in locis, prae caeteris, floret vigetque, quibus et ubi ipsarum cultores honore prosequimur, et quovis modo cavemus, *ne quid detrimenti res literaria capiat.* Et quum hoc ita sit, inprimis necesse est, si illud sensim et pedetentim prorepens malum exstirpare, aut certe ipsius exitiosas progressiones retardare volumus, ut prius praecipuas neglecti Literarum studii caussas indagemus. His enim animadversis, multo facilius erit perspicere, quibus remediis huic malo mederi possimus.

DEM. Recte statuis. Peritos et diligentes medicos imitari debemus, qui, antequam praecipiant, quaenam aegrotanti medicamina adhibenda sint, sollicite caussas morbi investigare solent.

MEN. Sed nostine, quod vetus poëta, et rerum humanarum, ut mihi videtur, haud ineptus aestimator de medicis alicubi dixit?

DEM. Quem tu mihi veterem poëtam, quem aestimatorem narras?

MEN. Ovidium, qui aliquo loco*) cecinit:

Non est in medico semper, relevetur ut aeger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

DEM. Sit ita: nihil tamen hoc impedit, quo minus boni medici sit, in morbi caussas inquirere. Nam si accurata caussarum indagatio a medico instituta est, câque peractâ, quae secundum artis praecepta imperata sunt medicamina, aegrotum sanare nequeunt, nulla sane culpa in medico haeret. Fecit, quod facere

*) Ovid. ex Ponto I, III. 18.

debebat. Quâ de caussâ non tantum Crito mihi rectam viam ingredi videtur, sed ipsum quoque eam persecuturum spero.

CR. Ita faciam: praesertim quia hoc tibi placere video, nec Menedemo displiciturum opinor. Etenim ideo tantum Ovidiani dicti mentionem mihi fecisse videtur, quod vereatur, (neque id praeter rationem), ne parum idoneus sim ad caussas neglecti Literarum studii ita exponendas, ut illarum expositio salutiferam medicinae vim habitura sit.

MEN. Mentem meam, o boni! non recte cepistis. Neo medicorum officia in dubium vocare volui, nec de illâ, quâ tu polles, Crito, persuadendi arte et disserendi omnino facultate quidquam detrahere conatus sum. Immo illis Ovidii verbis id significare in animo habui, te scilicet quovis medico praestantiorem mihi visum iri, si iuvenum animos ab isto pernicioso et quodammodo inveterato animi morbo sanare possis.

CR. En miram hominis urbanitatem! Nisi te nosseni, Menedeme! hoc uno dicto me iam a dicendo absterrere posses, nec opus esset, ut plura adderes. Attamen quia tuam pariter atque Demeae indulgentiam saepius iam expertus sum, et vos mihi, si forte a rectâ viâ aberrem, praesto futuros, meque in eam reducturos confido, ad reliqua enarranda accingar.

DEM. Fac promissis stes, si quidem utrique nostrum pergratum erit.

CR. Non modo ad refrigescentis*), verum etiam nostrâ aetate in contemtum fere abeuntis Literarum,

*) Auctor Dial. de Causs. Corr. Eloq. c. 28: *Quis ignorat, et eloquentiam, et caeteras artes descivisse ab istâ vetere gloriâ, non inopiâ hominum, sed desidiâ iuventutis, et negligentiâ parentum, et inscientia praecipientium, et oblivione moris antiqui.*

cum aliarum, tum Latinarum, studii caussas quod pertinet, etsi in illis recensendis viri docti in diversas partes abeunt; tamen in eo ad unum omnes consentire arbitror, illarum praecipuas positas esse, partim in rebus et temporibus, partim in parentum negligentiâ, partim in magistrorum perversâ docendi ratione, potissimum vero in ipsius iuventutis ignaviâ.

MEN. Recte, Crito! Incredibile dictu est, quanta mala iuventutis ignavia in rem literariam inferat. Utinam iuvenes intelligant, verissimum esse illud Catonis oraculum: *Homines nihil agendo mala discere!**)

CR. Res et tempora, (uterer voce *circumstantiarum*, nisi vererer, ne hoc cadentis Latinitatis vocabulo teretes aures vestras offenderem), sed res, inquam, et tempora plurimum semper valuisse ad Literarum studia modo excitanda, modo exstinguenda, omnis aevi historia nos docet et credere iubet. Neutrum vestrum fugere arbitror, quibus vicissitudinibus doctrinarum studia apud Graecos et Romanos exposita et iactata fuerint, et quomodo illa alio tempore incrementa, alio decrementa ceperint. Si veterum scripta diligenter pervolvimus, hoc apud omnes fere gentes usu venisse videmus, ut, simulac publica civitatis disciplina labare et in deterius vergere coeperit, ingenium quoque mores publicos assumserit, et iudiciorum mobilitas levitasque multa mala Literarum studio attulerint. Et quoniam quasi circulus**) quidam et orbis rerum esse fertur, nec quidquam fere hodieque accidat, quod iam olim usu non venerit; non sit, quod

---

*) Ap. *Columellam* XI, 1, §. 26.

**) Herod. I. 207: *κύκλος τῶν ἀνθρωπηίων ἐστι πρηγμάτων.* Tac. Ann. III. 55: *Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.* Cf. Senec. Ep. 24. et 36.

miremur, tempora etiamnum ostendere, quantum in utramque partem ad doctrinarum studia tam exhilaranda, ut ita loquar, quam obnubilanda valeant.

DEM. Num tu igitur putas, nostris tantum aequalibus harum Literarum neglectum culpae dandum esse?

CR. Tantum abest, ut hoc putem, ut potius omni modo cavendum arbitrer, ne opinemur, si Literae hodieque sordere, nec in pretio esse dicantur, hoc non nisi his, quibus nos vivimus, temporibus tribui debere. Quemadmodum nemo derepente fit pessimus, sed in dies ad maiorem pravitatem delabi solet: aut, ut vulgari dicto utar, quemadmodum surculus non statim fit arbor; sic etiam hoc malum hodieque non simul natum est, et ad maturitatem pervenit. Huius morbi semina iam olim sparsa sunt, et superiori aetate in animis hominum iam abscondita latuerunt.

MEN. Ita ego etiam arbitror. Vitia enim vulgo sese clam in animum nostrum insinuant, et plerumque in eo altas prius radices agunt, quam in lucem prodeant.

CR. At vero, ne iusto altius rem repetam, aut maiorum manibus debitum honorem habere non videar, inde a primis tantum pueritiae nostrae annis incipiam. Quum, nobis admodum pueris, alma pax patres nostros multiplici rerum abundantiâ bearet, mercatura floreret, et per hanc undique divitiae affluerent, sensim paulatimque coeperunt nonnulli, quae est mortalium inconstantia, rebus a maioribus prudenter institutis diutius frui nolle: de spatio et curriculo maiorum in dies magis magisque deflexerunt, et antiqua fastidientes nova cupide arripuerunt. Motis mox virtutum et vitiorum confiniis, parsimonia, frugalitas et morum simplicitas evanescere, harumque virtutum loco luxuria, intemperantia ac vitae scenicae levitas homi-

num animos inficere coeperunt. Ex his deinde vitiis alia, imprimis, inertia et avaritia, nata sunt. Inertes in solâ rerum externarum abundantiâ vitam beatam et felicitatis suae apicem quaerentes, genio suo indulgere, quam Literis studere malebant.

Mirum in modum ipsis placebant istae voluptatum illecebrae, in quibus excogitandis homunculi vento et plumâ leviores quasi certarent. Quodsi quem veteris morum disciplinae adeo tenacem offenderent, qui sermone aut scripto istorum corruptelam reprehendere auderet, statim huic admodum subtiliter et eleganter occentabant: Quid clamitas, querule? Quid tibi vis, morose? Ignorasne ita saeculum esse? Nescisne ita vivi? Apage cum istis naeniis tuis! Abi cum importunis tuis querelarum cantilenis!

Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor: haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,
Lectaque diverso littore concha venit;
Nec quia decrescunt effosso marmore montes,
Nec quia caeruleae mole fugantur aquae;
Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes avis. *)

Avari porro loculos suos auro onerare, quam mentem et animum bonis artibus ornare studebant. Despicientes doctrinarum studiosos, paupertatem bonae mentis sororem esse crepabant. Quotquot istorum in pueritiâ Literas a limine salutaverant, ut lucrandi et aeruscandi studium suum palam facerent, modo in con-

*) Ovid. de Arte Am. III, 122.

tumeliam Literarum studiosae iuventutis exclamabant:

Studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes:)*

modo, quod peius etiam, impudenter vociferabantur:

O cives, cives! quaerenda pecunia primum est:
*Virtus post nummos.**)*

Iuvenes hanc multorum civium suorum vivendi consuetudinem videntes, nec rerum usu subacti, aut intelligentes, hanc fucatam potius quam sinceram vitae beatae imaginem esse, externo multorum splendore occaecati, aut blandâ voluptatum mox percipiendarum spe illecti, quamcunque occasionem avide arripiebant, qua se saeculi sui osores non esse ostenderent. Quin etiam eo non contenti, sed aemulandi quasi morbo correpti, non modo aliorum comites sese praebebant, verum adeo ipsi mox aliorum duces exsistebant.

DEM. Aptis sane et ad persuadendum accommodatis verbis istam novandi libidinem depinxisti. In mentem mihi venit, nescio quomodo, locus ex praeclarâ illâ Horatii ad Augustum Epistolâ:

Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit, et in vitium fortunâ labier aequâ;
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum:
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit:
Suspendit vultum pictâ mentemque tabellâ:
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis:
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
*Quod cupide petiit, mature plena reliquit.***)*

---

*) Ovid. Trist. IV. x. 22.

**) Hor. I. ep. I, 53. Conferantur omnino cum his, quae leguntur apud duumviros de me optime meritos, Saxium in Orat. *De Artium Graecarum et Romanarum iudicio hodie regundo* p. I. et sqq.; et Wyttenbachium in Ep. ad *Nobiliss.* Lyndenum p. VI. et sqq.

***) Hor. II. Ep. I. 93.

Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae, ventique secundi.

MEN. Sed quoniam tantopere a veteris disciplinae severitate recessimus; vix dubitem, quin verum futurum sit, quod idem poëta alio loco*) cecinit:

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Equidem certe metuo, ne et flagrans hoc novitatis studium, et alia ista vitia, quorum meministi, omnem Literarum interitum verisimilem reddiutura sint,**) nisi istis fortiter resistatur, et omnes boni coniunctis viribus ista ad vivum resecare studeant.

CR. Quid tu, Menedeme, metuas, nescio: porro, rectene an temere metuas, non quaero: sed plura etiam, quae dixi, superesse dicenda, hoc probe scio. Atque idcirco, si vultis, orationis filum persequar.

DEM. Volumus sane; quare pergas.

CR. Per multos scilicet annos***)

saevit toto Mars impius orbe.

Exarsit, nobis iuvenibus, bellum inter Franco-Gallos et Austriacos. Hoc bellum modo intermissum, modo renovatum, aliorum item bellorum cum aliis nationibus semen exstitit, et nunc iam per quatuor deinceps lustra duravit. Infinita illo temporis intervallo proelia commissa, multae urbes excisae, multae

---

*) Hor. III. od. VI, 45.

**) *Etsi neque in singulis verbis, neque in ipsorum comprehensione quidquam inest, quod Grammatices praeceptis repugnet, tamen velim, quoniam alibi dixi, aliud esse Grammatice, aliud Latine loqui, hoc loco legas:* Equidem certe metuo, ne per flagrans hoc novitatis studium — omnes Literae funditus interiturae sint.

***) Virg. Georg. I, 511.

regiones vastatae, multa millia hominum occisa sunt. Initio huius belli, quum in Galliâ potestas regia non modo sublata, verum ipse adeo rex deletus esset, et rerum summa penes populum esse coepisset, victricibus Gallorum armis variae regiones subactae sunt. Ex his nonnullae pristinam Reipublicae formam ad victorum exemplum mutandam censuerunt. Hinc, quod nostis, hic illic demagogi provenerunt, qui se populi quidem patronos iactarent, ipsiusque iura contra Optimatium vexationes sese vindicaturos crepparent, sed qui re verâ nihil nisi auram popularem venarentur, et gratiam campestrem captarent, quo citius atque certius viam sibi ad rerum publicarum administrationem munirent. Hi personati populares quum aliquamdiu callide animi sui sententiam fronte occultassent, levi populo in comitiis verba dedissent, et variis artibus consiliorum et votorum suorum compotes facti essent; continuo non modo multos rerum scientiâ excellentes et morum probitate conspicuos viros muneribus moverunt, sed bonos, quos sibi inimicos ducerent, infimae plebis furori obiecerunt. Cui enim (ut non nisi unius ex istiusmodi hominum pestibus nominatim mentionem faciam): sed cui, inquam, non terrori atque exsecrationi fuit monstrum istud horrendum, Rubopetraeus*), cui multi Phalarides, Dionysii, Nerones, Caligulae, Domitiani, Caracallae, et quotquot antiquitas olim protulerit tyrannos, inerant? Verum ne temporum istorum recordatione animos nostros exulcerem, multa silentio praetereamus, quae**)

animus meminisse horret.

Satis habeamus animadvertisse, haec funestissima

*) Robespierre.

**) Virg. Aen. II. 12.

tempora haud parum detrimenti Literis attulisse. Quis enim eo tempore*) Literis studere velit, quo pro laude et honore infamia, mercedis loco poenae nos maneant? Et hoc istis luctuosissimis temporibus saepius accidisse, historia, illa lux veritatis, satis dilucide nos docet.

DEM. Igitur agnoscamus singularem Dei providam curam, quâ imperium et summa rerum potestas ex istorum furiosorum hominum manibus extorsa sunt. Quodsi enim istiusmodi carnificibus diu impune grassari licuisset, non modo de Literis, verum de omni humanitate actum esset.

CR. Quod profecto, ut nunc sunt res nostrae, minime verendum est. Caesari enim Literarum studium cordi esse videmus. Testes nobis sunt illa decreta, quae diversis deinceps temporibus ad doctrinarum studia evehenda edidit. Testantur hoc Academiae, quas aut in antiquâ Galliâ restauravit, aut in aliis provinciis suo imperio recens adiectis integras reliquit. Testantur hoc multa alia, quae ego nunc brevitatis caussâ omitto, sed aliis ut egregiam decantandi materiam copiosius exponenda relinquo.

MEN. Primum igitur praeteritorum temporum obliviscamur, inque Caesaris et reliquorum Maecenatum curâ et studio acquiescamus: tum vero ad nosmet ipsos redeamus, et videamus, ne nostrâ ipsi culpâ consiliis eorum obsistamus, quibus Literarum provehendarum provincia a Caesare mandata est. Equidem certe scire aveo, quid de alterâ, quam posuisti, caussâ dicturus sis, ut intelligam, an in me quoque, utpote parente, negligentiae culpa haereat.

CR. Quandoquidem amicorum voluntati in re

*) Nonnumquam nimirum *haud minus periculum ex magnâ famâ, quam ex malâ* oriri solet, ut ait locuples et fide dignus auctor *Tacitus* in V. Agric. c. 5.

honestâ resistere iniquum arbitror, quantum detrimenti parentum negligentia Literis subinde afferat, nunc paucis explicabo.

DEM. Hoc nec mihi ingratum erit. Quamquam enim ipse nullos liberos habeo, tamen hunc Phaedriam non minus amo, quam si ex me natus esset. Nolim omnino, ut a nobis quidquam negligatur, quod ipsi salutiferum esse queat. Quemadmodum enim omnis spes futurae messis e semente pendet, sic futurae hominum felicitatis exspectatio praecipue in puerili atque iuvenili educationis et institutionis disciplinâ mihi posita videtur. Quare pergas, Crito, et, quod nobis modo pollicitus es, tamquam debitum persolve.

CR. Non omnes, ut alicubi dicitur, eadem mirantur et amant: non omnes ad idem vitae genus vel naturâ ducuntur, vel studio et impetu impelluntur, vel consilio et ratione invitantur et alliciuntur. Quid mirum igitur, quod parentes de Literarum discendarum utilitate et necessitate in maxime diversas partes abire videamus? Sunt qui Literarum humanitatem et scientiam plane supervacaneam putant, *) nec filios suos scholastico, ut aiunt, pulvere pollui volunt. Hac praeiudicatâ opinione ducti a Literarum Latinarum culturâ, a quibus vulgo institutionis scholasticae initium sumitur, filios suos repellunt, qui fortasse maiores in Literis progressus facturi fuissent, quam illos subinde in istis artibus facere videmus, ad quas parentum vi coacti accingantur. Alii Literarum scientiam non quidem omnino inutilem iudicant, sed magis tamen in id incumbunt, ut liberos suos mercaturae amore imbuant,

*) Vide, quae ex scholis Wyttenbachii attuli in Ep. Sod. Socr. p. 281.

DEM. Hi profecto Doctrinarum studium et culturam nimis exiliter ad calculos revocant.

CR. Et vel sic tamen hoc saepe fieri solet. Verum est aliud etiam genus parentum, qui de naturae bonitate, aut ingenii docilitate, ne cogitant quidem, et nihilo secius tamen puerulos suos magistris docendos et formandos praebent, etiamsi hi pueri ad quidvis aliud potius, quam ad Literarum humanitatem percipiendam idonei sint et reperiantur. — Denique haud pauci parentes peius etiam agunt, et filiis suis ne integrum quidem relinquunt, quamnam ipsi sibi eligant disciplinam. Nonnullis placet, ut filii sui *Clinicen* exerceant, et compositionibus signandis ea sibi parent, quae ad victum et cultum suppeditent; etsi pueri ipsi magnopere ab omni arte Medicâ abhorreant. Sunt qui magnifico et pulchre sonante *Iurisconsulti* nomine, et Academicorum honorum gradus opinione delectati, solum hunc titulum iam sufficere putent ad eruditionis famam, et ad captandam benevolam, nisi paucorum intelligentium, certe multorum popularium opinionem. Iubent igitur filios suos unice Iurisprudentiae operam navare, quamquam hi, ad arma litigiosi fori minime nati, aegre et cum taedio ad hoc studium accingantur. Tandem vero etiam haud raro reperiuntur, inprimis piae matres, quae tunc demum sese fortunatas fore opinentur, si filios suos in sacro coetu aut religionis formulas decantantes, aut sacri codicis capita interpretantes, aut homilias recitantes audiant. Quid igitur faciunt bonae illae et religiosae mulierculae? Blandâ futurae felicitatis suae spe sese lactantes, caris capitibus suis suadent, ac non raro precibus et auctoritate suâ ipsis persuadent, ut Theologiae studeant;*) licet eorum saluti forte

*) Potuissem etiam scribere, *suadent Theologiae studere.* Probe quidem scio, Horrearium, auctoritate *Recensentium Re-*

melius consuluissent, si eos intra sellulariarum artium cancellos cohibuissent. Nihil enim aliud ex istiusmodi consilii perversitate evenire solet, nisi quod, proh dolor! nimis saepe accidere videmus.

DEM. Scilicet!

CR. Ut boni illi et nimis obsequiosi adolescentes, decurso studii Academici curriculo, ad umbilicum usque docti domum redeant, ipsosque, quo se convertant,

---

censentis, in exquisitae doctrinae libello, cui nomen *Strenae* dedit, p. 101. scripsisse: „*Sed* vitia *intelligo* Grammatica, *eaque non ambigua, at manifesta, quaeque nullâ defendi ratione idoneâ possint. In huiusmodi vitiis pono,* Ei suadeam discere:" sed ista parum curo. Veterum auctoritas plus apud me valet, quam istiusmodi novitiorum in re literariâ vanitas. Legantur, quae scripsi in Epist. Sod. Socr. p. 279 et sq. [„Sic tamen Terent. Hec. III, 5, 31. *Nunc me pietas matris potius commodum* suadet sequi. Virg. Ecl. I, 54. *Hinc tibi, quae semper vicino ab limite sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti, saepe levi somnum* suadebit inire *susurro.* X, 366. *aspera queis natura loci dimittere quando* suadet *equos.* III, 363. *et cuncti* suaserunt *numine Divi Italiam* petere. Alibi etiam ap. Virg. c. Accus. aut sine casu. Nec multum diversâ ratione Plin. Ep. I. 22. *utque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi.* Phaedr. I, 15. *suadebat asino fugere:* ubi nulla ratio, quod Burmannus *asinum* quasi ex Virgilianâ imitatione, quae nulla est, contra omnium librorum consensum corrigere vellet. Nam Virgilius saepe hoc verbum cum Infin. et Accus. et Dat. iungit. Huius et aliorum locos c. Accus. etiam memoravit Scioppius in Praef. ad Gramm. Sic *persuadere* Nepos in Dione c. 3. *Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit valuitque eloquentiâ, ut ei* persuaserit, *tyrannidis* facere *finem, libertatemque* reddere *Syracusanis.* Frequentissime in alterâ significatione, quae ad credendum et fidem faciendam pertinet, *persuadere alicui* v. c. *rem sic se habere*"] exemplisque ibi citatis addantur haec: Cic. de Or. I. 59: *Nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus in gestu discendo histrionum more* elaborare. *Seneca* Ep. XIX: *Neque ego* suaserim *tibi nomen ex otio* petere. Ep. XXIV. *etiam cum ratio* suadet finire (*vitam*). De Brev. Vit. p. m. 224. persuasit *navem* conscendere. *Quintilianus* I. O. II, 5, 23: Suaserim *et antiquos* legere, *et novos.* II, 7, 2: Ediscere *electos locos multo magis* suadeam. -- Sic etiam, sequente Infinitivo, construuntur alia verba, veluti *hortor*, exemplo Nepotis in Phoc. c. I: *Legatique hortarentur accipere.* Ad quem locum v. Heus. — Nonnumquam adeo *ut* usurpatur loco Accusativi cum Infinitivo. Vid. Cic. de Off. II. 22. 14, et III, 11, 8, ibique item doctiss. *Heusingerus.*

tamquam umbra corpus, sic infaustis ominibus suscepti doctrinarum studii manifestissima vestigia ubivis comitentur, nec quidquam fere aliud ipsis postea restet, nisi lugubre illud carmen: *)

O mihi praeteritos referat si Iupiter annos!

MEN. Sermo tuus, Crito, quadam ex parte animum meum voluptate perfudit.

DEM. Qui tu, quaeso, potes vel minimam voluptatem ex aliorum incommodis percipere?

MEN.

Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas:
*Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est***)

Quae enim de multorum parentum in filiis suis instituendis negligentiâ et perversitate Crito nobis exposuit, eiusmodi fuerunt, ut omnino intellexerim, me in istorum classem referendum non esse, quibus talia culpae dari queant. Quum enim animadvertisse mihi viderer, et tu idem mihi affirmasses, naturam Phaedriae satis indolis largitam esse ad Literarum Latinarum rudimenta percipienda, ipse haec eum docui. Et mox, quum re et usu intellexissem, ipsi quoque non deesse discendi studium et assiduitatem, domesticum, quod nosti, magistrum adhibui, qui illud studium aleret et moderaretur.

DEM. Haec omnia novi: et novit item Crito.

CR. Recte.

MEN. Huius magistri disciplinâ nunc quadriennium usus est, et eiusmodi progressus fecit, ut Professorum Academicorum scholis, ut spero et opto, non sine fructu interesse possit.

CR. Idem sane nos quoque speramus et optamus.

---

*) Virg. Aen. VIII. 560.

**) Lucret. II, 3.

MEN. Iam igitur ante hos paucos dies eum interrogavi, velletne in doctrinarum studio porro progredi, an aliquam artem discere. Respondit, se velle potius Literis studere, quam ulli arti operam navare. Verum dic, inquam, num iam aliquam prae caeteris doctrinam elegisti? Tum ille: nondum, pater, de futuro vitae curriculo meo satis accurate cogitavi; nondum in utramque partem omnia perpendi; incertus adhuc sum, in quâ potissimum doctrinae disciplinâ vitae quasi tabernaculum collocem. Sed quoniam tu mihi saepius dixisti, Literas Graecas et Latinas inprimis bonarum artium et doctrinarum studioso cultori colendas esse, neminemque sine illarum scientiâ magnos progressus in aliis doctrinis facere posse; liceat mihi porro in illis addiscendis primum vitae Academicae annum unice transigere. Ad quae ego: Fac, ut ais, et interim tecum reputa, quanam doctrinâ in posterum laudi et fortunae tuae omnium optime consulturum te putes. Nulla enim est doctrina, in quâ excellere pulchrum non sit. Reipublicae singularum doctrinarum cultoribus opus est: singulos in suo genere excellentes viros admiratur, fovet, amplectitur.

CR. Utinam, Menedeme, omnes parentes tui similes essent, et rectis filiorum suorum studiis obsecundare non nimis saepe gravarentur.

DEM. Verum non omnibus parentibus tam indulgentibus esse liberum est. Non omnes possunt filiis suis in eiusmodi negotiis cum ob rei numariae difficultatem, tum ob alias caussas, morem gerere.

CR. Hoc quidem ita est, Demea: sed loquor de iis potissimum, qui possunt, nec tamen volunt. Praeterea, si in quodam iuvene magna solertia, insignis ingenii docilitas, laudabilis studii assiduitas eluceant, eoque morum honestas et aliae virtutes commendatrices

accedant, ut de tali iuvene omnia bona sperare queas; nondum aut liberalitatis fontes adeo exhausti sunt, ut eiusmodi iuveni, pecuniae inopiâ forte laboranti, subveniri nullâ ex parte possit, aut ita homines a pristinâ virtute degenerarunt, ut tali adolescenti succurrere omnino nolint. Num tu illorum iuvenum oblitus es, Demea, quos ipse in iuventute tuâ cognosti, quorum parentes domi in re angusta vivebant, et qui iuvenes nihilo secius tamen aliorum liberalitate, vel publicâ vel privatâ, sustentati lectiones Academicas percipiebant, a Professoribus subinde reliquae iuventuti tamquam exempla ad imitandum proponebantur, quovis modo cum a Maecenatibus, tum ab aliis Literarum amatoribus adiuvabantur, et amor atque deliciae optimorum quorumque civium Academicorum erant? Atqui, Demea, quum hoc in iuventute nostrâ factum sciamus, cur simile quid hodieque non amplius usu venire posse dubitemus?

MEN. Iniquus sit, qui hoc in dubium vocare velit. Sed talia curiosius inquirere, mihi nescio quomodo putidum, nec satis humanum videtur. Igitur missa faciamus talia, mi Demea! Rogemus potius Critonem, ut ad tertiam neglecti Literarum studii caussam exponendam accedat, et nobiscum suam sententiam de magistris communicet. Qui enim filii mei praeceptor aliquamdiu fui, hac quoque in parte vincta mea caedantur, haud nolim.

CR. Cave putes, Menedeme, de paternâ disciplinâ me quidquam verborum facturum esse. Loquar solummodo de magistris publicis. Parentes gratuito docendi provinciam suscipiunt, nec iis officiis adstricti sunt, quibus magistri, qui pro docendi munere honorarium publice accipiunt. Et quandoquidem mihi non satis liberale et honestum videtur, callide potius

occultare, quid sentias, quam candide id cum aliis communicare; de hoc quoque argumento aperte, attamen sine acerbitate aut invidiae aestu, agam.

DEM. Recte facies, et nos attentos auditores habebis. Et, licet adessent alii Literarum magistri, qui nulli adsunt, si neminem nominatim appellares, nemo tibi merito irasci posset, nisi qui ante de se vellet profiteri, et suo ipse indicio declarare, verum esse, quod dicitur, *non omnes, qui citharam habeant, citharoedos esse.*

CR. In scholis inferioribus, ubi pueri Literarum inprimis Latinarum rudimenta discunt, et illis discendis ad humanitatem formantur, nisi adhuc reperias, me certe puero, passim offendebantur*) magistri, quibus nihil iracundius, nihil saevius excogitare posses. Isti plagosi Orbilii ignorabant, aut, si vel maxime scirent, parum id curabant, scholas publicas a maioribus non ideo institutas esse, ut intra ipsarum parietes discipuli, veluti in ergastulo occlusi, discendis tantum vocabulis et loquendi formulis pueritiam cum taedio et lacrymantes transigerent. Simulatque scholas intrabant, quantocyus ferulam arripiebant, ac si ipsis sine hoc, ornamento dicam, an instrumento? nulla auctoritas esset. Putabant cum e re suâ, tum etiam literariâ esse, potius se a discipulis metui, quam diligi. Ferulâ igitur muniti et armati discipulos deinceps ad cathedram accedere, et pensum suum memoriter recitare iubebant. Ubi semel, aut summum bis, miser puerulus offenderat, posthabitâ omni misericordiâ et humanitate, haud exiguam verberum portionem acci-

*) *Ne ambigue scripsisse videar, pro* offendebantur *repone* reperiebantur.

piebat. Imaginem istiusmodi in puerorum terga saevientis ludimagistri adhuc, mehercle, ante oculos habeo. In primâ enim pueritiâ extra patriam, quod nostis, educatus, in disciplinam istiusmodi hominis incidi, quem per integrum biennium non sine multis lacrymis utcunque pertuli.

DEM. Plane igitur in istum magistrum tuum conveniebant, quae de talibus vitio creatis doctoribus festive cecinit Buchananus: *)

Dextera crudeli in pueros armata flagello est,
Laeva tenet magni forte Maronis opus.
Iam sedet et longis clamoribus ilia rumpit,
Excutit implicitos ingenioque locos;
Mox virgae strepitusque sonant, fletuque rigantur
Ora, inter lacrymas transigiturque dies.

CR. Alii contra ea magistri aliam viam sequuntur. Non verberibus, sed verbis discipulos in officio continere, et ad discendum allicere solent.

DEM. Optime profecto. Non opus est verberibus. Qui verbis non movetur, illum quoque verberibus parum promovebis.

CR. Sed hos mitioris ingenii magistros haud raro in eo peccare videmus, quod omnia ad lusum nimis revocent, et suâ institutionis disciplinâ memoriam incultam manere sinant. At quicunque in pueritiâ illum omnium rerum thesaurum firmare non didicit, nec ingenii vires quotidianâ exercitatione augere studuit, poterit is quidem vitam inertem cum ignavo vulgo traducere, sed ad res maioris momenti, ad quas peragendas multum studii et laboris requiritur, parum idoneus erit.

MEN. Ita se res omnino habet. In pueritiâ po-

*) p. m. 299.

tissimum memoriam*) exercere, et operam dare debemus, ut intelligamus, qui egregia aliquando facere velint, non laboris levitate, sed assiduitate, non animi remissione, sed intentione ad propositam sibi metam demum pervenire solere, nec frustra dictum esse a veteribus: **)

Adeo in teneris consuescere multum est!

CR. Reperiuntur praeterea praeceptores, qui perfunctorie suo munere funguntur, nec magnopere curant, utrum horas scholis habendis destinatas enarrandis ***) ineptiis, et explicandis futilibus fabellis perdant, an vero illis utantur horis, ut puerorum animos utilium rerum seminibus imbuant, et ipsorum ingenia honestae aemulationis contentione incitent. — Denique etiam vidi praeceptores, officio suo caeteroquin religiose fungentes, at in eo peccantes, quod suam docendi provinciam nimis arctis finibus circumscriberent. Multum moventes parum promovebant. Arbitrabantur nimirum, nihil aliud sibi agendum esse, nisi ut discipulis regulas Syntaxeos, uti vocantur, fideliter traderent, et inprimis curarent, ut discipuli Latinos scriptores in patrium sermonem convertere discerent. Atque idcirco, quoniam illius linguae, quam profitebantur, scientiam promtâ eius in vernaculum sermonem commutandi facilitate aestimare et metiri solebant, huic uni operam dabant: hic ipsis labor, hoc opus erat. Sed reliquas doctrinas, Antiquitates, Historiam, Geographiam, Chronologiam, Mythologiam, aliasque aut plane negligebant, aut leviter tantum et dicis caussâ tractabant.

DEM. Ipse hoc usu expertus sum. Habui magistrum, in quo luce clarius apparebat illud, *Quo semel*

*) Cf. Quint. I. O. I. 12.
**) Virg. Georg. II, 272.
***) Vid. Martialis II. Epigr. 86.

est imbuta. Erat vir optimus et discipulorum amantissimus, sed qui hoc unice curabat, ut Grammatisticen nos doceret. Quotidie syntaxeos regulae decantandae, quotidie themata et versiones, uti vocabantur, facienda erant. Illorum argumentum maximam partem constabat imitatione verborum Nepotis. Qui igitur omnium diligentissime Nepotem exscripserat, etsi caeteroquin nullus bonae Latinitatis color orationi inesset, victor citabatur. Et quoniam non simul rerum et verborum, sed unice tantum verborum ratio utcunque habebatur, qui omnium fidelissime Latina vocabula vernacule converterat, prae caeteris tamquam eximiae spei discipulus laudabatur, licet psittaco similis verba sibi non intellecta garriret. Hae dapes nobis quotidie apponebantur, haec incus nobis quotidie tundenda erat. Poteram illud, *Quid te nunc, asine, literas doceam?* tam scite et eleganter in patriam linguam convertere, ut verbum fere verbo responderet; etsi sane ignorabam, quales literae essent, et in re literariâ asino parum solertior eram.

CR. Atqui dici vix potest, quantum perversa in Gymnasiis docendi ratio Literarum studio obsit. Discipuli, plagosos Orbilios in ludis literariis magistros nacti, quam primum illud stadium emensi sunt, quod est a carceribus ad metam, atque in Academiis liberius vivendi potestatem acceperunt, perpessas antea aerumnas, et ingens istud taedium, in discendis Literarum rudimentis perceptum, nullo modo melius sese compensaturos putant, quam genio indulgendo et tempus variis ineptiis fallendo. Hinc subinde multi recens advenae Academicis lectionibus supersedent interesse levissimis quibusque de caussis, et magis frequentes in diversoria, quam in auditoria convenire, lubentius in

thermopoliis ludicra agere, quam in acroateriis seria tractare solent.

MEN. Admodum igitur vera sunt, quae alicubi*) Quintilianus dixit: *Id inprimis cavere oportet magistrum, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet.*

DEM. Recte iudicavit Quintilianus. Pueri non absterrendi, sed alliciendi sunt, quo maiori alacritate et studio discant.

CR. Verum quicunque contra ea ex disciplinâ nimis indulgentium magistrorum ad Academiarum scholas provecti sunt, et res graviores ibi non per lusum quasi, sed serio agendo tractari vident, volatici fiunt. Memoriae exercendae haud adsueti, laboris perseverantiam et constantiam perferre haud edocti, et multum sudando demum ad rerum intelligibilium scientiam aditum aperiri posse animadvertentes, modo hanc, modo illam doctrinarum disciplinam degustant, laboriosa quaeque angue venenato magis etiam fugiunt, et suo ipsi tandem exemplo ostendunt, verum esse, quod dicunt, *In omnibus aliquid.* — Denique, ne iusto verbosior vobis videar, qui non nisi aliquem e Latino sermone in patrium convertendi usum habent, et reliquarum doctrinarum elementa ne a limine quidem salutarunt, etsi se Solone iam sapientiores putent, in scholis Professorum Academicorum multa audiunt, quae plane non intelligunt. Ex hac inscitiâ duplex incommodum vulgo exoriri solet: vel ut sero demum discipuli, non satis bonâ institutione usi, perveniant, quo alii melius instituti commilitones iam dudum erant, vel ut sibi ipsi non amplius satisfacientes, seque oleum

*) Quintilianus I. O. I. 1, §. 20.

et operam perdidisse putantes, contemnant, quae olim magni aestimarent et sinu quasi foverent, nec addiscant amplius, sed potius dediscant.

DEM. Mihi sane haud dissimile quid accidit. Opinatâ meâ eruditionis copiâ ornatus et instructus scholas Professorum intrabam, mihique ipse mirum in modum placebam. Sed, Dii boni! quam misere fallebar, qui me aliquem esse putabam, quum nullus adhuc essem! Omnia nova, omnia inaudita: alia docendi, alia interpretandi ratio. Quid multa? Qui iam metae proximus mihi modo visus eram, haud ita multo post ab isto errore revocatus intelligebam, denuo mihi stadium ingrediendum, et aliâ viâ decurrendum esse, si cum reliquis ad metam propositam pervenire, et praemii particeps fieri vellem.

MEN. Verum fac, hoc ita esse, de quo vobiscum contendere nolim; tamen Academiarum Professores istiusmodi vitiis immunes censeo.

CR. Haud inepte profecto censes. Academiarum Professores nec ferula utuntur, nec in iuvenum memoriâ, discendis vocabulis et loquendi formulis exercendâ, occupati sunt, nec vulgarem scholasticam scriptores interpretandi rationem sequuntur. Verum licet singuli Professores eruditione suâ excellant, et in suo quique genere praestantes sint; tamen cave putes, omnes aeque bene provinciam sibi mandatam administrare. Multi se ad captum suorum discipulorum non satis accommodant.*) Duplicis plerumque generis discipulos habent; alios tirones, alios veteranos. Iam vero, nonne ratio suadet, ut Professores in scholis suis utrique generi pariter prospiciant, et operam dent, ut non modo

*) Lectu dignissima sunt haec Quintiliani (II. 3. 7.) verba: *Disertum praeceptorem, prudentem et non ignarum docendi esse oportet, submittentem se ad mensuram discentis.*

veteranorum commodis inserviant, verum etiam tirones ex ipsorum lectionibus fructus percipere possint? Quod tamen haud raro secus evenire solet. Vidi Professores, Graecos Latinosque scriptores interpretantes, qui discipulis nullas, nisi audiendi et scribendi, partes tribuebant. Ipsi scriptoris orationem praelegebant. Quae ipsis intellectu faciliora videbantur, alto silentio praeteribant. Quae interpretatione indigere putabant, inprimis explicare solebant multo testimoniorum choragio, et citandis multis locis parallelis aliorum scriptorum, quorum nomina, nedum scripta, vix minima auditorum pars cognita haberet. Quae tamen docendi ratio, etsi veteranis et usu iam subactis haud omnino inutilis est, tironibus parum utilitatis affert. Quoniam magister ex suâ eruditionis copiâ discipulorum suorum doctrinam demetitur, nec interrogando elicit, an auditores verba, orationis nexum et proprietates, nec non mentem auctoris intelligant, fieri aliter non potest, quin multa a discipulis parum intellecta praetermittantur. Solent quidem hi dictata magistrorum summâ sedulitate describere, eaque tamquam pretiosissimum *κειμήλιον* sibi servare, sed ad accuratam scriptoris intelligentiam, partim in singulis verbis et constructionis nexu, partim in rerum et sententiarum comprehensione conspicuam, vix aut ne vix quidem perveniunt. — Contra ea novi alios Professores, qui se discendi studium erectum retenturos opinarentur, si ipsis discipulis scriptorum loca interpretanda proponerent. Verum hi subinde de rebus minoris momenti interrogabant, et alia difficiliora atque minus protrita plane non attingebant. Sic v. c. professoris cuiusdam Academici scholis interfui, qui sibi persuasisse videbatur, auditores in scholas suas ne Declinationum quidem et Coniugationum Graecarum cognitionem afferre. Aristophanis Plutum *in-*

terpretaturus integram horam occupatus erat in explicandis duobus his versibus:

Ὡς ἀργάλεον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ,
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Auditores defatigabat interrogando. Illae in scholis inferioribus decantatae partes orationis sexcenties repetendae erant. Singulae Declinationes et Coniugationes memoriter recitabantur, et ad paradigmata in Rudimentis obvia revocabantur. Hoc penso peracto, ipse Professor ad dictata sua praelegenda progrediebatur. Primum dictabat *ἀργάλεον* esse adiectivum neutrius generis, quod cum sequente substantivo *πρᾶγμ'* coniungendum sit: de vocis vero origine nihil dicebat. Tum sedulo monebat, et exemplis bene multis affirmabat, *πρᾶγμ'* positum esse pro integro *πρᾶγμα* ob sequentem vocalem verbi *ἐστὶν*: sed ne hilum quidem de elegante usu substantivorum *χρῆμα* et *πρᾶγμα*, atque Latinorum *res*, *negotium*.*) Porro de significatione

*) Eleganter haec vocabula, ut apud Latinos *res*, *negotium*, usurpantur de *hominibus*. Sic legimus ap. Stob. Serm. p. 323, *ἄνθρωπος ἐπὶ γᾶς ἀπῳκισμένον χρῆμα*, *homo exsulans in terrâ negotium*. Exempla in scriptis Graecorum utrâque paginâ obvia sunt. Inspiciantur Gronov. Obs. IV, 15, p. 250; Vigerus de Idiot. p. m. 161; Periz. ad Ael. Var. Hist. I, 2 — Et apud Ciceronem invenimus, (ad Att. I. 12.) *Teucris illa lentum sane negotium.* (post Red. in Sen. c. 6.) *Caesonius Calventius inhumanum negotium.* (ad Q. Fr. II, Ep. 13.) *Callisthenes vulgare negotium.* Vid. Interppr. ad Cic. Ep. ad Att. I. 12, et Ernestus in Cl. Cic. v. *Negotium* — Horrearius, ut sexcenta alia, sic hoc quoque ignorans, in puerilem errorem incidit. Scripserat Sodalis Terpsion (in Ep. Sod. Socr. I. ab init.), *Sed nae is* (sc. Philomathes) *lentum est negotium cum suâ Philomathiâ.* Hoc legens, nec intelligens, contendit bonus homo, me ignorare *negotium* esse nomen neutrius generis, et in suâ *Strenâ* p. 117. pro *is* iubet legi *id.* Nonne hoc est sapere! Velim quis, receptâ hac emendatione, mihi dicat, quem sensum illa verba habeant: *nae* id *lentum est negotium cum* suâ *Philomathiâ.* Sed nolo plura addere, quia febricitantis maledicta in malam partem non accipiam, et potius in haec veteris cuiusdam scriptoris verba acquiescam: ὁ *μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει.*

praepositionis παρὰ in compositis, veluti ἀκούω, παρακούω; λογίζομαι, παραλογίζομαι; φρονέω, παραφρονέω et multis aliis nulla mentio fiebat: satis iam habebat animadvertisse παραφρονοῦντος esse genitivum masculini generis, participii praesentis activi, a verbo παραφρονέω *desipio*. Denique de Comoediâ eiusque vicissitudinibus et incrementis apud Athenienses, de ipso Aristophane, de fabulae argumento, de duplici eius quondam editione, de didascaliâ et his similibus rebus nihil discipulis impertiebatur. At vero quis non videt, eiusmodi Professoris Callipedae*) disciplinam ad prima linguae graecae elementa discenda quidem accommodatam esse, sed lectionibus Academicis non satis convenire? Estque omnino illorum magistrorum numerus multo minor, quam quis vulgo credat, quorum opera et studium eo pertineant, ut tirones pariter atque veterani scriptorem, quem legunt, intelligere discant, ut verae pulchritudinis sensu imbuantur, ut rectâ interpretationis ratione ad alios scriptores intelligendos idonei fiant. Neque exigui usus et artificii res est, in docendo ita versari, ut in magnâ illâ ingeniorum et progressuum diversitate horum tarditati pariter atque illorum docilitati subvenias, nec alios nimis retardes, nec alios nimis praecurras. Modo paucis tam felicibus esse contingit, idque potissimum his, qui ex praecepto Horatii**) *misceant utile dulci.*

DEM. Lubens tibi assentior. Video Isocratem***) iam dixisse, se Theopompo propter ingenii vehementiam adhibere frenos, at Ephoro ob tarditatem calcaria.

CR. Accedit porro huc quasi cumuli instar alia etiam caussa, quae in nonnullorum Professorum vi-

*) Cf. Gesner. Isag. T. I. p. 75, et Ern. Op. Orat. p. 91.

**) Hor. A. P. 343. *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

***) Cic. de Or. III. 9.

vendi consuetudine quaerenda est. Sunt nimirum professores docendi caeteroquin solertiâ insignes, qui post scholas habitas sibi solis vivere malint, quam extra illas habendis confabulationibus domi suae cum discipulis aliquantulum temporis impendere. Omne illud tempus sibi perire putantes, discipulis aditum ad se difficilem reddunt, illosque, nisi penitus excludant, certe raro ad se venire sinunt. Sic memini, iuvenem aliquando mecum queri de Professore quodam, a quo tam insigni contumaciâ*), quum ipsum consulendi gratiâ convenisset, exceptus sit, ut se non malam modo gratiam apud magistrum iniisse senserit, sed dolore etiam concitatus et tristis domum redierit. Quod quale fuerit, quoniam ad rem nostram facit, quantum possum, Vobis ipsis eius verbis enarrabo. „*Quum aliquamdiu*, inquit, *lectionibus exquisitae doctrinae Professoris interfuissem, et in loco quodam dubius haererem, nec commilitones a me interrogati nodum mihi solvere possent; cepi consilium adeundi Professorem, nullus dubitans, quin ab eius sermone doctior recessurus essem. Peto Professoris aedes. Quaero ex puero, an herus domi sit. Respondet, se id visurum. Paululum ad ianuam moratus in proximum conclave deducor. Mox adest Professor. Saluto ipsum debitá reverentiá. Quis sim, et quá de caussá venerim, breviter expono. Ille simulatque salutationis caussam cognoverat, veluti mutato et ad severitatem composito vultu:* „*Soleo,*“ inquit, *in scholis meis omnia tam perspicue explicare, ut non videam, quomodo alicui vel minimus scrupulus re-*

*) *Vox* contumacia *male hic posita est: scribe*, duritie, *vel* superbia. *Nam* contumacia *est inferioris erga superiorem. Cf. Lexica, et Intrpp. ad Nep. Cim. c.* 2.

stare queat, modo cogitate dictata mea repetat et meditetur. Ab initio muneris mei omnis institutio mea eo spectavit, ut verba mea omnino nullâ amplius explicatione egerent. Quodsi enim hoc non fecissem, iamdudum male sedulorum consultorum turbâ obrutus iacuissem. Iamdudum mihi idem accidisset, quod de Cumaeis nuper vobis dixi; qui verebantur, ne urbs plena foret mendicorum, si omnes Ὁμήρους *in civitatem reciperent. Quin imo, si vel maxime tibi, quem nec indiligentem discipulum arbitror, nec unum ex istâ vulgari salutantium catervâ esse audio, id gratificari velim, ut locum illum a Te non intellectum Tecum repetam, tamen hoc ipso tempore id facere non possim. Habeo intus amicos quosdam, quibuscum alia maioris momenti nunc mihi agenda sunt. Tu modo relegas aliquoties, quae dictavi, nec ullus dubitem, quin luce clariora tibi mox futura sint, quae nunc obscura tibi videntur. Iterata repetitio quavis consultatione melior est. Sed num quid vis aliud?" Recte,* inquam: *abii: nec hominem iterum consului."* — Haec ille iuvenis.

MEN. Hic fuit unus e raro isto, opinor, Professorum genere, qualem ego quidem nullum in Academiâ expertus sum, etsi tales esse negare non ausim.

CR. Nec mihi tale quid accidit. Ab aliis mihi relata modo retuli. Equidem enim grato adhuc animo illorum dierum recordor, quos apud magistros meos in ipsorum Museis non sine maximo utilitatis fructu contrivi. Probe adhuc scio, me interdum tali occasione plus intra unius horae spatium didicisse, quam per tres dies integros in ipsorum scholis publicis. Quotiescunque enim, remotis interpellatoribus, solus apud magistrum eram, non nisi ignota mihi interro-

gando expiscari solebam, nec unquam, nisi doctior, domum redii.

DEM. Utinam sane tam exiguus esset numerus discipulorum in Academiis suas partes male agentium, quam eiusmodi magistrorum est, qui discipulis defuisse merito argui queant!

MEN. Age itaque, Crito, quoniam de Graecis Latinisque Literis nobis sermo inprimis est, enarra nobis, nisi omnes, saltem aliquot caussas, cur tam pauci iuvenes accuratâ harum Literarum scientiâ imbuti ex Academiis prodeant. Hanc enim calamitatem ipsius iuventutis perversitati potissimum tribuendam esse dixisti.

CR. Est, ut ais, Menedeme! ipsos iuvenes huius culpae maxime reos feci.

DEM. Hoc sane non sine caussâ fecisti. Noli itaque rogationi nostrae non satisfacere, si quidem hoc mihi et Menedemo gratum, sed Phaedriae inprimis utile et salutiferum erit.

CR. Ex ingenti illâ iuvenum multitudine, qui ad scholas Academicas frequentes conveniunt, vix decimum quemque Graecis Latinisque Literis praecipuam operam navare prae me fero. Rationes, cur hoc ita sit, adeo multiplices, et pro ingeniorum diversitate adeo diversae sunt, ut quis, si in fronte uniuscuiusque civis Academici inscriptum esset, cur has Literas parum curaret, Gruteriano etiam spissius Corpus Inscriptionum colligere posset. Quâ de caussâ, ne vox et latera me prius deficerent, quam querendi materia; satis sit modo praecipuas quasdam enumerasse.

MEN. Praecipuarum, ut ais, enumeratio iam sufficiet. Quare pergas, et fac, ut lubet.

CR. Nonnulli adolescentes plumâ leviores studii constantiam adhibere nolunt. Horum qualiscunque sedulitas eo unice spectat, ut aliquo externo duntaxat splendore nitescant, et proletariam, ut ita loquar, doctrinam sibi comparent, quam apud imperitam multitudinem in circulis et conventiunculis ostentent. Hi levis armaturae milites, ut alias doctrinas, ita etiam Graecas Latinasque Literas obiter, et quasi aliud agendo, tractant, canibusque e Nilo lambentibus haud dissimiles sunt. Alii non satis magnifice de his Literis cogitant. Latet ipsos, has Literas cum reliquis doctrinis ita nexas et copulatas esse, ut nemo in aliquâ doctrinâ sine harum Literarum scientiâ magnopere excellere liqueat. Putant, sese, modo paululum ultra primas Literas progressi sint, reliqua tamquam *πάρεργον* brevi tempore discere posse. Ignorant, idem de Graecis et Latinis Literis valere, quod ille medicorum quondam princeps, Hippocrates*), de arte medicâ dixit: *Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ,* vita brevis, ars vero longa. Atque idcirco etiam raro, aut numquam potius, ad exoptandae doctrinae fastigium perveniunt. Rursus alii, puerili multorum errore decepti, opinantur, se gravissimas quasque doctrinas penitus percipere posse vel e *Systematibus,* uti dicuntur, et *Compendiis Lexicisque rerum,* vel e magistrorum *Dictatis.* His igitur unice adhaerent, intra horum cancellos subsistunt, his utcunque perceptis, nihil amplius sibi ad viri docti et eruditi nomen laudemque deesse putant. Rivulos tantum consectantur, nec ipsos fontes adeunt. Hanc viam tamquam compendiariam ingressi ad ipsa Musarum quasi penetralia neutiquam perveniunt, sed tantum circa templi valvas quasi vagi et titubante pede

*) T. I. p. 68. edit. I. A. van der Linden.

oberrant. — Reperiuntur porro, qui nimis multa simul tractant, et desultorio animo, dum in singulis non satis accurate versantur, continuo ad nova transeunt, licet prioribus non satis cognitis atque perspectis. Hos, ut vulgo dicitur, *Copia inopes facit.**) Neque etiam desunt, qui vanitate inflati, iusto superbius de se ipsis et eruditione suâ sentiant.**) Quamvis Lite-

*) Ovid. Met. III, 466. Sen. de Tranq. An. c. XII: *Sine proposito vagantur, quaerentes negotia: nec quae destinaverunt, agunt, sed in quae incurrerunt. Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis, per arbusta repentibus, quae in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. His plerique similem vitam agunt, quorum, nec immerito, quis inquietam inertiam dixerit.*

**) Hic locus silentio praetereundus non est. *Horrearius* nimirum quum legisset in alterâ Append. ad Ep. Sod. Socr. p. 352, *nihil impedit, quominus literatae iuventuti fallacem auctoritatem hominis vanâ eruditionis suae opinione nimis inflati ostendamus*, sese occasionem perquam opportunam nactum arbitratus est, quâ ostenderet, quantum et Latinitatis scientiâ, et iudicio critico valeret. Eâque de caussâ in *Strenâ* p. 81. scripsit: „Mahnius, *elegantis scilicet Vir ingenii! scribit* nimis inflati. *Pace vero tanti Viri, — meo periculo delevi istud* nimis, *putans*, modice *inflatum esse aliquâ cum laude neminem posse.*" — Ad haec primum simpliciter respondere possem, Horrearium ignorare vocem *nimis* sexcenties a Veteribus scriptoribus pro *valde* usurpari. Largam exemplorum segetem suppeditant Lexicographi, inprimis *Pareus* in Lex. Crit. v. *Nimis*. Sed hac defensione ne utar quidem. Quaero tantum, an nulli in vitiis gradus sint, nec quis aliquo vitio, v. c. *arrogantiâ*, tam vehementer laborare possit, ut omnino ferendus non sit, etiamsi scias, te cum perfectis hominibus non vivere, ideoque humanae imbecillitati multum condones? Quod quum nemo sanus haud facile serio negaverit; non video, cur istiusmodi hominem *nimis arrogantem* vocare ineptum sit. Veteres certe longe aliter statuerunt. Nam si Horrearius in interpretandis antiquis scriptoribus hanc crisin suam adhibere vellet, quot locis istum *suo periculo* tollere oporteret vocabula *nimis, nimius, nimium?* Legens ap. Terent. in Adelph. I. I. 38, *nimium ineptus es*, statim ipsi vociferandum esset: *tolle illud* nimium! *nemo aliquâ cum laude vel modice ineptus esse potest.* Incidens in verba Ciceronis p. Cluent. c. 63, *Nicostratus, homo nimium loquax*, continuo adderet, *dele* meo periculo *illud* nimium, *utpote ineptum additamentum! Nemo enim ob loquacitatem aliquâ laude dignus habendus est.* Videns, scripsisse Plinium H. N. IX, 35. in fine: *Ne triumviratu*

rarum fere rudes, nescio quâ temeritate de rebus difficillimis, tamquam de facillimis et penitus sibi cognitis, confidenter pronuntiant, putantes, solam audaciam sufficere ad nominis famam et eruditionis opinionem de se in animis aliorum excitandam. Hac vanitate capti sibi plurima tribuunt, aliis maxima demunt, nec animadvertunt ad aureum illud et prudens Horatii dictum: *metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.* *) Porro passim exsistunt, qui Literas non propter se ament, sed eas pro instrumento panis lucrandi habeant. Istiusmodi autem homunciones, Literarum studium nimis exiliter ad calculos revocantes, ab hoc sermone omnino excludamus, utpote nimis ineptos ad magnos progressus in his Literis faciendos. — Denique etiam haud exiguus est numerus istorum, qui desidiâ laborantes vitam ignavam laboriosae, levissimam quamque delectationem gravissimae utilitati anteponere solent. E conspectu suorum remoti, et metu poenae liberati, oscitanter accipiunt, quae sibi traduntur. Scholis corpore, non animo et mente intersunt. Neque eo contenti, ut nihil ipsi discant, alios etiam quibusvis phaleratis verbis ad se alliciunt, et a virtutis tramite

---

suo nimis superbiat Antonius, velut ex tripode exclamandum ipsi esset, *apage istud* nimis! *deleatur hoc ineptum vocabulum! cui enim unquam superbia laudi fuit?* At plura addere pudet. Quid enim non audeat is *suo periculo* delere, qui audaciam pro virtute habet?

*) Hor. Ep. I. VII, 98. Operae pretium est legere *Plinium*, lugentem *Iunii Aviti* obitum L. VIII. Ep. 23; ubi inter alia scribit: *Ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quasi magistro uteretur. Rarum hoc in adolescentibus nostris. Nam quotusquisque vel aetati alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. Sed non Avitus: cuius haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur; haec praecipua eruditio, quod discere volebat.*

atque discendi studio repellere conantur. Est enim vulgo duplex civium Academicorum genus. Sunt liberali adolescentes ingenio, qui in lectionibus publicis talium rerum scientiam sibi colligant, quibus, transacto studiorum in Academiis cursu, laudem et nominis perennitatem sibi quaerant. Sunt vero etiam illiberalis ingenii homunciones, qui nihil aliud agunt, nisi ut parentum et cognatorum spem frustrentur, atque commissationibus et compotationibus corporis animique vires, scientes et volentes, perdant. Istiusmodi deperditis *nullum praemium iucundius quam libidinis fructus, nullum supplicium gravius, cupiditatis frustratione* *) esse solet. Isti ardeliones temporis fallendi caussâ plerumque tirones alliciunt, assectantur, et variis artibus in familiaritatem suam attrahere student. Quinetiam dictu incredibile est, quantâ cautione opus sit melioris notae adolescentulis, ut ne istiusmodi vomicarum et carcinomatum contagione corumpantur. Verum, ne Heraclito ploratori similis esse videar, aut, ut ita dicam, Ieremiae hypopheta evadam, sexcenta alia, nec iis, quae dixi, minus gravia, alto silentio praeteribo.

DEM. Iam satis multa dixisti, ut intelligamus, nihil magis e re Literariâ esse, quam ut illo morbo quanto ocyus resistatur, ne nimis late serpat, et remedio nullus locus amplius supersit.

MEN. At hoc illud ipsum est, quod me vereri modo dixi. Nam ut corpora **) lente succrescunt, et saepe adeo celeriter exstinguuntur, ut medicus, quamvis solers, arte suâ subinde deficiatur; sic quoque Literarum studium facilius oppresseris, quam provexeris.

---

*) Colum. de R. R. XI. I, §. 14.

**) Tac. v. Agric. c. 3.

CR. Haud absurdum est, Menedeme, quod dicis. Attamen res nondum eo devenisse mihi videtur, ut de pristino Literarum flore restituendo nobis omnino desperandum sit, modo rectam rationem sequamur.

MEN. Perge igitur, quo coepisti, pede: fac, mihi reapse constet, etsi de eo non sit quod dubitare velim, te non modo idoneum esse ad morborum caussas indagandas, verum etiam ad ipsos sanandos.

CR. At putabam, me iam munus meum explevisse, et Demeam reliquas dicendi partes suscepturum esse.

DEM. Qui potes putare, te iam explevisse, ut ais, tuum munus, qui modo inchoasse nobis videris? Multa supersunt, quae ex te audire avemus. Quorum tamen multitudine recensendâ ne te absterream; nunc nihil aliud a te petam, nisi ut nobis praecipua remedia indices, quae tibi adhibenda videantur.

CR. Quoniam non video, quomodo illatam mihi vim repellam, voluntati vestrae satisfacere conabor, et, quid ad Literarum Latinarum studium excitandum pertinere arbitrer, vobis commemorabo. Ex illis enim facile apparebit, quid de Graecis Literis statuendum existimem.

MEN. Sequere consilium tuum, et fac ut lubet.

CR. Vestrâ sponte intelligitis, viri optimi, bonas artes et doctrinas per se in lucem prodire, aut vim atque efficaciam suam ostendere non posse. Ut hoc eveniat, ante omnia requiruntur munifici *Maecenates*, boni *Magistri*, praeclarae indolis *Discipuli*.

DEM. Recte, Crito! Quem enim fugiat illud: *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* *)

*) Martial. VIII. 56.

MEN. Quod ad magistros et discipulos pertinet, memini de his alicubi dicere Quintilianum *): „*Ut praeceptorum officium est docere, sic discipulorum praebere se dociles: alioquin neutrum sine altero sufficiet.*"

CR. Ex hoc autem triplici fonte omnis Literarum salus petenda est. Hinc infinita illa commoda, a Graecorum et Latinorum scriptis redundantia, manant. Verumtamen singuli, tam Maecenates, quam doctores et discipuli sua sibi officia proposita habent. Maecenatum esse censeo, cavere, ne res literaria quidquam detrimenti capiat. Magistrorum munus in eo potissimum mihi positum videtur, ut diligenter et accurate doceant. A discipulis denique postulandum arbitror, ut strenue et laudabiliter discant, et, quae sibi tradantur, memoriae firmiter mandent, nec effluere sinant.**)

DEM. Igitur oro te, Crito, ut haec, quae quasi puncta posuisti, quodammodo dilates; ne alioquin Menedemus in te transferat illud:

brevis esse laboro,
*Obscurus fio.****)

MEN. Aut alterum illud ex eodem poëtâ etiam addat: *Amphora coepit institui.*†)

CR. Ne hanc igitur molestiam tibi exhibeam, de singulis aliquanto copiosius agam. Cavent Maecenates, ne res literaria quidquam detrimenti capiat, si curant, ut ne scholarum publicarum numerus imminuatur, nec

*) II. 9. in fine.

**) Scripsit alicubi *Muretus.* „Licet enim discipulo optima et saluberrima quaeque tradantur, at hic tradita nec avide hauriat, nec firmiter memoriâ contineat, fere perinde est, ac si ipsi nihil tradatur."

***) A. P. 25.

†) A. P. 21.

parentibus liberorum erudiendorum occasio desit. Multis enim nec libet, nec licet filios suos exteris magistris erudiendos tradere. Alii malunt liberos suos circum se et domi suae habere: alii tantas impensas in liberorum educandorum et instituendorum disciplinam facere nequeunt, quantae ad illos extra patriam urbem mittendos vulgo requiruntur.

MEN. Praeterea videndum sit, an ex nimiâ scholarum imminutione non aliud insuper incommodum mox oriatur.

CR. Quodnam tandem illud?

MEN. Futura magistrorum paucitas et inopia. Quodsi enim scholarum numerus nimis imminuitur, ubi mox invenies, qui ex instituto et eo unice consilio Graecas Latinasque literas discere velint, ut eas ipsi aliquando docere possint? Difficultas adipiscendae stationis omnino deterrebit studiosos iuvenes a discendis illis Literis, quarum studium ipsos postea esurire sinat.

CR. Fortasse hoc verum sit: sed quid alii de eo sentiant, nescio; nec, quid ipse statuam, dicere nunc attinet. Progrediar otius ad reliqua Maecenatum officia. Hi igitur secundo loco curare debent, ne scholarum constitutarum rationes negligantur. Hinc ipsorum est videre, ne indocti, sed promtâ et accuratâ doctrinâ*) instructi ad docendi provinciam et magisteria provehantur. Quod ut feliciter procedat, eos lauto honorario ornare**) debent: idque non unâ, sed pluribus de caussis. Primum, ut sibi magistri librorum supellectilem comparare queant (quoniam non omnes scholae bibliothecas publicas habent): tum ut tempus

*) Habemus egregiam Orationem I. A. Ernesti *De doctrinae accuratae et promtae laudibus*, quae exstat in ipsius Opusc. Orat. p. 86.

**) Cf. Gesn. Isag. T. II. p. 519.

a docendi munere vacuum ad doctrinae suae copiam, bonis libris legendis augendam, impendere possint, nec ipsos sollicitudo rei familiaris a lucubrationibus retineat, et alia negotia simul tractare cogat, quibus se suosque honeste alant.

MEN. His verbis tuis, nescio quomodo, in memoriam mihi revocantur illa Venusini poëtae: *)

an, haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?

Nam quod Horatius hic de poëtis dicit, idem profecto de omnibus bonarum artium et doctrinarum magistris valet. Numquam, ut hoc exemplo utar, Romae eloquentia temporibus Ciceronis ad tantum perfectionis fastigium pervenisset, nisi ipsi maxima praemia vel ad gratiam**), vel ad opes, vel ad dignitatem, proposita fuissent.

CR. Neque tantum magistrorum sorti prospiciendum, verum etiam iuventutis studiosae commodis inserviendum est. Atque hinc prudenter a maioribus Maecenatum curae mandatum est, et vulgo etiamnum mandatur, ut ipsorum auctoritate scholasticae iuventutis examen***) quotannis lustretur, et optimis qui-

*) Hor. A. P. 330.

**) Lege Cic. de Or. I. c. 4.

***) Horrearius a nonnemine, quem *nobilissimum Amisfurtanum* vocat, sed verius *obscurissimum Haganum* appellasset, nactus unum e paucis istis exemplaribus programmatis, ante hos duodecim fere annos a me editi, in quo vitium typographicum *quosque* remanserat, quod ego tamen in plurimis, antequam distribuerentur, in *queisque* mutaveram, quemadmodum in architypo legebatur: nactus igitur tale programma, mirum in modum sibi plausit, putans, se nunc facile viris doctis et aequis pariter atque *erudito vulgo* suo persuasurum esse, me ignorare scribendum fuisse, *quibus De meliore luto finxit praecordia Titan.* Sed in eo male sedulum hominem opinio fefellit. Iam dudum antea, quam ipse *Strenam* suam edidit, ex Epicrisi mea

busque et indefesso discendi studio conspicuis praemia dentur, quibus ad maiorem etiam studii alacritatem stimulentur. Quod sane haud parum confert ad alendum discendi ardorem. Sed haec cura plerumque tantum in Gymnasiis, aut aliis scholis inferioribus, quibuscunque tandem nominibus insignitis, adhiberi solet; quum illa tamen ad Academi s quoque transferenda videatur. Dici vix potest, quantum boni hoc Graecarum et Latinarum studio allaturum esset, si sub finem

p. 10. harum rerum idonei indices intellexerunt, mé probe scire, quid Iuvenalis scripserit, nec Horrearii admonitione egere. Attamen, hac stutitiâ non contentus, statim aliam subiecit. Scurram nimirum agens, et ἐπιχαιρεκακίᾳ correptus, exclamat p. 17: „*Nunquam adducar, ut credam* Mahnium *scripsisse, In patriae spem succrescens scholasticae iuventutis examen!* Cur ita statuerit, non addit. Solam auctoritatem suam in damnandis aut probandis loquendi formulis sufficere putat, nec opus esse, ut rationes afferat. Relinquit hanc provinciam collegae sycophantae, Recensentium Recenseuti. Quid vero iste dixit? Operae pretium est animadvertere, quantam eruditionem ille sine exemplo severus iudex in provinciae suae administratione adhibuerit. Legimus scilicet P. VIII. N. VI. p. 270: „*Gymnasii Amisfurtani cives vocantur* scholasticae iuventutis examen, *quasi ipsorum numerus tam ingens sit, ut cum novâ apum sobole comparari queat. Illo enim solo sensu veteres, et quidem poëtae, metaphorice uti solent voce* Examen, *veluti de novo exercitu.* Vid. Horat. I. Od. 35, 31. *ibique Lamb.* et *Torrent.*" Nonne haec mera est calumnia? Primum enim Recensentium praesul aut ignorantiâ veri ita scripsit, aut ex industriâ lectores credulos decipere studuit. Etenim non modo poëtae, verum etiam prosae orationis scriptores hac voce translate ūsi sunt. Exempla e *Cicerone*, *Livio*, utroque *Plinio*, *Minucio Felice* et *Arnobio* desumta in Lexicis occurrunt. Deinde veteres Latini vocabula aut rerum copiam, aut hominum congregationem significantia, qualia sunt *acervus*, *cumulus*, *thesaurus*, *agmen*, *cohors*, *corona*, *examen*, *exercitus*, *grex* et alia, sermonis buadam popularitate de qualibet multitudine usurparunt, nullâ oaeterum aut certae quantitatis, aut definiti numeri ratione havitâ. Videantur modo Lexicographi, e quibus id unicuique satis bpparebit. Et quum hoc ita sit, equidem lubens profiteor, me non videre, cur *quadraginta* discipulos, quot fere illo tempore Amisfurti literis operam navabant, *scholasticae iuwentutis examen* in programmate vocare adeo ineptum et ridiculum sit, ut ita scribenti iure occentes, *Phui! Phui!*

lectionum Academicarum in studiosorum factos in Literis humanioribus progressus diligenter inquireretur, ipsis quaestiones, ad quas scripto responderent, publice proponerentur, et citati victores praemiis ornarentur.

DEM. Quinetiam, si penes me*) esset, nemo doctrinarum studiosus adolescens ad scholas Theologicas, Medicas, Ictorum, aut Philosophorum admitteretur, nisi prius edito specimine ostenderet, quales in Graecis Latinisque Literis progressus fecerit. Sine harum enim cognitione reliquarum doctrinarum studium mancum et imperfectum manet. Neque eo contentus, praeterea constituerem, oportere unumquemque, priusquam Academicorum honorum particeps fieri posset, non modo Dissertationem Latine scriptam edidisse, verum illam quoque ad publicam disceptationem virorum eruditorum panegyri proposuisse.

MEN. Sic fortasse quidem, Demea, vel invitos iuvenes ad harum Literarum maiorem culturam aliquâ ex parte cogeres: sed an propterea in ipsorum animis Graeci Latinique sermonis amorem excitaturus esses, equidem haud facile dixerim.

DEM. Nec ego. At loquor de Maecenatibus, non de magistris. Horum enim hoc potius, quam illorum, esse opinor.

CR. Recte et prudenter omnino iudicas.

MEN. Recte et prudenter? Explica igitur de hoc quoque loco nobis tuam sententiam.

CR. Hoc dictu, quam factu facilius est. Mallem hoc ex alio audire, quam ipse de eo verba facere. Est enim non modo officium, quod mihi imponis, perquam difficile et arduum, sed eiusmodi omnino, ut

*) *Quoniam nomen, aut verbum, a Veteribus semper addi video, legatur,* si penes me esset haec potestas.

iam probe sentiam, me nec vobis, nec mihi ipsi satisfacturum esse. Etsi enim multa dixero, tamen plura etiam dicenda praetermittam. Porro nostis, opinor, quae de hoc argumento scripsit Eurypotamus*) noster, vir in paucis acutissimus et saeculi nostri Cicero: *„Adsideat discipulo magister, ut Literarum in eo amorem excitet; adhibeat hortationem, praecepta, exempla, praemiorum spem, machinam omnem; sedet aeternumque sedebit infelix magister, nec movebitur discipulus, nisi fortunae aura adspiret.“*

DEM. Iam igitur tibi in hoc negotio et in hac caussâ tractandâ boni Numinis aura quoque adspiret! Fac modo periculum, nec crede, nos eos esse, qui nihil ex te audire velimus, nisi quod ingenio perfectum, aut suis numeris absolutum sit. Non adeo humanitatis expertes sumus, ut omnia ad vivum resecanda putemus.

CR. Nolite, quaeso, de humanitate vestrâ loqui. Hodie enim me adeo urgetis, adeoque imperiosi estis, ut in imis medullis illa Iuvenalis**), *Hoc volo, sic iubeo*, vobis infixa haerere putem. Verum, quoniam, ut in proverbio dicitur, *Hodie mihi, cras tibi*; imperium vestrum patienter feram, ***)

nec vos carmine ficto,
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

E veterum vulgari dicto disciplinarum radices amarae, at fructus dulces esse praedicantur.

DEM. Neque quisquam hoc negabit, opinor, modo aliquem harum rerum usum habeat, et scholis interfuerit.

---

*) Wyttenb. in Vita Ruhnk. p. 7.
**) Iuv. Sat. VI. 223.
***) Virg. G. II. 46.

CR. Ideo magistris prima Literarum elementa docentibus omni studio in id incumbendum est, ut ne discipuli ob hanc amaritudinem iam antea respuant Literas, quam illarum fructus quodammodo degustare coeperint.

MEN. Ita sane est. Iam Isocrates, ni fallor, hoc dixit. Equidem certe adhuc e disciplinâ puerili recordor illud distichon Mureti:*)

Principio studii radix inamoena videtur,
Sed profert dulces parvo post tempore fructus.

CR. Primo igitur loco Grammatistae tironum amorem sibi concilient, omnique ratione evitent, ut metuantur magis, quam amentur, secundum illud:**)

Ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Reverentia in scholis adsit, metus procul absit. Quem magistrum discipuli amant, cum illo libenter versantur et vivunt, ab illo haud inviti se doceri sinunt.***) Contra qui pueris terriculo sunt, ab istis non nisi cum taedio discunt, istos quovis modo evitare student. Mox, conciliato sibi discipulorum suorum amore, magister operam det, ut sibi apud ipsos fides sit. Quoniam enim pueruli initio ignorant, *Cui bono* discant, debent magistri ipsos auctoritate et fide suâ

*) Mureti Op. T. I. p. 811.

**) Hor. Serm. I. I. 25.

***) Quint. I. O. II, 2: *Sumat magister ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemtus oriatur. Plurimus ei de honesto et bono sit sermo. Nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator. — In emendando, quae corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus: nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant, quasi oderint.*

eo adducere, ut ipsis persuasum sit, se discendis Literarum rudimentis fundamenta iacere, quibus postea, ut ita dicam, aedificium superinstruere possint, e quo, tamquam ex speculâ in eruditam civitatem prospiciant, et omnes eius regiones, quas velint, mentis quasi oculis perlustrent.

DEM. Optandum sane, et Literarum humanitati salutiferum foret, si omnes praeceptores hoc prudenti consilio uterentur, nec tyrannorum instar*) subinde saevirent in tironum terga! Sed tu, quaeso, pergas, et reliqua persequare.

CR. Exhaustâ deinde illâ amaritudinis parte, quae in discendis Declinationibus et Coniugationibus, faciendâ verborum analysi, memoriae mandandis Syntaxeos regulis praecipuis, et orationis constructione recte instituendâ potissimum posita est: superatis, inquam, hisce difficultatibus, pergat magister discipulos suos praeceptis, exemplis, adhortationibus, praemiolis**) et aliis modis incitare, et mutuâ inter ipsos aemulatione discendi studium alere, ne in cursu deficiant, sed in dies magis magisque propositae sibi metae appropinquare cupiant.

MEN. Omnino honesta aemulatio ingenia alit: et omnis labor, qui aliquâ mercede compensatur, minus gravis est. Atque hinc Quintilianus,***) idoneus sane et locuples auctor, ait: „*Mihi ille detur puer, quem*

---

*) Sen. de Clem. I, 16: *Uter praeceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus haeserit, an qui monitionibus et verecundiâ emendare ac docere malit?*

**) *Quemadmodum veteres dixerunt* gladiolus, praediolum, simiolus, *sic etiam dicere potuissent* praemiolum. *Verum quum id non fecerint, aut certe illud vocabulum in Lexicis non reperiatur, eius loco lege* munusculis, *ne forte novorum verborum architectus saluter.*

***) Quint. I. O. I. 3. §. 7.

laus excitet, quem gloria iuvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit: in hoc desidiam numquam verebor."

CR. Praeterea diligentissime animadvertat magister, quo quisque discipulus naturâ suâ maxime ferri videatur. Quemadmodum enim *non omnis fert omnia tellus*, et diligens agricola ad soli et aëris naturam in agro suo colendo sese accommodat; sic etiam prudenti magistro institutionis suae disciplina, quoad eius fieri potest, ad cuiusque naturam referenda est.

MEN. Idem sane praeceptum nobis dat Quintilianus, quem *meum* vocare soleo.

DEM. Licet sane tibi illum vocare *tuum*. Adeo enim in promtu tibi sunt eius verba, ut eum edidisse videaris. Sed quodnam illud praeceptum est?

MEN. „*Tradito sibi puero*, inquit, *docendi peritus ingenium eius imprimis naturamque perspiciat. — Prospiciat deinceps, haec quum animadverterit, quonam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit.*" *)

CR. Deinde porro, ubi magistro tam felici esse contigit, ut dociles discipulos nactus sit, qui eo gradu sint, ut Latinae orationis vernacule vertendae probabili facultate polleant, et materiam sibi propositam e patrio sermone in Latinum convertere queant, ita ut in vulgares praeceptiones Grammaticas non amplius impingant; eo non contentus esse, sed cum interpretatione

*) Quint. I. O. I. 3.

istâ vulgari aliarum doctrinarum cognitionem, et tam scribendi quam loquendi usum coniungere debet.

DEM. At hoc iam illud ipsum est, quod velim, ut in gratiam Phaedriae aliquanto verbosius exponas.

CR. Quidni hoc in ipsius gratiam faciam? praesertim quum hoc vobis gratum fore videam,*)

„*Si modo culturae patientem commodet aurem.*"

MEN. Dic, mi Phaedria, placetne hoc tibi?

PH. Quidni placeat, Pater? Non modo lubens Critoni patientem aurem praebebo, sed plus etiam faciam. Si quid forte e me scire velit, ad ipsius interrogationes, ut potero, respondebo.

CR. Recte loqueris. Qui igitur hucusque *ἀκουστικός* fuisti, depositis audiendi partibus, iam colloquentis personam agas. Quare dic, sodes, quosnam scriptores apud magistrum tuum interpretatus es?

PH. Nepotem, Ciceronis Orationes aliquot, et duos Dialogos, alterum de Senectute, alterum de Amicitiâ. Porro Ovidii Tristia, magnam partem e Metamorphosibus, Terentium et Selectas Historias e Scriptoribus Profanis.

CR. Liber, quem ultimo loco nominasti, disciplinae Scholasticae non admodum accommodatus mihi videtur. Continet quidem magnam rerum scitu dignissimarum copiam, sed ex aureae et argenteae aetatis, e ligatae pariter atque solutae orationis scriptoribus, non satis acerbo dilectu habito, loca in eo promiscue posita sunt. Praeterea in illo libro reperiuntur multae, uti vocantur, Versiones Scriptorum Graecorum, quae ad verae Latinitatis leges minime factae sunt. At reliqui auctores dignissimi sunt, qui iuvenum manibus

*) Hor. I. Ep. I. 40.

terantur. — Caeterum vero velim mihi dicas, quà ratione in illis Scriptoribus interpretandis versatus sis.

PH. Quotidie pensum a magistro mihi dari solitum e Latino in patrium sermonem converti, et magistro praelegi.*) Qui, quoties me errasse animadverteret, statim errores meos corrigebat. Hoc peracto, ego singula Scriptorum capita sic versa et correcta in singulares unicuique auctori destinatos libellos continuo nitide descripsi, et eadem sequente die iterum, sed memoriter, recitavi.

CR. Num quid praeterea fecisti?

PH. Horis pomeridianis thema, quod mihi magister e libro quodam dictabat, e vernaculâ linguâ in Latinam converti, idque item, vitiis correctis, singulari libro inscripsi.

CR. Video magistrum tuum vulgarem et in scholis publicis maxime usitatam docendi rationem secutum esse.

PH. Et studio meo contentus fuit, nec plura desideravit.

CR. Credo. Sed propterea tamen nondum mihi constat, an scriptores, quos isto modo te interpretatum esse dicis, ita cognitos atque perspectos habeas, ut ad accuratam ipsorum intelligentiam pervenisse dici queas.

PH. Hoc fortasse verum sit: sed quid tibi velis, non satis intelligo.

CR. Quid velim, mox audies. Nunc modo ex te scire cupio, an magister tuus in explicandis illis scriptoribus etiam alias doctrinas in auxilium vocaverit.

PH. Quasnam tandem illas?

---

*) *Video* praelegere *potius de magistris usurpari, atque idcirco huius loci sententiae magis convenire aut simplex* legi, *aut* recitavi. —

CR. Historiam, Geographiam, Chronologiam, Mythologiam, Antiquitates, alias.

PH. Has me non docuit: nam, si docuisset, meminissem.

CR. Apud Nepotem igitur legisti, Miltiadem a Lemniis postulasse, ut urbem sibi traderent, hosque respondisse, *tum id se facturos, quum ille, domo navibus proficiscens, vento Aquilone venisset Lemnum.*

PH. Quidni legerim? exstat initio Vitae.

CR. At vero, utpote qui Geographiae rudis et ignarus es, nec unquam tabulas Geographicas inspexeris, nescis Lemnios hoc dicto derisisse Miltiadem, cumque ludibrio habuisse. — Porro in eodem scriptore relatum quidem vidisti, Persarum copias in campo Marathonio a Graecis devictas esse, sed ignoras non modo, ubi ille hac nobili victoriâ insignis campus situs fuerit, verum etiam te latet, quot abhinc saeculis illud contigerit.

PH. Ita omnino est, sed magis verborum, quam talium rerum rationem habui. Oportebat enim me, quod probe adhuc memini, singulorum vocabulorum accuratam analysin facere.

CR. Laudabile sane magistri tui consilium fuit: et mox videbimus, quantopere in illâ arte profeceris.

PH. Pergas itaque, si placet.

CR. Legisti, ut ais, Ciceronis dialogum de Senectute. Iam igitur dic mihi, quosnam in illo dialogo colloquentes fecit Cicero?

PH. Catonem maiorem, Scipionem et Laelium.

CR. Nostine illos? Scisne, quis ille Cato fuerit, quandonam vixerit, et quare cognomen *maioris* habuerit? Potesne mihi dicere, quot in historiâ Romanâ prae caeteris celebrati fuerint Scipiones?

PH. Si possem, doctior essem. At ne fando quidem unquam aliquid de his rebus audivi.

CR. Verum fortasse tibi explicuit magister, quo tempore in illo dialogi loco versabaris, ubi Cato amicis vitae suae cursum exponit, quae vis et ratio fuerit magistratuum apud Romanos, veluti Quaestoris, Aedilis, Praetoris, et aliorum.

PH. Memini me aliquando ex eo audire, haec verba non satis commode unâ voce in vernaculam linguam converti posse, eâque de caussâ in versione potius retinenda esse.

CR. Docta, me hercle, animadversio! sed valde vereor, ut tu eâ doctior factus sis. An vero putas, parum interesse, utrum haec et his similia percepta habeas, nec ne?

PH. Imo arbitror harum doctrinarum scientiam multum conducere ad rectam et accuratam veterum scriptorum intelligentiam. Adeo planum et perspicuum hoc mihi nunc fit, ut non sit, quod de eo amplius dubitare possim. Utinam magister me saltem harum doctrinarum initia docuisset! Quod vero quum secus fuerit, maiorem in modum te oro rogoque, ut mihi magistri loco nunc esse velis, meque doceas, quâ ratione illarum rerum, quas nondum didici, scientiam mihi acquiram?

CR. Video te discendi studiosum esse, eâque de caussâ petitioni tuae satisfacere non recusabo. — Quemadmodum igitur, Phaedria, in reliquis artibus, quas discimus, plurimum interest, quomodo eas discamus; sic etiam haud perinde est, quâ ratione in Literarum Latinarum studio versemur. Si ad ipsarum accuratam cognitionem pervenire volumus, (quod nemo sanus non velle debet), inprimis certâ viâ et ratione eas discere debemus.

PH. Verum qui potest discipulus, omnis omnino viae rudis, scire, quae recta et vera illa via sit?

CR. Est magistri diligentis et docendi periti, hanc discipulis indicare. Quam primum hi eo pervenerunt, ut praecepta Grammatica in universum teneant, et illarum *octo*, uti vocantur, *orationis partium* structuras et regulas perceperint, debet ipsis ante omnia tradere, in quot veluti pensa Literae Latinae dividantur, ut in interpretandis scriptoribus ad singula discipuli iam mature advertere discant.

PH. Verum quaenam sunt illa? Equidem enim lubens profiteor, me ea prorsus ignorare.

CR. Scientia Literarum Latinarum, mi Phaedria, vulgo suis partibus constare censetur. Hac commode in *sex* genera, seu, ut dixi, pensa dividi possunt.

Primum constat *Grammaticâ ipsius linguae cognitione, et scriptoribus Latinis ad Grammatices praecepta interpretandis.*

Alterum cernitur *in Historiae, tam fabularis quam populorum, et rerum gestarum intelligentiâ.*

Tertium situm est *in Antiquitatum scientiâ.*

Quartum pertinet *ad Scriptorum Veterum notitiam literariam.*

Quintum versatur *in scriptione.*

Sextum *loquendi usum* sibi propositum habet.

PH. Dii boni! Quam late patet haec scientia! Vereor, ut ad eam pervenire possim!

CR. Noli diffidere ingenio tuo, Phaedria! modo illud quotidie excolas. Quemadmodum ager, qui negligitur, asper et spinis lolioque consitus manet; contra vero, qui manu diligentis agricolae colitur, frugum ubertate insignis humano generi utilitatem adfert: sic ingenium multiplici cum usurâ compensat studium,

quod ad se excolendum adhibuimus. Agri enim et ingenii humani eadem est natura, eadem est ratio.

„Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno." *)

Audi tu igitur potius, et firmiter memoriae manda, quae de singulis modo memoratis partibus, seu sectionibus, tibi impertiar, ut, illis cognitis, eodem studio, at meliori ratione, progredi possis.

PH. Morem tibi geram, et lubens consilio tuo obsequar.

CR. Etsi illae singulae modo memoratae partes, singulis tantum rebus opportunae videantur, tamen altera alterius auxilio adeo indiget, ut non nisi universae amice coniurent. Tres priores inprimis pertinent ad ipsa Veterum scripta recte intelligenda. Omnis quippe oratio rebus et verbis constat. **) Verba sedem habere nequeunt, si rem subtraxeris: neque res lumen, si verba summoveris. Quâ de caussâ primum boni interpretis est, in recte intelligendis singulis verbis et verborum comprehensione ac constructione primam curam ponere. Quo grammatica Latinae Linguae scientia pertinet. Alterum eius officium cernitur in Historiae et Antiquitatum cognitione. Quodsi enim in legendis poëtarum operibus versatur, praecipue animum advertere debet ad fabularum significationem et explicationem, quippe sub his, veluti sub totidem tegumentis, nonnumquam utilissima philosophiae praecepta involuta latent, nec sine illarum cognitione carminum pulchritudo et vera subtilitas percipi subinde

*) Virg. Georg. I, 134.
**) Cic. de Or. III, 5.

potest. Sin vero in lectione scriptorum prosae orationis occupatus est, illius magis esse arbitror, rerum in facto positarum rationem habere. Historia ipsum docet res scitu dignissimas olim inter homines gestas.

PH. Ita sane: memini enim magistrum mihi aliquando dicere, Historiam esse rerum inter homines gestarum enarrationem.

CR. Recte. Sed, mi Phaedria, non satis est scire, quid factum sit, verum etiam tenendum est, quo loco et tempore quid evenerit: atque idcirco duas quasi adiutrices doctrinas sibi habet Historia, quarum individuo comitatu utatur. Altera est *Geographia*, ut de locis, ubi quid gestum sit, certiores evadamus: altera *Chronologia*, ut, quibus temporibus aliquid usu venerit, sciamus. Praeterea ex *Antiquitatum* studio bonus interpres hunc fructum percipit, ut populi Romani imprimis mores, instituta et rerum publicarum pariter atque privatarum in rebus sacris et civilibus, domesticis et militaribus conspicuas vicissitudines perspicere discat.

PH. E quibusnam vero fontibus hauriet has doctrinarum partes discipulus illarum penitus ignarus.

CR. Res ipsa loquitur, prudentis praeceptoris officia in eo consistere, ut has partes expleat, et discipulos suos exemplis praeceptisque cum ad verborum, tum ad rerum intelligentiam ducat.

PH. Explica igitur, si placet, quae magistro in verborum interpretatione observanda tibi videantur, quo melius intelligam, quae a praeceptore meo in institutionis disciplinâ praetermissa sint.

CR. Ad verba quod pertinet, mi Phaedria, ante omnia magistrum idoneum oportet, discipulis rectam

vocabulorum vim et significationem *) ostendere, ut mature discant, quae notitiones vocabulis subiectae fuerint ab antiquis scriptoribus.

PH. At hoc discere possumus e Lexicis.

CR. Multa sane disci possunt e Lexicis, modo bona sint, iisque bene utaris. Sed non tantum rariora illa sunt, verum etiam illis recte uti posse, vulgo supra captum tironum esse solet.

PH. Quid igitur a magistro fieri debet?

CR. Ad vocabulorum originem et analogiae praecepta alumnos suos attentos reddere debet.

PH. Vocis *analogiae* vim et significationem non intelligo.

CR. *Analogia* **) est vocabulum Graecum, significans *proportionem*, eiusque haec vis est, ut id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet. Sed praestat hoc exemplo explicare. Quemadmodum a verbo *orno* fit

*) Dici vix potest, quoties hodieque Latine scribentes rectam vocabulorum significationem negligant, et, patrio sermone decepti, perversis vocabulis utantur. Rem exemplo explicabo. Belgarum vox *alle* modo significat *cuncti*, modo *singuli*. Duo autem haec vocabula minime ideo pro synonymis habenda sunt. *Cuncti*, gr. *ἅπαντες*, sunt *omnes simul*, seu, ut Festus et alii Grammatici loquuntur, *omnes quidem, sed coniuncti et congregati*. At si unumquemque per se, et ab aliis separatum spectamus, Lat. *singuli*, gr. *ἕκαστοι*, dicimus. Iam, si quis v. c. Belgicam dictionem, *alle uuren van den dag tellen*, Latine verteret, *cunctas diei horas computare*, inepte loqueretur. Nam, *singularum* horarum computatione peractâ, pervenimus demum ad ipsorum summam, h. e. ad *cunctas*. Dicendum igitur est, *singulas diei horas computare*. Quo animadverso, videat elegantissimus scriptor Latinus *Paulus H. V. C.*, quam recte scripserit in Strenâ p. 58: *Nihil enim a probabilitate et similitudine veri minus est disiunctum, quam si dicas, patrem, qui carissimi filii recentissimam mortem lugeat, omnes ab ea morte lapsos dies sollicite secum enumerare, et cunctarum fere horarum, ut ita dicam, rationem habere accuratissimam.*

**) Quintil. I. O. I. 6.

substantivum *ornamentum*, quod vocabulum vi terminationis notat id, quo aliquid ornamus, seu instrumentum ornandi; sic per analogiam fit a verbo *doceo* substantivum *documentum*, significans omne id, quo aliquid docemus, seu instrumentum docendi. Sic porro adiectiva verbalia, quae in *ax* desinunt, plerumque in peiorem partem accipiuntur: atque ideo, quemadmodum *audax* notat eum, qui nimium audet, sic *bibax*, *edax*, significant hominem, qui in bibendo, edendo, modum excedit. Et sic item in multis aliis, nec non in adiectivis, quae exeunt in *osus*, res sese habet.

PH. Nunc mentem tuam capio. Exempla, quibus usus es, hanc vim ad animum meum habuerunt, ut, quantum valeat analogia, intelligere quodammodo mihi videar. Pergas igitur de vocum origine etiam loqui.

CR. Propria et primaria multorum vocabulorum notio ex ipsorum origine apparet. Hac inventâ et animadversâ, reliquae significationes, quae tamquam rivi e fonte fluunt, facile cognoscuntur. Sed quoniam ex praecepto Senecae, *) *iter per exempla breve est*; rem item exemplo tibi expediam. Apud Terentium **) dicitur Thais *fundi calamitas*. Cuius dicti elegantia percipi nequit, nisi scias, quid proprie significet *calamitas*. At hoc scire nequis, nisi vocis originem indages. A voce *calamus*, notans stipulam, fit *calamitas*, quae proprio sensu dicitur de procellâ, segetis calamos frangente. Quod quum magnum sit malum, transfertur haec vox ad alia graviora mala, et eleganter apud Terentium de meretrice usurpatur, procellae

*) Sen. Ep. 6.
**) Eun. I. 1, 34.

instar efficiente, ut agrorum proventus *intercipiantur*, h. e. eo non perveniant, quo eos pervenire ius sit.

PH. Haec tua verborum interpretandorum ratio admodum mihi placet.

CR. Neque tantum oportet magistrum singula vocabula ad hanc rationem discipulis explicare, sed requiritur etiam, ut ipsos ad integras dicendi formulas attentos reddat.

PH. Quid igitur in his tibi potissimum animadvertendum videtur?

CR. Adeo multa, ut omnia enarrare infinitum sit.

PH. Enarra idcirco tantum nonnulla. Quidquid dixeris, mihi lucro erit.

CR. Debet ipsos docere rectam Temporum et Modorum rationem, quippe in eo Latina Lingua multum differt ab hodiernorum populorum vernaculis sermonibus. Tum operam dare debet, ut discipuli constructionis ordinem et sententiarum nexum perspiciant. Denique, ne longior sim, ipsi curandum est, ut bene scribentium usum et consuetudinem teneant, nec omnes dictiones in scriptis Veterum obvias uno eodemque loco habeant. Sunt enim discipuli, qui putent, omnes dictiones, in quas incidant, aeque bonas esse. At multum interest, utrum v. c. in Comoediis herus et liberaliter educatus, an vero servus, aut alius e faece plebis loquatur; utrum quid serio, an per iocum dicatur. Porro haud perinde est, utrum in scriptis Ciceronis legamus ipsius Ciceronis, an vero nescio cuius veteris poëtae verba. Denique multum etiam discriminis interest, utrum dicendi quaedam formula a poëtâ, an vero a prosae orationis scriptore usurpetur. — Neque etiam desunt iuvenes*), qui dictiones, vulgaribus

*) Si pueri et iuvenes, qui nondum in legendis scriptoribus antiquis admodum versati sunt, a Grammaticorum vulgaribus

et protritis Grammaticorum praeceptis contrarias, continuo tamquam malas aspernentur et damnent. At non solâ ratione, sed usu etiam Latinus sermo regitur. Bonorum scriptorum consuetudo plurimum hac in re auctoritatis habet. Licet enim quis omnes Syntaxeos regulas in promtu habeat, et eas ad unam omnes memoriter decantare queat; tamen minime inde sequitur, eiusmodi quem non nisi bene Latine scribere aut loqui posse. Satis enim constat, Grammatice loqui et scribere interdum nihil minus esse, quam bene Latine loqui et scribere.

PH. Num quid praeterea restat, quod ad accuratam veterum scriptorum intelligentiam referendum tibi videatur?

---

praeceptis ne latum quidem unguem discedendum esse putant, id ipsis facile condonare possumus: verum si seniores, qui Literarum Latinarum periti haberi, et optimos quosque Latinos scriptores legisse videri volunt, ad vulgares Grammaticorum leges Latinitatem unice exigendam esse contendunt, nonne tunc luce clarius apparet, istos vetulos aut non multa legisse, aut certe ad illa intelligenda, quae legerint, non multum curae adhibuisse? Atque istis vetulis *Horrearium* annumerandum arbitror. E scholasticâ nimirum disciplinâ adhuc recordans regulam, *relativum et antecedens semper conveniunt in genere et numero*, opinatur, ab istâ regulâ recessisse, summae ignorantiae testimonium esse. Hac certe opinione ductus, me in istorum numerum refert, qui syntaxeos regulas non teneant, quod scripserim in Ep. Sod. Socr. p. 158: „*Noli, Paule, superbire huiusmodi testimonio*, quae *etiam mediocribus impertiri* solent. Unice verum esse prae se fert, *testimonio*, quod *etiam mediocribus impertiri solet.* Vid. ipsius Strena p. 116. Nescit igitur bonus homo, Veteres saepe solere post singularem ponere pluralem, praesertim quum de universo quodam genere sermo sit. Vossius iam in Gramm. p. 4. duo attulit exempla: alterum Ciceronis pro Mil. c. 4. *si tempus est ullum hominis iure necandi, quae multa sunt:* alterum Terentii ex Eun. I. 2. 87: *porro Eunuchum dixti velle te, quia solae utuntur his reginae.* His adde aliud ex prol. Ter. in Eun.: *Si* quisquam *est, qui studeat, in* his *poëta* etc.; aliud porro ex Quintil. I. O. I. 2: *nam ut vascula oris angusti superfusam* humoris *copiam respuunt: sensim aut* influentibus, *vel etiam* instillatis *complentur.*

CR. Si magister hoc aut huic simili modo verborum et Grammatices diligentem rationem habuit, ipsi accedendum est ad rerum, quae verbis contineantur, interpretationem. Hae autem res pro re natâ modo ex Historiâ, modo ex Antiquitatibus, modo ex aliis doctrinis explicandae sunt. Hoc ideo fieri debet, ut ne disciputi in solo verborum cortice haereant, sed ipsos rerum fructus percipiant, et sensim paulatimque intelligere discant, quantum bonae frugis auctori insit, quem tractant, et quantum utilitatis atque commodi ex ipso haurire queant ad mentem suam multarum scitu utilissimarum rerum copiâ locupletandam.

PH. Sed in scholis publicis pauci tantum, ni fallor, scriptores, et illi fortasse ne integri*) quidem tractantur. Num ergo nulli alii praeterea legendi sunt?

CR. Quoniam in omni disciplinâ, ut Cicero alicubi dixit, artis praeceptio**) infirma est sine summâ exercitationis assiduitate, atque Literarum Latinarum scientia maximam partem veterum scriptorum lectione comparatur; non modo disciputi diurnâ nocturnâque manu scriptores antiquos versare debent, sed ipsorum quoque haud parvi interest scire, quinam potissimum libri legendi, et quâ illi ratione legendi sint, ut priscorum hominum sapientiam, Literarum monumentis traditam, recte in usum suum convertere possint.

PH. Noli igitur hac etiam in parte mihi deesse, sed tuam de hoc loco sententiam mecum communica.

CR. Vetus quidam scriptor dicere solebat, *nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ ex parte*

---

*) *Quia* integrum *de eo potissimum dicitur, quod non mutilatum, non interpolatum est, malim pro* integri *ponatur* toti.

**) Mag. Herenn. ap. Cic. III, 24.

prodesset. *) Quod etsi per se verum sit, tamen ad hanc quaestionem omnino non pertinet. Alia enim est lectio humanitatis, alia quae ad accuratam Latini sermonis cognitionem et eloquentiam sibi comparandam instituitur. Humanitatis caussâ modo in scriptis Ciceronis versamur, modo Senecae opera pervolvimus; modo legimus in Sallustio et Livio, modo in Appuleio et Ammiano Marcellino; modo perscrutamur Virgilii, Horatii et similium poëtarum volumina, modo moramur in scriptis versificatorum posterioris aevi et corruptae Latinitatis. Sed quod spectat ad alendam et formandam orationis facultatem, illa non aliunde melius acquiri potest, quam e classicorum scriptorum lectione. Horum prae caeteris ratio habenda est: ex his solis verae et germanae Latinitatis quasi sanitas percipi potest. Sunt autem scriptores *Classici*, qui eâ aetate floruerunt, quâ Lingua Latina adhuc pura et incorrupta erat, qui ipsius usum accurate tenuerunt, et semper tamquam exempla bene scribendi et loquendi ab harum rerum idoneis existimatoribus habiti sunt. In horum numerum referuntur Iulius Caesar, Nepos, Cicero, Sallustius, Livius et his similes: e poëtis Terentius, Virgilius, Horatius et alii aequales. Sed, etsi hi singuli in suo genere excelluerunt, atque Latini sermonis divitias recte adhibuerunt; tamen omnium omnino scriptorum princeps habendus est Cicero, de quo Quintilianus**) scripsit: *ille se iam multum profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Hunc igitur legere, in sinu gestare, imitari, et quam simillimi fieri studere debemus. Ex saluberrimo enim Plinii***)

*) Plin. III. Ep. 5.
**) Quintil. I. O. X, I.
***) Plin. I. Ep. 5.

praecepto nihil stultius est, quam *optima quaeque ad imitandum sibi non proponere.*

PH. Quam vero rationem in legendo nos oportet sequi?

CR. Quicunque studet permansuros fructus e bonorum librorum lectione sibi colligere, illum non *multa*, sed *multum* legere oportet.

PH. Quid, quaeso, interest, utrum *multa*, an *multum* legas?

CR. Permagni sane interest. Qui *multa* legit, h. e. qui modo huius, modo illius generis volumina pervolvit, lectione suâ desultoriâ non modo ad deformitatem lectionis delabitur, sed isti etiam nescio quid vagi adhaerere solet, quod hominem volaticum arguat. Operae pretium erit tibi referre, quae graviter et eleganter Seneca *) de istiusmodi librorum helluonibus dixit: „*Certis ingeniis immorari et innutriri oportet,* „*si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter se-* „*deat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrina-* „*tione agentibus hoc evenit, ut multa hospitia ha-* „*beant, nullas amicitias. Idem accidat iis necesse* „*est, qui nullis se ingeniis familiariter applicant,* „*sed omnia cursim et properanter transmittunt.* — „*Distrahit animum librorum multitudo. Itaque, cum* „*legere non possis, quantum habueris, sat est ha-* „*bere, quantum legas. Sed modo, inquis, hunc* „*librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis* „*stomachi est, multa degustare: quae, ubi varia* „*diversa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque* „*semper lege: et, si quando ad alios divertere li-* „*cuerit, ad priores redi*“ — At vero, qui *multum* legit, is diu et diligenter eundem scriptorem tractat;

*) Sen. Ep. 2.

non prius ad sequentem progreditur, quam priorem recte perceperit. Hinc nonnumquam bis, quin etiam ter, eundem scriptorem retractat, ne forte quid praetermittat, quod aut ad rerum intelligentiam, aut ad scribendi usum pertineat. Non modo vocum simplicium, sed etiam coniunctarum vim indagat; si quid proprie, si quid concinne, si quid splendide dictum animadvertit, id omne sedulo annotat, ut datâ opportunitate idem illud, veluti ex horreo, promere, eoque uti possit.

PH. Nunc me haec satis intelligere opinor. Quantocyus Nepotem, Ciceronem, et alios auctores illâ, quâ dixisti, ratione relegam, et omnia, quantum potero, ad praeceptiones tuas revocabo. Sed hoc unum valde vereor, ut, quae nesciam, inventurus sim. Plane enim me latet, ubi quaerenda sint, quae ad diversas illas a te memoratas doctrinas pertineant.

CR. Multi sunt libri, in quibus, quae ignores, reperire possis: sed ne illorum multitudine obruaris, paucos tantum tibi commendabo. *Etenim non refert, quam multos, sed quam bonos habeas libros.* *) Primum ad rem Grammaticam quod spectat, iam satis praesidii tibi erit in Sanctii Minervâ cum animadversionibus Perizonii, et Fabri Thesauro ex editione Gesneri. Tum ut Geographiae, Mythologiae et Historiae aliquam cognitionem tibi acquirere possis, in consilium adhibeas *Car. Stephani* Dictionarium Historicum, Geographicum et Poëticum, aut *Bibliothecam Classicam* et *Dorn Seiffenii* Onomasticum. Denique Antiquitatum notitiam poteris haurire e *Christophori Cellarii* Compendio Antiquitatum Romanarum, quod animadversionibus suis illustratum edidit I. E. Walchius. —

*) Sen. Ep. 45. Coll. cum l. de Tranq. An. c. 9.

Sed, quod caput rei est, auctor tibi sum, ut, quam primum civis Academicus factus fueris, diligenter ventites in scholas Professorum scriptores Latinos, Historiam et Antiquitates Criticâ ratione tradentium, atque ibi discas, quod nondum didicisti, hoc est, ut discere discas.

PH. Nihil mihi prius et antiquius erit. Sed quoniam scire aveo, quid de tribus posterioribus Literarum Latinarum partibus, quae adhuc tractandae restant, praecepturus sis; maiorem in modum a te peto, ut meae utilitati inservire haud desinas.

CR. Quartum igitur pensum dixi constare veterum scriptorum notitiâ, s. Historiâ Literariâ. Potest hoc pensum commode in tres sectiones, sive capita, dividi, idque ita, ut in primo capite agatur de Latinae Linguae origine, incrementis, fatis et vicissitudinibus; altero exponantur fines doctrinarum studii apud Romanos; et tertio denique enarrentur veterum scriptorum vitae, scripta et praecipui interpretes. Omnis haec cognitio non tantum intellectu facilis, verum etiam scitu utilis est. Per hanc quasi aditum ad reliquas doctrinarum partes melius et certius discendas nobis aperimus.

PH. An haec Literarum pars etiam in Academiis docetur?

CR. An in omnibus doceatur, nescio: sed eam, me iuvene, in patriae meae Academiis a nonnullis Professoribus traditam esse scio. Sunt enim adeo Academiae, in quibus ne Antiquitates quidem tradantur, etsi illarum cognitione Theologis, Iurisconsultis, et Literarum Humaniorum studiosis cultoribus perquam opus est. Sed, mi Phaedria, equidem sane multum voluptatis et utilitatis ex illis Professorum scholis, de

Historiâ Literariâ habitis, et olim percepi, et adhuc percipio.

PH. Nisi tuâ patientiâ abutar, Crito, fac me, precor, huius utilitatis quodammodo participem. Fieri enim forte posset, ut mihi in Academiâ degenti aliquando Professores deessent, a quibus hanc Literarum Historiam discerem.

CR. Quoniam, rogante patre et patruo, has dicendi partes in gratiam tuam suscepi, morem tibi geram, nec te hodie repulsam ferre sinam. — In primo igitur Historiae Literariae capite, ut dixi, ostenditur Linguae Latinae origo. Argumentis ex Historiâ Universâ desumtis docetur, iam ab antiquissimis inde temporibus in Italiam et vicinas Italiae regiones a Graecis colonias deductas esse, quarum socii, Aeolicâ potissimum Graecae Linguae dialecto utentes, sensim paulatimque cum illarum regionum indigenis coaluerint, et communem cum ipsis sibi linguam fecerint, unde successu temporis Latina Linguâ orta sit. Tum ostenditur, non tantum in Italiâ, verum etiam extra eam in provinciis, veluti Pannoniâ, Illyrico, Germaniâ, Britanniâ, Galliâ, Hispaniâ, et Africae orâ ad Aegyptum usque Linguam Latinam in usu fuisse. Mox traditur, quomodo saeculo quinto post Christum natum et deinceps barbarae gentes Occidentis provincias invaserint, et ex Romanae et Barbarorum linguae commixtione paulatim uniuscuiusque propemodum provinciae proprius sermo exstiterit. Deinde exponitur, in quibus vitae partibus post illa tempora Linguae Latinae, tamquam omnium populorum communis, etsi barbarorum colluvie et sordibus admodum inquinatae, usus remanserit; veluti in *Rebus Sacris et Ecclesiasticis*, *in Actis publicis et Iurisdictione*, *in Artium et Doctrinarum studio*. Tandem indicatur, quâ ratione primum Lingua Latina

per *Carolum Magnum* rursus quaedam incrementa ceperit, et quomodo aliquot seculis post, captâ a Turcis Constantinopoli, et profugientibus e Graeciâ in Italiam viris doctis, nova lux Literis Latinis orta sit, et scriptorum Latinorum lectio in dies magis magisque coli coeperit. Denique agitur de vicissitudinibus, quibus Linguae Latinae studium ab eius restauratione in Italiâ usque ad nostram aetatem expositum fuerit.

Secundi capitis argumentum sunt fines doctrinarum studii apud Romanos. Primum refertur, omnem eruditionem apud veteres Romanos harum *quinque* doctrinarum scientiâ potissimum constitisse, *Poëseos, Historiae, Artis Oratoriae, Philosophiae, Iuris Civilis.* Deinde exponitur, quibus temporibus singulae hae doctrinae coli coeptae sint: qui illarum primarii cultores fuerint: quae incrementa ceperint, et quomodo deinceps in deteriorem conditionem inciderint.

Tertio denique capite describuntur Vitae singulorum Scriptorum, recensentur illorum opera, enarrantur illorum optimi interpretes, indicantur praecipuae illorum editiones. — Atque haec, Phaedria, summatim dicta nunc tibi sufficiant.

PH. Gratias tibi pro singulari humanitate tuâ ago. Satis multa dixisti, Crito, ut intelligam, quantum utilitatis Literarum studiosi iuvenes ex his scholis percipere queant, et quantum illae ad Literarum Latinarum universitatem perlustrandam valeant. Nihil sane magis optem, quam ut in illâ Academiâ, ad quam parens me mittere decreverit, Professores reperiantur, qui Historiam Literariam mihi tradere velint.

CR. Et ne quid intactum relinquam, venio nunc ad quintum pensum, ad *scriptionem.* Non solum, mi Phaedria, bonos scriptores quotidie legere debemus,

verum etiam e praecepto Ciceronis*), qui stilum optimum dicendi opificem vocat, quam diligentissime et quam plurimum scribendum est. At non loquor de illâ puerili scriptione, quae Thematibus faciendis constat, et eo tantum consilio fit, quemadmodum supra dixi, ut pueri vulgaria Grammaticorum praecepta percipiant, sed loquor de illâ magis iuvenili et virili, quae ideo instituenda est, et instituitur, ut bene Latine scribendi facultate insignes fiamus, et Veterum optimis quibusque quam simillimi evadamus. Potest vero haec scribendi exercitatio variis modis fieri. Sed ut recte et felici successu in ea procedamus, a levioribus ordiendum est, hoc est, ab illis, quae ad *φράσιν*, *elocutionem*,**) sive idoneorum verborum ad inveniendum accommodationem pertinent. Primum igitur legat adolescens***) v. c. Epistolam Ciceronis, aut alium ex eodem scriptore insigniorem locum. Hoc peracto ad scribendum accedat, inque Latinum sermonem, quod legerit, aliis verbis et mutatâ orationis constructione convertat. Sic unam eandemque sententiam vario orationis habitu describere discit, viam ad scribendi artificium sibi aperit, et expeditam sermonis copiam sibi parit. Mox ubi aliquamdiu sub idonei magistri auspiciis in eiusmodi paraphrasibus faciendis sese exercuerit, et orationem suam ad verum bonae Latinitatis sensum accommodare, et ab hodiernae consuetudinis contagione integram servare didicerit, ad loca illustriora in compendium redigenda progrediatur. Hac ratione illam sibi acquirit facultatem, ut paucis verbis, veluti punctis, rerum tractandarum summam accurate

*) Cic. de Or. I, 33.

**) Cic. de Invent. I. c. 7.

***) Cf. Quint. I. O. II. 6. et Plin. VII, ep. 9.

et ordine describere queat. Hanc denique exercitationem sequatur alia, quae versetur in scribendis Progymnasmatibus, vel componendis Declamationibus, ut ad rerum inveniendarum scientiam veniat, facultatem cernendi,*) quid in quaque re ad persuadendum idoneum sit, sibi propriam reddat, et caussam suam explicando, illustrando, dilatando, dilucide, ornate et copiose describere discat. Vix dici potest, quantae utilitatis haec exercitatio sit. Ipsius assiduo studio non tantum C. Carbonem**) usum fuisse legimus, sed ipsum adeo Ciceronem videmus cum Roscio Comoedo saepius certasse, utrum ille eamdem rem pluribus gestibus exprimere, an ipse commutatis verbis pronuntiare posset. Quid plura? Efficit hoc studium, ut aeque idonei evadamus ad orationem tot modis commutandam, quot artis musicae periti inchoatum νόμον***) per varios

*) *An me scribentem,* facultatem cernendi — sibi propriam reddat, *patrius sermo deceperit, nescio, sed probum non esse puto. Donec igitur huius dictionis apud bonae notae scriptorem invenero exemplum, emendabo hunc locum ita:* facultatem cernendi — sibi colligat, acquirat, comparet.

**) Cic. de Or. I. 34.

***) Haud spernenda de loquendi scribendique studio leguntur apud *Buchnerum* Orat. T. III. p. 758—781. Ibi inter alia iure dicitur: *Neque separanda sunt haec duo; et qui id faciunt magistri, nec sibi satis provident, et suis discipulis male consulunt.* Atque sane discipuli, qui huius studii coniunctione id consecuti sunt, ut quasvis periodos aliis verbis, et mutato constructionis ordine proferre et explicare possint; illi se iam multum profecisse sciant. Primum enim haec exercitatio hoc habet commodi, ut, quae transtulimus, melius intelligamus. Quodsi enim aliquem locum simpliciter modo legimus, saepe putamus omnia intellectu facilia esse, quum contra, ubi eum transferre, et aliis verbis interpretari coepimus, passim haereamus. Tum parit verborum copiam. Deinde iuvenibus viam indicat, quam sequi debeant, ut veteres scriptores imitari, et, quantum imitatio a compilatione differat, intelligere discant. Quicunque enim alios vult imitari, is ex praecepto Senecae Ep. 84. (quem non imitatus est Macrobius T. I. p. 199. ed. Bip., sed cuius scrinia compilavit) ita in eo versari debet, *ut, etiamsi apparuerit, unde quid sum-*

modos variare et mutare possint. Hanc viam ingressi sunt viri principes, qui post renatas Literas inprimis bene Latine scribendi facultate prae caeteris excelluerunt, Muretus, Ernestus, Ruhnkenius. Hanc rationem non modo ipse secutus est hodiernorum Latine scribentium longe princeps, Wyttenbachius,*) sed illam

---

tum sit, aliud tamen esse, quam unde sumtum est, appareat. Quod quale sit, exemplo ostendam. Scripsit Cicero Pro Cluent. c. 14: *Nemo illum* (Oppianicum) *aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo convivio dignum iudicabat: omnes aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque fugiebant.* Ad h. l. respiciens Muretus scripsit T. I. p. 79: *Quis est omnium, qui eum, quem iniustum esse opinetur, aditu, congressione, sermone dignum iudicet, quin eum, quasi maleficum aliquod et noxium animal refugiat, aversetur, odio habeat? Quin eius occursum dirum ac tetrum atque ominosum putet.* Iam igitur Ciceronem imitatus est Muretus: at non item hunc Horrearius, quippe qui eius verba, ne sublato quidem vitio typographico, descripsit. Vid. Ep. Sod. Socr. p. 62, 63. — Denique, ne plura addam, iuvenibus, qui paraphrases facere didicerunt, pronomina reciproca, in quorum recto usu non modo tirones saepissime, verum subinde etiam veterani peccare solent, non facile in errores inducent. Scientes, quomodo ratio obliqua in rectam convertenda sit, continuo, postulante necessitate, eo confugient, et hac facili viâ sibi omnia plana et aperta reddent. En rursus rem exemplo illustratam. Legimus ap. Plin. II. Ep. 20, *Verania clamat moriens, hominem nequam, perfidum, ac plus quam periurum, qui sibi per salutem filii peierasset!* Iam, ut nimirum nobis appareat, sitne illud *sibi* ad Veraniam, an ad Regulum referendum, continuo id constabit, modo orationem obliquam hac ratione mutaverimus: *Verania clamat moriens: homo nequam, perfide, ac plus quam periure, qui* mihi *per salutem filii peierasti!* Miror igitur, qui hoc Horreario, tam callido et prudenti alioquin viro, in mentem non venerit. Sic enim se viris intelligentibus ridendum non praebuisset. Quod tamen nunc fecit, contendens in *Strenâ* p. 114, Terpsionem in Epist. Sod. Socr. (p. 4.) *congredi* passive usurpasse, et *secum* non nisi ad Philomathem referri posse. Nam, mutatâ constructione, luce clarius est, pronomina reciproca *se, sibi, secum* ad neminem, nisi ad Paulum H. V. C. referri oportere, et *congredi* significationem deponentis habere.

*) Vid. quae ex huius viri scholis retuli in Ep. Sod. Socr. p. 111. et sqq. [Bene Latine scribere, inquit, discitur multum diligenterque et legendo et scribendo. Legendi autem sunt, qui ipsi bene scripserunt. Quorum sine dubio princeps est Cicero, abundans uberrimis in omni orationis formâ praeceptis et exem-

in scholis Stili Latini discipulis suis commendare solet. Hanc tu igitur, Phaedria, viam, tamquam verissi-

plis. Hunc igitur ducem sequamur: caeteros ut comites assumamus, ad verborum dictionisque copiam augendam, et prosae scriptores et poëtas. Inprimis adsuescamus formas dictionis distinguere, prosae ac poëticae: didacticae, historicae, oratoriae: tenuis, ornatae, sublimis: tria scribentis officia, perspicuitatem, suavitatem, gravitatem: eaque non alieno, sed suo quodque loco adhibeamus. Sed homines vulgo Latine scriptitantes duo fere Scriptorum genera negligunt, quamvis ad stilum formandum apprime necessaria, Grammaticos et Rhetores: quorum illi ad *pure*, id est Latine, hi ad dilectum formarum dictionis, et ad *bene*, id est perspicue, suaviter graviterque, scribendum valent. Veluti e Ciceronis operibus Rhetoricis pauci legunt, si forte, libros *De Oratore*, pauciores *Brutum* et *Oratorem:* paucissimi illos ex interiore arte subtiliter et enucleate scriptos, *De Partitionibus Oratoriis*, *Topica*, *De Inventione*, *ad Herennium*. Atqui et hi et alii, certe proximi aetate, Seneca, Quintilianus, Rutilius Lupus, Auctor de Caussis Corruptae Eloquentiae, nemini non bene scribendi studioso legendi et tractandi sunt. Grammaticos autem dico, cum Veteres illos, Varronem, Nonium, Festum, Donatum, Diomedem, Priscianum, aliosque a Gothofredo et Putschio editos: tum vero recentiores, Vallam, Pareum, Sanctium, Vossium, Scioppium, Vorstium, Cellarium, et plures, qui barbarismos aliaque sermonis vitia notarunt.

Iam scribendi exercitium maxime quidem sub idoneo magistro factitandum est: sin minus, suâ cuique industriâ: sunt etiam, quos suum vitae genus frequenter scribere cogat. Omnes scriptioni certam rationem et assiduam auctorum lectionem adhibeant. Ordiendum a facillimis. Cumque argumentum scriptionis vel nobis detur, vel ab ipsis inveniendum sit; faciliorque scriptio sit dati quam inveniendi argumenti; convenientissimum initio exercitium est vertendi Epistolas Orationesque, omnino locos Ciceronis, minime quidem in vernaculum, sed in Latinum sermonem; ut easdem sententias aliis verbis et constructionibus reddamus: ita enim sensus Latinitatis et color antiquitatis magis integer a discente colligitur, et purus castusque a contagione hodiernae consuetudinis servatur. Quam exercitationem perperam a nonnullis minus intellecto loco Cicer. De Orat. I, 34, reprehensam, recte vindicat Quintil. I. O. X. 5. παράφρασιν vocans, et pluribus rationibus in scholis tuetur Philomathes, et insigni cum discentium fructu usurpat. A *Paraphrasi* progrediendum ad *Epitomen*, quâ maior locus ad brevitatem redigitur, eiusque summa, quantum fieri potest, paucis verbis, sed perspicue declaratur. Huic proxima, sed opposita, est *Amplificatio*, quae sententiam, quaestionem, caussam, paucis verbis significatam dilatat, explicando, illustrando, demonstrando, laudando vel vituperando, suadendo vel dissuadendo, iustam orationem explet. Quo refe-

mam, atque, ut ita loquar, regiam quoque sequaris. Neque est dubium, quin sic faciendo studii tui uberrimos fructus aliquando percepturus sis.

PH. Quantum igitur ex verbis tuis intelligo, mihi cum lectione scriptio coniungenda erit.

CR. Non tantum scriptio, mi Phaedria, verum etiam loquendi usus. Magistri enim, qui haec duo a se invicem separant, nae isti discipulis suis parum consulunt. Etsi enim ego Latine loquendi usum in enumerandis Literarum Latinarum partibus ultimo demum loco posui, tamen nolim credas, hoc ideo a me

runtur *Progymnasmata* Rhetorum, cuiusmodi adhuc sunt illa Graeca Hermogenis, Theonis, Libanii, Aphthonii, et Latina Prisciani: quorum fere haec nomina et argumenta feruntur: Fabula, Narratio, Chreia, Sententia, Refutatio, Confirmatio, Locus Communis, Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Ethopoeïa, Descriptio, Thesis, Legislatio. His Philomathes Epistolam et Dialogum addit. Et quum nec eloquentia sine rebus, nec ornatus sine varietate doctrinae exsistere possit, haec diligenter comparanda et scribendi exercitio tractanda est: et, quod Cicero praecipit loco supra dicto, *legendi etiam poëtae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores et legendi et pervolutandi, et exercitationis caussa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputandumque de omni re in contrarias partes, et quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum.* Quod sequitur proprie quidem ad civiles oratores, sed partim tamen ad hodiernos quoque pertinet, eos certe qui Latine docti esse volunt: *perdiscendum ius civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina reipublicae, iura sociorum, foedera, pactiones, caussa imperii cognoscenda est.* Postremum rursus ad omnes, ut suavitatis pars, refertur: *libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tamquam sale omnis perspergatur oratio.* Ex huiusmodi lectionis et exercitationis assiduitate Ciceroni ipsi venit divinum illud dicendi genus, aptum, suave, magnificum, frequens notis doctrinae, figuris sententiarum, luminibus orationis, non modo de industriâ quaesitis, sed ex beatâ quadam rerum scientiâ et ubertate sponte affluentibus: venit et hodiernis quibusdam, Mureto, Ruhnkenio et paucis aliis, ut quisque naturâ, doctrinâ, exercitatione aliquam Ciceronis similitudinem assecutus esset." Haec Philomathes in scholis Latinis: quibus addantur, quae idem scripsit in censurâ libri Schelleriani Bibl. Crit. P. III, pag. 112, et in Vitâ Ruhnk. p. 226.]

factum esse, quod existimem, prius Latine scribendum, quam loquendum esse. Res omnino contra se habet. Si mihi puer erudiendus daretur, continuo non nisi Latine cum ipso loquerer, ut a me Linguam Latinam, vernaculam ab aliis, utramque simul disceret. Quemadmodum enim pueros et puellas iam adultiores, e patriâ suâ in populum diversâ linguâ utentem delatos, solo usu et loquendi consuetudine novam illam linguam discere videmus, sic etiam Latina lingua solo usu et eâdem facilitate disci potest, quâ quaevis alia hodiernorum populorum lingua. Neque hoc tibi mirum videatur. Historia Literaria nobis exempla talis institutionis suppeditat. Sic *Michaël Montanus* *) de se ipse testatur, se domi suae semper cum Germano medico Latine sermocinatum esse, et Latinam Linguam quasi cum materno lacte imbibisse. Sic *Robertus Gentilis*, filius *Alberici*, Professoris Iuris Civilis Oxonii, a primâ infantiâ cum patre suo non nisi Latine locutus est, et adeo celeriter in hac linguâ profecit, ut anno aetatis octavo, patre adiutore, Virgilium legeret, et anno aetatis undecimo Commentarios in hunc poëtam scriberet. Quinetiam huiusmodi iucundâ et facili viâ per pictas imagines, quibus adscriptum erat, quid quaeque significaret, *Comenius* edito libro, cui nomen *Orbis Picti* dedit, infantes ad Literarum Latinarum studium allicere studuit. Porro eâdem ratione Linguae Graecae primordia quasi ludibundos didicisse Erasmum, Montanum et Scioppium legimus. Sed quoniam, ut nunc sunt tempora et res, haud facile quis domi suae a primâ pueritiâ Latino sermoni assuescit, nec in scholis inferioribus vulgo cum magistris

*) Leg. Morhofius in Polyb. T. I. p. 421. et Gesn. in Isag. T. I. p. 84 et 108.

aliter, quam vernacule, loqui solet; saltem cavendum est, ne praeter Latinum sermonem in Academiarum scholis alius usurpetur. E re enim literariâ cum maxime esse statuo, non modo Latini sermonis usum in his scholis retineri, sed illum nequidem in scribundis doctrinarum formulae operibus deseri. Et quidni sic statuam? Experientia nos docet, modo postpositis opinionibus praeiudicatis verum profiteri velimus, a renatis inde Literis vix usquam terrarum sermonem Latinum maiori in honore fuisse, quam apud Batavos, et plures in hac gente, pro exiguis illius terrae finibus, nisi amatores, certe scriptores Latinos semper exstitisse, quam apud alios quosvis Europae populos. Ex Historiâ Literariâ constat, Batavos et superioribus temporibus bene Latine scripsisse, et hodieque illâ facultate adhuc florere.

PH. At memini me aliquando e praeceptore meo audire: *Si Lingua Latina non fuisset introducta in scholas, forte minus corrupta hodieque esset.* *)

CR. En iuvenem in verba magistri iurantem! Verum, o bone! nonne illud *forte,* quod verbis a magistro tuo tibi dictis assutum audio, satis indicat, totum hoc dubitanter ab ipso pronuntiatum esse? Qui hoc caussantur, similes mihi esse videntur isti vulpeculae, quae uvas petitura, quum eas arripere non posset, abiens dicebat, *Nolo immaturas.* Quodsi enim huius linguae in scholis Academicis quotidianus usus exstitisset praecipuus fons corruptae Latinitatis, nusquam iste altiores radices egisset, quam in Batavorum terrâ. Ibi ab Academiarum incunabulis usque in hanc diem Latinus sermo Professoribus proprius et privus fuit. Et vel sic tamen tantum abest, ut Batavi in universum

*) Gesn. Is. T. I. p. 99.

barbare et inficete locuti sint, aut hodieque loquantur, ut ipsis potius puritatis laudem atque germanae Latinitatis verissimum sensum merito tribuere debeamus. Quicunque in his Literis non plane hospes est, Latina Batavorum opera a ducentis et ulterius abhinc annis usque ad hanc aetatem legit, nec invidiolâ correptus tenetur, is mecum ultro profitebitur, quidquid nonnulli de hac corruptae Latinitatis caussâ crepitent, plane alienum et ineptum esse. — Sed fac Latini sermonis usum in Academiis quotidianum integritati ipsius linguae obfuisse, quod credat Iudaeus Apella, velim quis mihi dicat, cur hodieque v. c. in Brabantiâ et Flandriâ, quum in Academiarum scholis Lingua Latina ibi paene intermortua sit, non amplius exsistant tot viri Latine docti, quot illis in regionibus olim floruisse legimus. Quis ignorat *Despanterium*, *Longolium*, *Clenardum*, *Leopardum*? Cui ignota sunt nomina *Goltzii*, *Cruquii*, *Guilielmi Kanteri*, *Ortelii*? Quis adeo hospes est in re literariâ, ut ad ipsius aures non pervenerint immortalia de Graecis Latinisque Literis merita *Iusti Lipsii*, *Bonaventurae Vulcanii*, *Andreae Schotti*, *Iani Gruteri*, *Petri Colvii*, *Hieronymi Commelini*? Quem fugiunt laudes *Henrici Smetii*, *Dan. Heinsii*, *Eliae Putschii*, *Casp. Barlaei*, *Petri Castellani* et aliorum?

PH. Attamen, licet hoc ita sit, nec Linguae Latinae usus ipsius puritati nocuerit; attamen haud sciam, an sermo cuivis populo patrius in lectionibus Academicis habendis Latinae Linguae usui anteferendus sit.

CR. Age igitur, redde mihi rationes tuas. Etenim non is ego sum, qui auctoritate potius, quam ratione, tecum agere velim. Quod ad Literarum humanitatem pertinet, mundanus sum, semperque contemsi illud nonnullorum populorum: *Hoc nos melius scimus! hac*

in parte reliquae gentes prae nobis talparum instar sunt!

PH. Non meas tibi reddam rationes, qui nullas habeo, sed quas nuper in libello quodam vernaculo scripto legi. Ibi dicebatur: *Latini sermonis usus patrii sermonis culturae impedimento est.* *)

---

*) Cum hoc loco conferantur, quae scripsi in Ep. Sod. Socr. p. 319 et sqq. [„Quemadmodum superiori seculo multum disputatum est de aestimandâ Veterum et Recentiorum eruditione, sic inprimis quoque inter viros doctos de Latini sermonis usu quaestio agitata est. Fuerunt, qui summopere contenderent, neque libros Latine scribendos, neque Literas Latino, sed patrio cuiusque gentis sermone tradendas esse, quo facilius iuvenibus ad scholas Academicas aditus pateret. Alii vero in contrarias omnino partes abeuntes e re Literariâ esse dixerunt, ut Latini sermonis usus neque in Academiarum scholis, neque in doctrinarum formulae scribundis operibus desereretur. Utriusque sententiae argumenta accurate et cogitate animo contemplatus, equidem non dubitavi posteriorum sententiae subscribere, et in praefatione ad Epicrisin rationes quasdam exponere, cur hos potius sequendos arbitrarer, qui Latinitatis usum contra ipsius contemtores et oppugnatores defenderent. Censor Censorum, ut nimirum eiusmodi Aristarchum decet, has rationes nullius pretii indicans, dictatorio spiritu decrevit, parum videre, et arrogantiae accusandos esse, quotquot Latini sermonis patrocinium in scribundis libris ad eruditam civitatem spectantibus contra patriae linguae fautores propugnatoresque susciperent.

E D I C T U M

R e c e n s e n t i s   R e c e n s e n t i u m.

„*Artium et doctrinarum conditio apud plerasque omnes Europae nationes hodieque eiusmodi est, ut aeque ridiculi, nec a* Paedantismi *vitio magis immunes habendi sint, quicunque contendant, non nisi Latine de rebus ad doctorum hominum cognitionem accommodatis scribi debere, quam isti Ciceronis aequales, qui philosophiam Latinis Literis persequendam negarent. De argumentis ad interiorem eruditionem pertinentibus Latine tantum scribere, partim prodest eruditorum* monopolio, *quod communi doctrinarum propagationi nocet, partim literarum vernacularum studio contumeliae et detrimento est. Exempla* Anglorum, Gallorum *atque* Germanorum *edicto meo favent et suffragantur. Apud illos summus adeo* Bentleius *quaedam opera Literaria Anglice scripsit: hi vero suis ipsi exemplis satis clare ostendunt, vernaculi sermonis usum in tradendis doctrinarum formulis minime verae eruditionis studio*

CR. Hoc dictu magis speciosum, quam verum est. Dixi enim modo, Batavos inprimis bene Latine

---

nocere. Cl. Wolfius *nobis obloquatur, quemadmodum* Mahuius *ipsius verbis indicat: huius auctoritas eo minoris momenti est, quod idem ille* Wolfius, *ut harum rerum periti sciunt, etiam* Germanice *scripsit.*"

Nititur hoc edictum non argumentorum rationibus, sed solâ hominis auctoritate, sive potius arrogantiâ. Non invideo isti, quam sibi sumsit faciendorum edictorum licentiam. Habeat eam sibi, eâque gaudeat. Ad exemplum agyrtarum hanc salutarem compositionem Horreario, huiusque *vulgo erudito* et *communi Censorum* vernaculorum *turbae* venalem proponat. Nos potius primum indagemus fontem, unde hauserit illud *Paedantismi* vitium, quod Veteribus imputat: tum, illo aperto, breviter videamus, quamnam vim habeat illa quasi dictatoris auctoritate ab eodem isto homine facta comparatio: et denique, quid de reliquâ edicti parte iudicandum et statuendum sit, exploremus.

Speciem *Paedantismi*, opinor, nullâ aliâ in re quaesivit Rec., nisi in illâ a quibusdam Veterum allatâ caussâ, cur philosophiam Latinis Literis illustrare noluerint. Quae caussa fuit, quod philosophiae studiosos, si Graecam linguam scirent, Graeca potius quam Latina; sin vero Graecarum Literarum rudes essent, ne Latina quidem opera curaturos arbitrarentur. Scimus hoc e Cicerone Ac. Qu. I. 2, et de Fin. I, in.

Iam vero fac (quod quis non absurdum esse videt?) illos Veteres, veluti Varronem et alios, ideo *Paedantismi* reos habendos esse, quod ea scribere noluerint, quae nec indocti intellecturi, nec docti lecturi essent; tamen nullus video, qui inde sequi, et ab huius edicti architecto probari queat, me et reliquos omnes, quotquot mecum faciant, item *Paedantismi* accusandos, et illis Veteribus ex aequo similes habendos esse. Rationes, quibus sententia nostra de Latinitatis usu nititur, longe aliae sunt, et satis a me explicitae in Epicrisi, nec quidquam aliud commune habent cum caussâ, ob quam illi Veteres Philosophiam e Graecis fontibus potius hauriendam, quam Latinis Literis consignandam statuerint, nisi quod tam nostris rationibus, quam illorum caussae vis *negandi* inest. Etenim non dixi, libros, aut generatim spectantes ad *ἐγκυκλοπαιδείαν*, literarum universitatem, aut separatim pertinentes ad singulas ipsius partes illustrandas, ideo non nisi Latine scribi debere, vel quod ipsorum materia patrio cuiusque gentis sermone recte explicari non posset, vel quod Latinae linguae periti potius Latine, quam vernacule scriptos de eiusmodi argumentis libros lecturi essent. Quodsi hoc scripsissem, aliquâ certe probabilitatis specie me cum illis Veteribus comparare potuisset. At vero nunc vereor, ne Censorum vernaculorum praesul se integris ad unum omnibus iudicibus exsibilandum et explodendum praebuerit. Velim Dialectices studiosissimus homo ipse iudicet, quatenus haec edicti sui prior pars Logicae artis

scribendi facultate adhuc pollere. Iam vero aliunde constat, hanc gentem (quamvis Latini sermonis usum

---

praeceptis respondeat, quibus docemur, dissimilium caussarum effectus nullo modo similes esse posse.

Enimvero Censor ipse, quid *Paedantismus* sit, nescit: nec nesciret, si se ipsum nosset. In illum enim summo iure hoc nomen confertur, qui, quod Censor facit, de rebus sibi ignotis arroganter iudicat, doctiores suo iudicio regere audet, vanâ eruditionis specie apud vulgum se iactat: qui Belgice scribens censuras, non eas ad popularem cognitionem accommodat, sed ab eâ avertit, inferciendis dictis et versibus Latinis et Graecis, vulgari lectori non intellectis: veluti nunc Aeschyli, Sophoclis, Euripidis versus iactat, ut ipsorum tragoedias legisse, et Graecae cathedrae idoneus videatur: quo artificio non nisi vulgum decipere potest: docti enim facile ex reliquâ hominis inopiâ agnoscunt, eum tales libros non nisi cursim pervolutasse, atque hinc et illinc sententiam arripuisse. Atqui si, quod facit, Belgico vulgo scribit, huic Vondelii, Hooftii, Patris Catsii, et aliorum, potius versus occinere debebat: sin Latine doctis scribit; quid est, quod non Latine scribit?

Sed quae sequuntur, haec erunt maioris fortasse momenti: forte apparebit, illum habere maiorem Historiae Literariae cognitionem, quam dialecticae scientiam. Iam igitur videamus singula. Magnifice infit, ut nimirum istiusmodi hominis personae convenit, et res nemini ignotas nobis occentat: *apud exteras nationes iam diu in usu fuisse patrio sermone de interioris doctrinae argumentis scribere.* Quam docte! Sed primum non summus modo *Bentleius*, quem unum tantum nominavit, sed etiam *Middletonus*, *Tunstallus*, *Marklandus*, viri huic Grammatico et Historico fortasse parum cogniti, de interiore eruditione opera quaedam Anglice scripserunt. Bentleius, ut unum tantum opus nominatim appellem, patrio sermone edidit suas *Diss. de Epistolis Phalaridis et aliorum.* Hoc itaque suis numeris absoluto opere non omnibus Literarum cultoribus, sed popularibus suis et paucis exteris, Anglice doctis, consuluit. At quid fecit Lennepius? Hic Latinâ suâ huius operis interpretatione de universâ eruditorum civitate, quin etiam de ipso Bentleio, optime meruit. Lennepio acceptum referimus, quod Anglicae linguae ignaris tam felicibus esse contigerit, ut singularem Bentleii solertiam et acumen Criticum admirari, et tamquam exemplum ad imitandum sibi propositum in similibus caussis sequi possint. Nam ab eo inde tempore, quo Lennepius illud opus interpretatus est et publici iuris fecit, nisi in aliis terris, certe in patriâ nostrâ magis innotuit, et doctorum virorum manibus teri coepit.

Idem porro valet de illâ controversiâ, in quâ patrum aetate reliqui illi docti Angli, quos modo nominavi, versabantur. Quamdiu illae Epistolae et Dissertationes, in quibus de αὐϑεντίᾳ Epistolarum Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem discepta-

in scholis Academicis Batavi constanter retineant) nostrâ praecipue aetate patrium sermonem suum excoluisse,

runt, Anglico tamquam sermone circumferuntur, omnes Anglice non docti ab illarum lectione prohibentur. At quam primum quis eas, quod velim aliquando fiat, in gratiam virorum doctorum Latine verterit, ad omnium eruditorum notitiam pervenire poterunt. Atque idcirco omnes Literarum studiosos Wolfio, V. Cl., magnam gratiam debere existimo, qui Marklandi integras animadversiones in Quatuor illas Ciceronis Orationes, quas hic singularis acuminis vir spurias iudicaverat, Latine edidit Berolini MDCCCI.

Quid porro de Franco-Gallis dicam? Hi temporibus Ludovici XIV. per omnem fere Europam suos sibi habebant emissarios, qui linguam Gallicam docerent. Praeterea superioris regis Ludovici XIII. aetate, auctore imprimis Richelio, regio Ministro, Academiam constituerunt linguae patriae excolendae et emendandae gratiâ. Huius socii indefesso labore et studio effecerunt, ut vix alia recentior magis culta et tersa lingua reperiatur, quam quidem Gallica. At vero prae nimio vernaculi sermonis studio pulchrae filiae pulcherrimam matrem adeo neglexerunt, ut iam medio saeculo superiore Parisiis ultimum Gallorum Ciceronem mortuum esse legamus, nec postea, qui Latinam linguam postliminio reduxerint, pro imperii magnitudine adeo multi reperti sint.

Porro apud Germanos primus fuisse dicitur *Christianus Thomasius,* qui partim ob Literarum Latinarum ignorantiam, partim prae odio, quod ex hac ignorantiâ et discendi taedio oriebatur, Germanicâ linguâ in scholis Academicis usus sit. Huius exemplum multi deinceps avide secuti sunt, et eo hodieque felicitatis, si Diis placet, venerunt, ut vix centesimus quisque scriptorum Germanorum probabiliter Latine scribere aut possit, aut velit.

Sed, quidquid huius est, nos non quaerimus, quid exterae nationes iam diu fecerint, et adhuc faciant, sed quid e re Literariâ sit. Mihi certe persuasum est, exterorum consuetudinem apud nos tantum valere non debere, ut in dubium vocemus, aut adeo negemus, praestare Latine, quam vernacule, de eiusmodi doctrinae argumentis scribere, quae scire omnium eruditorum, quocunque terrarum loco degentium, intersit. Quodsi porro Gallorum aut Germanorum linguae notitia et usus tam arctis finibus, quam Batavorum patrius sermo, includeretur, nullus dubitarem, quin utriusque populi scriptores, quamvis emtorum paucitatem non curarent, Latine potius scripturi essent, quam ut libris, oratione sibi patriâ edendis, se suam doctrinam suosque ingenii foetus cum exteris communicare non posse paterentur. Scio quidem fuisse, qui dicerent, linguam Latinam ideo non amplius puram et incorruptam esse, quod magistri in scholis et Academiis eâ nimis frequentes usi sint. Sed hoc perquam ridiculum et puerile est. Ab Academiarum nostrarum incunabulis

et ad illum perfectionis gradum perduxisse, ut nulli hodiernorum populorum linguae verborum copiâ, et dicendi formulis ubertateque cedat. Sed hoc nondum satis est: habeo alia, ad quae velim diligenter et cogitate mentem advertas. Omnino non est, quod Latine loquentes et scribentes vereantur, se id faciendo vernaculi sermonis patronos merito offendere, aut patriae linguae studio obesse. Quicumque enim vernaculo sibi sermone utuntur, si aequi et iusti esse volunt, uno ore profiteantur necesse est, praestantissimos quosque scriptores, ut scriptioni suae suavitatem et decus conciliarent, potissimum veteres auctores Latinos in con-

---

Latinus sermo professoribus in lectionibus habendis privus et proprius fuit; et, quod affirmare audeo, inde a saec. XVI. nusquam terrarum Latina lingua maiori in honore fuit, et in universum melius, concinnius et purius Latine locuti sunt viri docti, quam in Batavis.

Intelligamus igitur tandem, turpissimum esse, a maioribus patribusque acceptam laudem tueri aut non amplius posse, aut, quod turpius etiam, non velle. Enitamur potius, ut pristinum honorem nobis integrum servemus: Latine scribendo ostendamus, nos eos esse, qui omnium totius terrarum orbis eruditorum saluti consulere velimus. Utantur alii patrio sibi sermone, nos contra usurpemus illum sermonem, quem omnes vere eruditi intelligant. Sic Batavorum pristina fama incolumis et perennis manebit: sic non verendum erit, ne proveniant, quibus in mentem veniat suspicari (quae fortasse haud paucorum nostratium de multis exteris scriptoribus opinio sit) nos Batavos adeo inertes factos esse, nos a maiorum nostrorum moribus adeo degenerasse, ut Latine scribere non amplius possimus. Crepent alii, qui ad illam facultatem non adspirare, nedum assequi eam possint, nos arrogantes et inanis eruditionis affectatores esse; certe prudentissimi quique apud exteros aliter de nobis iudicabunt, et maximas gratias nobis habebunt, quod Latine scribendo id efficiamus, ut studia exercitationesque literariae nostrae ad ipsorum intelligentiam pervenire queant.

Nemo sane, quantum sciam, v. c. Gesnero, Ernesto, Heynio, Saxio, Ruhnkenio, Wyttenbachio et his similibus Literarum Latinarum assiduis cultoribus vitio vertit, quod Latine scripserunt. Istiusmodi lepidum commentum a Recensentium Recensente primum excogitatum esse opinor: nimirum ut ne, antequam ad

silium vocasse. Nonne apud Batavos *Vondelius,* quum iam ad provectiorem quodammodo aetatem pervenisset, Linguam Latinam didicit, quo melius veterum poëtarum veneres, sales et eximias omnino dotes perspiceret, harumque vim et elegantiam in patriam linguam suam transferre posset? Nonne apud Germanos *Gellertii, Wielandii, Adelungii* et sexcenti alii scitâ Antiquorum imitatione Germanam linguam potissimum excoluerunt? Quid de Franco-Gallis, veluti *Corneliis, Raciniis, Boilaviis* et infinitis aliis dicam? Nonne porro hi ipsi, quos linguam Gallicam quotidie tot novis vocabulis ditare videmus, in id praecipue incumbunt,

---

plures abiturus esset, nihil novi in re literariâ invenisse dici posset.

Sed fortasse Latini sermonis usus patrii sermonis culturae obest? Ita quidem statuit Recensentium Rec., sed vereor, ut rem acu tetigerit. Praecipui enim quique scriptores, qui patriâ sibi linguâ utuntur, in eo consentiunt, se ad orationis suae ornatum inprimis Latinos scriptores consulere, eorumque scriptis potissimum uti. Sed operae pretium est de hoc argumento legere Gesnerum in Isagoge, et Ernestum in Praefatione ad Init. Doctr. Solidioris. Quorum duumvirorum auctoritas, opinor, Censorum Censoris garrulitati longe anteponenda sit.

Nonne denique, qui de interioris eruditionis argumento scribunt vernacule, potius patrium sermonem suum corrumpunt, quam emendant? Quis enim serio contendere audeat, Censorum Censorem, Batave quamvis scribentem, recensendâ Epicrisi meâ et similibus libris patriae linguae studio et culturae prodesse, ubi ab ipso Graeca et Latina, quinetiam Gallica et Germanica (ut harum quoque linguarum haud ignarum se esse ostendat) Belgicis vocabulis interposita videt? Quid multa? qui talem materiam tractandam sibi sumunt, quae spectat ad literarum universitatis interiorem intelligentiam, hi nec imperitae multitudini se venditant, quod iste Censorum Censor facit, nec Horrearii ***erudito vulgo*** **scribunt, sed a rerum peritis legi et diiudicari volunt. Iam vero qui verba non intelligunt, res quoque perspicere nequeunt. At res et verba non perspiciunt, qui Graeca et Latina ignorant. Quâ de caussâ sententiae meae me non poenitet. Licet Censorum Censor dictatorio suo garritu mihi obloqui pergat, semper tamen in illâ sententiâ perseverabo, magis e re literariâ esse Latine de omnibus eiusmodi argumentis scribere, quorum notitia ad universam eruditorum civitatem pertineat."]**

ut linguam Gallicam pulcherrimae matris Latinae pulchram filiam esse ostendant, et ex praecepto Horatii*) curent, ut nova vocabula

Graeco fonte cadant parce detorta?

Quid, quod praeterea, qui patriâ linguâ non tantum in docendo, sed etiam in scribendo de rebus ad interiorem doctrinam pertinentibus utantur, illam non emendant, sed potius corrumpunt? Graeca et Latina sermoni suo immiscere coguntur, quoniam multa verba et dicendi formulae apte et commode verti nequeunt. Hinc oritur oratio hybrida, quae puritati sermonis patrii non admodum prodest. Denique quotquot in scholis Latine loquuntur, ab omnibus Latine doctis, quocunque loco nati sint, intelligi possunt. Quotquot Latine scribunt, non solis popularibus suis, sed universae eruditorum civitati, et omnibus omnino viris doctis, quocunque terrarum loco habitantibus, prosunt.**)

PH. At legi in eodem illo vernacule scripto libello, *Latini sermonis usum ob Latine doctorum paucitatem communi doctrinarum propagationi nocere.*

CR. Merae nugae! Ineptiunt, quicunque in istâ opinione versantur. In scholis enim Academicis, sive Theologicis, sive Medicis, tam Ictorum quam Philosophorum, maximam partem eiusmodi res tractantur, quae sine Latini Graecique sermonis scientiâ penitus percipi nequeunt. Atque idcirco videntur illi mihi verae eruditionis propagationi magis consulere, qui Latine docendo profanum vulgus a scholis suis arceant, quam qui lectionibus vernacule habitis ad ipsas semi-

*) Hor. A. P. 53.

**) Leg. *P. Burmanni* Orat. *De publ. Hum. Disciplinae Prof. proprio officio* p. 27. et sqq.

doctis et quadrantariis aditum aperiant, et sic eruditam civitatem proletariorum, ut ita dicam, catervâ onerent potius, quam viris doctis ornent. — Qui porro de interioris doctrinae materiâ Latine scribunt, illi non imperitae multitudini, verum peritis harum rerum sua opera legenda et diiudicanda offerunt. Quidquid igitur istiusmodi homines dictitent, qui Latini sermonis fautores obtrectant, ut patriae sibi linguae firmi et constantes patroni esse videantur, equidem non muto sententiam, sed semper prae me ferre perseverabo, Latinum sermonem in Academiarum scholis, et scribundis de doctrinarum disciplinâ libris, haud temere deserendum esse.

DEM. Attentas sane aures, Crito, sermoni tuo praebui. Quae de Literis Latinis, earumque singulis partibus disseruisti, mirum in modum mihi placuerunt. Perspicue Phaedriae sententiam tuam de unoquoque loco explicuisti, et tantâ ad persuadendum auctoritate fideque omnia enarrasti, ut de verborum et praeceptorum veritate ipsum nullo modo dubitare posse existimem.

MEN. Quin imo dent Dii, Crito, ut Phaedria diu adhuc huius sermonis recordetur, et in studiis doctrinarum salutiferis tuis consiliis obsequatur! Caeterum vero, quoniam pensum tuum ad finem perduxisse videris; liceat mihi paucula quaedam addere, quae ad confirmandam tuam sententiam de Latini sermonis usu haud inutilia sint.

CR. Gaudeo, sermonem meum, quem cum Phaedriâ habui, vobis non displicuisse. Sed magis etiam gaudebo, ubi illum Phaedriae utilem fuisse intellexero. Tu interim, Menedeme, noli quidquam reticere, quod Literarum Latinarum commendationi utile fore putes.

MEN. Non adeo multa habeo, quae dictis tuis addam: sed unum tamen, quod ad hanc rem, de quâ

ultimo loco egisti, inprimis mihi pertinere visum est. Nemo scilicet sanae mentis compos negaverit, posse aliquem sine Latini sermonis scientiâ artis Mathematicae et similium disciplinarum peritissimum esse, et ideo viri docti nomine dignum evadere. Verum, quicunque Latinae linguae cognitione destitutus est, optimo et praestantissimo discendi instrumento caret. Non ex ipsis doctrinarum fontibus, h. e. Veterum scriptis, haurire potest, sed rivulos, seu hodiernorum scriptorum vernacula opera, consectari cogitur. Porro in rebus Theologicis, in arte Medicâ, in Iurisprudentiâ et Philosophiâ magnos progressus facere vix potest. Theologum Literarum Latinarum ignarum vix Catechistae, nedum Theologi nomine dignum duco. Medicus huius linguae scientiâ carens, non medicus, sed agyrta vel circumforaneus iudicandus mihi videtur. Iurisconsultus, rudis et expers Literarum Latinarum, forte rabula aut leguleius evadat, sed verus et germanus Iuris peritus appellari numquam merebitur. Philosophus denique, si quid video, etsi multi libri de Philosophiâ hodiernorum populorum linguis conscripti sunt, sine Literis Latinis non illam rerum divinarum et humanarum scientiam sibi acquirere potest, ut egregio et magnifico Philosophi nomine reapse salutandus sit. Harum doctrinarum accuratâ suisque numeris absoluta scientia maximam partem e Graecis Latinisque scriptoribus petenda est. Quocirca harum rerum periti et idonei iudices initia discendarum harum doctrinarum a Latino sermone facienda esse statuerunt. Hanc linguam veluti fundamentum omnium doctrinarum habuerunt. Et quum haec ita sint, num quid stultius excogitare queas, quam in primâ pueritiâ et iuventute non nisi magno cum labore haec veluti fundamenta agere, et eadem illa mox tamquam supervacanea rursus

negligere, et, quae imberbis didiceris, adultior factus *perdenda fateri?*)*. Tu qui modo Batavos pro meritis laudasti, hos prae caeteris gentibus ideo etiam Latinitatis scientiâ excellere non animadvertisti, quod apud ipsos iuvenum aures in Academiis semper Latinis sermonibus circumsonent. Horum iuvenes quotidiano usu discunt, etsi discere sese ignorent. Sed hoc apud alias nationes, in quarum Academiis vernaculus sermo dominatur, plane contrarium est. Ibi iuvenes ad Academiarum scholas provecti dediscunt, quae in scholis inferioribus didicerint, nisi forte aut in melioris notae viros incidant, quorum auctoritate Literarum Latinarum studium legendis bonis scriptoribus alant, aut ipsi ad hoc faciendum naturae bonitate impellantur. Quin etiam mirum mihi videtur, qui adhuc fiat, ut in illis regionibus, ubi Latinus sermo ex Academiarum scholis, ut ita dicam, exstirpatus est, iuvenes Latinis Literis discendis vel minimam operam impendant, dum Professores patrio sermone lectiones habere sciant, ac non potius in illam opinionem delabantur, Latinae Linguae studium sibi magis poenae et oneris loco imponi, quam praemii et honoris gratiâ a scholarum magistris commendari.

DEM. Gratia igitur sit Diis, qui hanc iuventutem ab istâ vesaniâ adhuc incolumem servarunt!

CR. Probe dicis. Cavendum enim est, ne sermone nostro iuventutem ad praeiudicatas opiniones alendas potius admonere, quam ipsam ab istis absterrere videamur. Saepe praestat, quae fieri posse metuas, celare quam pronuntiare.

DEM. Verum, Crito, nihil adhuc nobis dixisti de discipulis. Fac igitur, ut Phaedria etiam ex te audiat,

*) Hor. II. Ep. I. 85.

quae discipulorum praecipuae partes sint. Persuasum mihi est, ipsum tibi fidem habiturum esse.

PH. Abiecti sane animi essem, si admonitionibus Critonis diffiderem. Scio et sentio, ipsum pro humanitate suâ et singulari erga me benevolentiâ, quam hodie imprimis mihi testatam fecit, bene mihi velle, et nihil non dicturum esse, quod aliquo modo ad futuram salutem meam valere queat.

CR. Mihi ipso gratulor, Phaedria, qui verba mea tantum ad animum tuum valuisse audio, ut me fide dignum auctorem habeas. Raro hodieque hoc boni maioribus natu contingit, ut personam praeceptoris, admonitoris, aut morum correctoris gerentes, apud minores gratiam ineant, nec potius morosi, difficiles, queruli, et importuni minorum castigatores vocentur. Quâ de caussâ quum te ex istorum malesanorum iuvenum catervâ eximendum video; antequam finem faciendam*) esse statuam, quae sint, aut certe mihi

*) Nondum me pudet poenitetque, tam in Ep. Sod. Socr. p. 399, quam h. l., ita scripsisse. Minime quidem me fugit, desipientis esse in errore perseverare, et Hippocratem iam, teste Quintiliano I. O. III. 6. 64, honestissime fecisse, quod quosdam errores suos, ne posteri errarent, professus sit; sed me non errasse ostendam. Horrearius hanc loquendi formulam, item ut alias, inter manifesta vitia, quae nullâ ratione defendi queant, ponit in *Strenâ* p. 117. Hoc ab ipso factum non esse mallem. Nam qui antea putavi, ipsum adhuc regularum Syntaxeos Vossianae memorem esse, nunc video bonum hominem illorum quoque oblitum esse. Dicit enim *Vossius* in Gramm. p. 26: „*Dubii generis sunt, quae sine discrimine usurpantur, nunc in masculino, nunc in feminino genere, ut hic, haec dies*, finis, *torques* etc.“ Neque sine Veterum Grammaticorum auctoritate hoc dixit, sed tam his, quam antiquorum scriptorum exemplis fretus ita scripsit. Et, licet Horrearii apud intelligentes homines hac in re nulla auctoritas esse potest, tamen ne tirones forte ab ipso in errorem inducantur, et opinentur sibi in Horrearii, ut viri Literarum peritissimi, decreto acquiescendum esse, Grammaticorum antiquorum sententias deinceps exponam.

Nonius Marcellus c. III. §. 90: Finem *masc. genere diximus*. Virg. Aen. X. 116. *Hic finis fandi* — *Fem.* Lucr. I. 108,

esse videantur, praecipua discipulorum Literis humanioribus operam navantium officia breviter tibi enarrabo.

PH. Gratum auribus meis nuntium afferes.

CR. In bono discipulo ante omnia requiritur studii assiduitas. *) Si ipsi sua salus cordi est, illam cum domi, tum in scholâ semper adhibere debet. Antequam ad scholam venit, domi diligenter scriptorem in scholâ tractandum praecipere et commentari debet. Ex hoc studio ipsi duplex inprimis commodum oritur. Primum, si aliquem locum bene se intellexisse anim-

---

Et merito nam si certam finem *viderent Aerumnarum homines.* Accius Phoenissis: *Neque ulla interea* finis *curis datur.* Virg. Aen. III. 145, Quam *fessis* finem *rebus ferat.* Caecilius Ann. L. V. *In* aliquam *huic bello finem facere.* Cassius Hemina Hist. L. IV. Quâ fine *omnis res atque omnes artes humanitasque aguntur.* Var. Meleagris, *Currere, vigilare, esurire, quando haec facere oportet* quam *ad* finem. Sisenna Hist. IV. *Et prope* mediam *ad* finem *ripae pervenerant.* Varro de Vitâ P. R. I. IV. *Ita belli huius horribilis* finis facta.

Donatus p. 1747. ed. Putsch. *Sunt nomina incerti generis inter masculinum et femininum, ut* cortex, silex, finis.

Priscianus L. V. p. 652. Finis *quoque tam masculini quam feminini generis usurpavit auctoritas in unâ eademque significatione.*

Cledonius p. 1895. *pro voluntate dicendum est,* hic finis fandi, *et,* quam fessis rebus finem ferunt.

Haec apud Grammaticos legimus, quorum testimoniis addi possunt antiquorum scriptorum alia loca, veluti Lucr. I, 552, *Denique si* nullam finem *Natura parasset,* I, 975, *et omne Cogit ut* exemtâ *concedas* fine *patere,* V. 284, *Sed quia* finem aliquam *pariendi debet habere.* — Varro de L. L. VII. p. 108. ed. Scal. (p. 79. no. 28. ed. Goth.) Quam *ad* finem. — Cic. de Leg. II. 22, quae finis *honestae familiae.* Ad Div. X. 32, *quorum quis* ullam finem *aut modum futurum putavit.* Ad Div. XII, I. Finem nullam *facio,* cf. ibi Kortius. — Virg. Aen. II. 554, Haec finis *Priami fatorum.* V. 384, Quae finis *standi.* V. 328. *sub* ipsam finem *adventabant,* XII, 793: Quae *iam* finis *erit coniux?* Gell. N. A. I, 3. p. 40: *Quatenus,* quâque fini *dari amicitiae venia debeat,* et mox: hac fini *ames.* VII, 3: *eo consilio* ea fini. XIII, 20: *hic tum verbis Probus et* hac fini *hominem dimisit.*

*) De praeparatione, repetitione, et omnino de iuvenum Academicorum officiis lectu utilissima et iucundissima scripsit *Wyttenbachius* in Praef. ad Sel. Princ. Hist. p. XXIV et sqq.

advertit, non modo incredibili quadam voluptate afficitur, et sibi ipse satisfacit, sed etiam nescio quo ardore ad maiores progressus faciendos incitatur; praesertim quum eo laus et commendatio magistri accedant. Deinde, ubi in locum perperam a se intellectum incidit, et rectam ipsius interpretationem aut ex ore magistri percipit, non tantum erroris sui fontem reprehendit, verum etiam discit, quomodo sibi a simili errore in posterum caveat.

In ipsâ scholâ attente auscultare debet, ut ne quid ipsius aures praetervolet, quod a magistro ad scriptorem melius intelligendum dicatur.

E scholâ rediens, statim ad alterum domestici studii pensum, ad repetitionem, accedere debet. Haec nec differenda, nec negligenda est. Si eam differs, periculum est, ne eorum obliviscaris, quae modo in scholâ audivisti, nec pennâ excepisti. Si eam negligis, te ipse summo bono privas. Repetitionis enim studium valet plurimum ad laboris constantiam perferendam, multum conducit ad memoriam firmandam, utilissimum est ad mentem magnâ bonarum rerum segete locupletandam. Neque tantum quotidie ipsius diei pensum repetendum est, sed finitâ dierum hebdomade totius hebdomadis pensum iterandum est: finito mense, totius mensis: finito anno, per ferias aestivas totius anni scholae denuo relegendae sunt. Qui hoc facit, cavet, ne quid e memoriâ sibi effluat, aut, ut ita dicam, in fumum et cineres abeat.

PH. Hoc mihi, utpote huic praeparationis et repetitionis studio iam a pueris adsueto, non admodum difficile ac molestum erit. Huc usque quotidie coram magistro hoc feci.

CR. Neque tamen his finibus omnia boni discipuli officia continentur. Praeparatio et Repetitio unice non

sufficiunt, sed eo accedere debet diligens et assidua bonorum scriptorum lectio. In scholis non omnes auctores explicari possunt. Satis iam est, si in iis magister interpretur unum vel alterum librum, v. c. Ciceronis, Virgilii, Horatii, aut alterius cuiusdam scriptoris classici, ut discant discipuli, quâ ratione ipsi reliquos libros legere debeant. Quicunque igitur ad accuratam Literarum Latinarum scientiam pervenire cupit, huic domi prosae in primis scriptores assidue legendi sunt, ut primum singulorum vocabulorum significationem perspiciat, deinde ipsorum compositionem et constructionem assequatur, et denique uniuscuiusque loci sententiam sibi aperiat, adhibitis reliquis doctrinis, quae pro cuiusque loci diversitate in consilium vocandae sint. Potissimum in Cicerone legendo posita sit ipsius diligentia. Hic scriptor ipsi ad alendam et formandam orationis facultatem dux sit; cui tamquam comites adiungat Nepotem, Sallustium, Iulium Caesarem, Livium, Tacitum, et alios antiquitatis scriptores optimae notae.

PH. Num igitur tantummodo prosae orationis scriptores mihi legendi erunt?

CR. Minime profecto. Legendi quoque sunt Terentius, Virgilius, Horatius, Propertius, Tibullus, Ovidius et alii praestantiores poëtae. Utriusque orationis, tam solutae quam ligatae, scripta cognoscenda sunt. Tam in his, quam in illis inest materia ingens, cum ad iuvenum ingenia formanda, tum ad sensum pulchri et honesti in ipsorum animis excitandum, et ad ipsorum pectora utilium rerum copiâ complenda. Sed antegredi debet, ut mihi certe videtur, prosae orationis lectio. Vidi enim iuvenes, qui a poëtis initium lectionis ducerent, eos numquam de manibus ponerent, eos summo studio quasi devorarent. Verum

quid his accidebat, quum ad prosae orationis scriptores legendos accingerentur? Frigebant ad solutae orationis elegantias, ubivis nescio quem carminis modum desiderabant, inter legendum obdormiscebant, numquam ad interiorem Latinitatis cognitionem, nedum ad bene Latine scribendi facultatem, perveniebant. Contra nullum adhuc offendi, qui in scriptis prosae orationis bene versatus, cum ad poëtas legendos accederet, horum veneres non perceperit, aut opera contemserit.

DEM. At quoniam Camoenae *alterna amare* vulgo dicuntur, forte etiam haud inutile sit Phaedriae, animi recreandi caussâ horis subsecivis recentiorum scriptorum opera pervolvere.

CR. Omnino perquam utiliter cum veteribus coniungi possunt quorumdam recentiorum auctorum scripta, veluti Mureti, Facciolati, Lagomarsini, Ernesti, Ruhnkenii, Wyttenbachii et similium; quorum opera proxime ad Veterum praestantiam accedunt. Sed, quod caput rei est, ut permansuros ex illis, quae legimus, scriptis colligamus fructus, cavendum est, ne in futuram, ut dicitur, oblivionem legamus.

PH. At ubi magistrum inveniam, qui memoriae artem me doceat?

CR. Valde dubito, an inventurus sis, qui hanc artem profiteantur, et eâ de caussâ tibi auctor sum, ut ipse magistri personam agas.

PH. Qui ego potero id facere?

CR. Id ego tibi paucis tradam. Quoniam raro quis tantâ memoriae vi excellit, etiamsi in illâ firmandâ quotidie occupatus sit, ut quovis loco et tempore in promtu habeat, quae antea legerit; e re adolescentum est, ut mature *Adversaria* sibi faciant, in quae memoratu dignas res, in compendium redactas, certo ordine referant, additis libri locis, e quibus hac epi-

tomae sumtae sint. Porro ut Lexicorum exemplaribus utantur, quibus charta pura interiecta sit, cui, quae ad singula verba et Grammaticam linguae rationem pertineant, inscribere possint. Hac consuetudine memoriae imbecillitati maxime succurrimus. Prioris studii fructus illa servat, et omnis sequentis literarii laboris fidelissima adiutrix est.

DEM. Nisi in adolescentiâ meâ salubre hoc consilium, quod tu nunc Phaedriae das, et mihi item a magistro meo olim dabatur, statim secutus fuissem, et librum mihi comparassem, in quo omnia Alphabetico ordine inscriberem, quae mihi aut legenti, aut ex alio audienti digna viderentur, quorum memoriam mihi servarem: si huic, inquam, praestanti consilio non obsecutus fuissem, nunc sane, quum superiori anno memoriam meam morbo valde imminutam esse sentiam, exiguus modo fructus pristini studii mihi superesset: quod nunc, factis adversariis, secus est. Nam etsi quis nec naturâ tardior sit, et memoriam semper exerceat, tamen multis modis fieri potest, quae est humanae naturae imbecillitas, ut mentis acies hebescat, et memoria infirmior fiat, quam velis, aut credas. Eaque de caussâ prudentis est, huius infortunii vim faciendis adversariis et excerpendis bonis libris maximam partem frangere et irritam facere.

PH. Ne igitur mihi ipse desim, auctoritas*) vestra

---

*) Est vocabulum πολύσημον, cuius varias significationes nemo melius et copiosius explicuit, quam Cl. *Ernestus* in Clav. Cic. — Inter alia opponitur haec vox *rationi*, et usurpatur de omnibus illis rebus, sive sint exempla, sive testimonia, sive sententiae, sive alia his similia, quibus loco argumentorum ad fidem faciendam utimur, et alios ad credendum impellere conamur. Atque hoc sensu *auctoritates* etiam plurali numero in usu est. Cic. de N. D. III. 4: *Sed tu* auctoritates *contemnis*, ratione *pugnas*. Pro L. Man. 17: *Omissis* auctoritatibus, *ipsa re et* ratione *exquirere possumus veritatem*. Quintil. I. O. I. 13. §. 7.

mihi legis instar erit. Adversariorum faciendorum operam inchoabo, et omnia sedulo annotabo, quae mihi digna videbuntur, quorum aliquando recorder, et quae in posterum recognoscam.

MEN. Fac itaque, quae hodie audivisti, Phaedria, ex ore Critonis, ut intimis infixa medullis tibi haereant. Via tibi indicata est, quae ad veram eruditionem ducat. Dixisti, te Graecis Latinisque Literis in Academiâ adhuc operam navare velle: hoc tibi per me licebit. Sed hoc unum modo volo, ut rectâ ratione hisce Literis studeas, scholis Professorum attente intersis, domi partes tuas strenue agas, eodem modo ad Graecarum Literarum cognitionem, quam ad Latinarum, pervenire coneris, et omnino re ac factis ostendas, *te numquam minus otiosum fuisse, quam quum otiosus: numquam minus solum, quam quum solus fueris.* Ego sane ad hanc usque diem tibi luce clarius ostendi, me non solum naturâ, sed etiam curâ, liberalitate, pietate parentem tibi fuisse. Te a pueris probi et honesti disciplinâ imbui curavi: magistrum tibi dedi, qui, etsi non omnia praeceptoris officia explevit, tamen minime talia te docuit, quae non didicisse melius sit. Neque in posterum tibi paterna liberalitas et amor meus deerunt, modo spei et exspecta-

---

Verum, si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc relictis magistrorum auctoritatibus *sequemur.* Plinius I. ep. 20, ubi scribit, sibi frequentem disputationem fuisse cum quodam docto homine et perito, cui nihil aeque in caussis agendis ut brevitas placuerit, mox addit, ut ostendat, illum non argumentorum vi sententiam suam probasse, *Hic ille mecum* auctoritatibus *agit, ac mihi ex Graecis orationes Lysiae ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimae sunt circumcisae et breves.* — Quid igitur sibi voluit *Horrearius*, scribens in *Strenâ* p. 135: „*Tum* auctoritates *memorat* vanas (Wyttenb. in V. Ruhnk. p. 106): *quem sensum nescio an vox* auctoritas *in formâ plurali ferat?* Hoc ipse videat, siquidem alios hoc vel divinando assecuturos haud facile crediderim.

tioni meae satisfacere pergas. Haud desine futurorum magistrorum admonitionibus et praeceptis bene uti. Semper tibi persuasum sit, te bene vivendo et strenue laudabiliterque discendo mihi et patruo, parentis loco item tibi colendo, voluptati et laetitiae, patriae ornamento et utilitati, tibique ipsi in perpetuum saluti futurum esse. Quod animi mei votum D. O. M. aliquando ratum habeat, etiam atque etiam precor et opto.

CATHARSII

A WYTTENBACHIO SCRIPTI FRAGMENTUM.

Philomath. L. I. p. 85 — 121.

Accede porro, inquit Critobulus, ad Latinam scriptionem: quamquam in hac sibi consuluit, tua scripta describens, indeque centonem suum consuens: tamen in suturis, et ubi de suo quid assuit, sordes et inficetiae apparent; ut verear, ne longum et molestum tibi hoc pensum futurum sit.

Longum, inquam, et molestum; paucae enim sunt paginae sine ulcere: compositio quidem ubique laborat, ut infinitum sit eam persequi: et satis vos habere velim, si hanc labem non nisi in locis insignioribus attigero, caeterum verba dictionesque strictim notavero.

Utcumque feceris, inquit, ita nobis gratum erit; valde enim istam partem cognoscere cupimus.

Itaque, inquam, in primo statim ingressu ter offendit: ubi scribit — „Vixdum *quatuordecim praeterlapsi erant dies* a morte filii mei — cum libellum tuum, qui partem *constituit* Bibliothecae Criticae ul-

timam, a bibliopolâ missum accepi.“ Primum *quatuordecim dies* *) genus loquendi novitium; si Gallus fuisset, dixisset *quindecim dies:* ergo est ille Belgicismus, ut hic Gallicismus: rectius, *dimidiatus mensis*.

*) *Mahnius* in Epp. Sodall. Socratt. p. 126 sqq. „De illo *quatuordecim dies*, inquit, *quidni possit eâdem ratione dici, quâ undecim, tredecim, viginti dies?* Quasi vero Philomathes negasset, *quatuordecim*, si definite hunc numerum significet, Latine tam recte dici quam alium quemvis numerum? ac non diserte affirmasset, *quatuordecim dies*, indefinite pro tempore circiter dimidii mensis, non bonae esse Latinitatis, sed hodiernae consuetudinis, ut Gallicum *quindecim dies*. Hic tu raticulas colligêns, frustra es; nam usus quaeritur. Tum negans sic Gallice dici, eius sermonis et scientiam affectas, et ignorantiam prodis. Nemo vel mediocriter illius sermonis peritus ignorat, *quindecim dies* dici, ut Belgice et Germanice *quatuordecim dies*. Si vero etiam auctoritatibus opus est, vid. Lexica (v. c. Dict. Acad. Franc. ed. Berol. 1801, 4, cum interpr. Germ., item Dict. de Roux, et Fr. Belg. de Marin in v. *Quinze*): quorum loca apponere nihil attinet.

Denique in laqueum te induis, unde quomodo te expedias, ipse videas. *Ego*, ais, *definite* quatuordecim *dies*, non vero plures, *significare volebam*, *ipsique illi dies nondum plane praeterierant*. Primum nemo tibi credet, te *definite* loqui voluisse: in istiusmodi enim, quam tu narras, re nemo curat, nec refert scire utrum omnino et absolute tot dies, an uno alteroque pauciores pluresve fuerint. Deinde rursus laberis in Latinitate. Nam particula *Vixdum* significat eam rem, de quâ dicitur, iam *plene praeteriisse*. Vide exempla in Lexicis: plura etiam in libris *De Particulis*, veluti Parei p. 460, Tursellini p. 911: quibus adde Drakenb. ad Liv. XXXII, 28. Sic a Belgicismo ad Soloecismum confugis. In prosâ numeri suis nominibus ponuntur, vel *definite* simpliciter, v. c. *quatuordecim*, vel *indefinite* addita particula *circiter*, vel simile, veluti Caes. B. G. I, 15: *dies circiter quindecim iter fecerunt*. Colum. XI, 2, 3: *dimidius mensis;* quod mox dicitur *quindecim dies*. Ibid. §. 6. *semestrium*, ubi varia lectio dat *semimenstruum:* sed utrobique definite: ut Plin. H. N. XIII, 36: *quatuordecim dies:* quod modo dixerat *diebus bis septenis*. Cic. Verr. II, 52, et Tusc. Qu. II, 16: *dimidiatus mensis:* quod quomodo a *dimidio* differat, ex Varrone disputat Gell. III, 14. Cf. Bud. Comm. L. Gr. p. 1107. Sic etiam loquitur Censorinus de D. N. c. 18. p. 91, *lunares* XII. *menses et dimidiatum*. Poëtae vero etiam ornatus caussa nomina subinde circumscribunt: veluti ubi pro *quatuordecim* dicunt *bis septem*, ut Virg Aen. I, 71: *Sunt mihi bis septem*. Ovid. Met. XI, 301: *mille procis placuit, bis septem nubilis annis*.“

Tum *praeterlapsi:* *) nil frequentius hodie, nec tamen Latinum: praeterlabitur fluvius, rivus, nos praeterla-

*) *Mahnius* l. l. p. 128 sqq. Iam de verbo *praeterlabi* endo coelo sibi collocatus Paulus videtur; nactus duos locos, ubi Philomathes item posuit. At in altero quidem Bibl. Crit. XI, p. 97. operam ludit: dicitur ibi pro *tot annos elapsos esse* rectius poni *praeterlapsos esse, praeteriisse:* neque repugnat dictum in Catharsio p. 86, ubi *praeterlabitur tempus* non absolute improbatur, sed relinquitur eo sensu, quo notat *sine fructu nostro, non animadversum, praeterire:* idque erat, quod Philomathes illic volebat. Tempus dicitur *labi, praeterire:* at illo sensu, de quo agitur, *tempus praeterlabitur* nondum, quod sciamus, idoneo exemplo confirmatum est. Columellae est *praelabi* XI, 1, 29: *praelabentis vero temporis fuga quam sit irreparabilis, quis dubitet?* nec dubia est lectio, siquidem in compositis verbis *prae* pro *praeter* haud infrequenter occurrit, ut notat Burm. ad Petron. p. 606, Munck. ad Hygin. p. 332, Rutgers. Lect. Venus. p. 315. Sallust. B. I. XLI. *dilapso tempore*, significavit inutiliter lapsum tempus. Altero autem loco, Bibl. Crit. V. p. 115, omnino sic posuit, ut nunc improbat. Qui si meminisset, se id alibi sic posuisse, certe monuisset, quo est candore, *se quondam item perperam hoc verbo usum esse, postea rectiora didicisse, nec, quamvis observantem, exemplum huius usus idoneum in Veteribus reperisse.* Hoc si dixisset, nemo eius reprehensionem reprehendisset. Elegantissimis profecto scriptoribus, et Veterum Luciano, et Recentiorum Ernesto, Ruhnkenio, Mureto, voces exciderunt, quas in aliis notaverunt. Quis autem meminisse potest in tam multis suis scriptis, quodnam quoque loco vocabulum posuerit? Puerilis profecto est stultitia Pauli, persistere in errore, et corrigentem confutare velle eo, quod ipse aliquando erraverit. Sic omne tolletur corrigendi et docendi officium. Nemini alium corrigere licebit, nisi ei, qui numquam ipse erraverit: qui adhuc nemo mortalium repertus est. Muretus, Ernestus, Ruhnkenius, summi in Latine scribendi facultate viri, multa vocabula usurparunt iuniores, quae ipsi seniores repudiarunt et in aliis castigarunt. Testes sunt Ruhnkenii altera editio Elogii Hemsterhusiani, testes eiusdem annotatio in editionem Mureti. Philomathes, quamvis iam XI. abhinc annis bene scribere existimatus, tot annorum spatio Latinam linguam legendo et scribendo usurpans, multa, quae antea nesciebat, didicit; ut fieri non potuerit, quin quaedam olim posuerit, quae postea minus recte posita agnosceret: quorum fortasse nonnulla etiam sint ab ipso alibi, et in hac Appendice a me aliisque Sodalibus reprehensa. Certe ad eum finem profecit, ut Paulum optimo iure corrigere posset: nec ius corrigendi per admissos veteres errores tollitur, sed per eosdem correctos confirmatur. Et quâ diligentiâ correxit Pauli libellum, eamdem adhibere solet scriptis amicorum, si qui eum hoc rogant. Eoque in negotio subinde improbat voces ac dicendi formas ab illis viris aut a se

bimur navigantes locum: *labi* tempus dicitur: *praeterlabi* possit dici, si nullo cum fructu nostro praeterit: rectius hoc ipsum ponitur *praeterire*, *abire*, *intercedere*. Denique *qui partem constituit**) *Bibliothecae Gr.:* immo, qui *pars est Bibliothecae ultima*, *quo pars Bibliothecae postrema continetur:*

Pag. 2. „*efficere* nolens, ut ad praesentis — doloris vehementiam novus — accederet." Rectius erat hac in sententiâ, *facere*, *committere*.

Ibid. „*morosi ludimagistri.*" Inepte: hi *saevi*, *iracundi*, dicuntur.

Pag. 3. „*ut multa garrias, quae cum plane falsa, tum maxime etiam odiòsa sunt, et quae si veritati essent consentanea — bonis viris risum moverent, nunc vero illis omnibus bilem atque stomachum.* Ut sensus saltem dispiceretur, quaedam omisi eum obscuriorem facientia. Compositio plane barbara et ratione carens; quam ipsa, de quà dicitur, bilis turbaverit.

Pag. 4. In eodem est genere hoc: „*quae tibi, sive nomine expresso, sive personam nomenque Philalethis cuiusdam ac Critobuli mentito, de me narrare libuit.*" Deinde, quid illud *expresso* sibi vult? Quod cogitabat, sic rectius dicendum erat: *quae tibi sub*

ipso quondam usurpatas; idque admonitus ab amicis, in indicandi officio pergit, quaerens, quid dictum sit, non quis dixerit: omissâ personâ, rem ipsam spectans."

*) *Mahn.* l. l. p. 135. *Verbum* Constituere, ait, *inveniri in scriptis multorum virorum cum doctrinae laude, tum ingenii excellentium elegantiâ, qui, ut* Donati, *in aliquo ad* Terentium *loco, verbis utar*, consuetudine magis, quam ratione ita dixere. Hos igitur auctores habet Paulus, quorum aemulari negligentiam potius exoptat, quam aliorum diligentiam. Sed bonus homo hic totis bis mille annis a veritate aberrat. Poterat id Terentius dicere, seque auctoritate Naevii, Ennii, Plauti, tueri: quorum rationem in componendis fabulis sequebatur. Quid vero hoc Paulo prodest ad defendendos suos barbarismos hodiernorum hominum doctorum exemplis?"

nominibus fictis, et personis, sive veris sive simulatis, Philalethis et C. d. m. n. l.

Pag. 5. „maximus hic *ausus* videri possit.“ Non proba vox: *ausum*, *audacia*, requiritur.

Ibid. „*quod* igitur Latine ad te *scribam*, minime hoc eo a me consilio fit, ac si — tecum hac in re contendere *vellem*.“ Temporum ac Modorum rationem ignorat: Latinum erat, vel, *quod — scribo — velim*. Et quia hoc loco effectus cernitur, poni debebat, *ut*, pro *quod*; siquidem hoc effectum, illud caussam significat.

Ibid. „neque in alio *forsan* terrarum loco.“ *Forsan* *)

*) *Mahn.* l. l. p. 139 sq. *Forsan* in prosâ dici, ineptis ratiunculis defendis, et sordidis in Philomathem conviciis. Locos duos e Lexico Facciolati memoras, simulans, te a te ipsum eos habere. Alter est Curtii, *laudatissimi Historici*, ut ais: in quo ignorantiam denuo tuam prodis; neque enim ut *historicus* multum habet auctoritatis; nec praecipuam orationis laudem, ita tamen, ut in hac non omnino contemnendus sit. Alter est Terentii Andr. V, 5, 1: *poetae*, inquis, *cuius fabellae, propter elegantiam sermonis, putabantur a Laelio scribi.* Hunc tu locum ex prolegomenis editionum Terentii, non ex volumine Epistolarum ad Atticum habes, quod numquam legisti; alioquin vidisses, eum contra te esse. Atticus reprehenderat Ciceronem, qui VI, 9, scripserat *In Piraeea quum exissem:* hic respondet VII, 3, magis se reprehendendum esse, quod *Piraeea* scripsisset, quam quod *in* addidisset, itaque de *Piraeeo* ut *loco*, non ut *oppido*, δήμῳ, locutus esset: sic tamen dixisse non modo Caecilium, sed etiam Terentium, cuius fabulae propter elegantiam sermonis putabantur a Laelio scribi, *Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piraeeum:* hunc se secutum esse: *sed*, inquit, *quoniam Grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magnâ me molestiâ liberabis.* Ergo apparet, Ciceronem ipsum et indicasse Attici reprehensionem non sine ratione factam, nec in Terentii exemplo satis sibi esse praesidii: et tantum de h. l. dicere se secutum esse Terentium, non autem de totâ suâ scribendi ratione, quod Paulus perperam conficere vult, omnia miscens, undique compilans; ut, qui sic Terentium sequatur, *pessimus prosae scriptor*, *minimusque in dicendo homunculus et Ciceroni dissimillimus* habendus sit. Et *forsan* non nisi semel dixit Terentius: qui caeterum in verbis, et magis etiam in compositione, per archaïsmum et metri necessitatem, sic loquitur, ut in prosâ non nisi cum iudicio ac delectu sequendus sit. In Curtii loco III, 2. 11, et Hirtii Bell. Afr. 45. 2, quos

poëtis relinquendum, nec in prosâ oratione usurpandum.

Pag. 6. „Latine quam Belgice ad te scribere malo, tum quod *ita tuo mihi exemplo praeivisti.*“ Et Belgice dictum, et re falsum. Latine dicitur *alicui verba, aut verbis, praeire:* non item, *exemplo cui praeire.* Quod si vel maxime Latinum esset, tamen alium sensum haberet, ac vult Horrearius, hunc scilicet, *me ideo Latine scripsisse, ut isti exemplum, quod sequeretur, darem.* Neque enim exemplum ei dare volui, aut omnino, ut Latine scriberet; minime vero, ut tam male scriberet.

Ibid. „in Bibliothecae tuae *prooemio*“ non hoc est *prooemium*, sed *Epistola.*

Pag. 8. „tuo tamen L. haud ingrata fuerit narratio, mihi certe aliisque *inter lectores* iucundissima.“ Barbarismus. Quidni *lectoribus, legentium?* Sic et alibi peccat.

Pag. 9. „sapientis est — illud studium — pru-

---

item habet Lexicon Facciolati, pro *forsan* codices scripti dant *forsitan.* Sed dicis, hodiernos homines doctos *forsan* usurpasse: in his Valckenarium, quem res magis ipsas, *id quod sapientis esse* ais, quam verba perpendisse. Nihil poterat insanius dici: primum quod tuos errores exemplis magnorum virorum tueris, quos aliae virtutes et doctrinae dotes hac reprehensione eximunt. Deinde Valckenarii studium, ut summi in Graecis Critici et Grammatici, nonne in *verbis* versatum est? In Graecis, inquis, non in Latinis. Ergo Graeca verba sunt res, Latina autem verba sunt verba? *Forsan* in Bibl. Crit. Vol. II, P. III, p. 76, quamvis ab alio scriptum, tamen Philomathi tribuere, est Horrearii dialecticum acumen. Illud festivum est, quod ait, Graevium quoque *forsan* posuisse in notis ad Cic. Off. II, 9, p. 217, *hoc* forsan *ex ipsa beneficii natura intelligemus*, quae verba sunt Rachelii. Omnino a Mureto *forsan* positum T. I. p. 640, si attendisset Ruhnkenius, non praetermissurus erat; qui huius particulae in prosâ usum, ut ex Philomathe audivi, improbare et in discipulorum scriptionibus notare solebat. Doctissimus Grammaticus Charisius ed. Putsch. p. 165, *forsan* et *forsitan* poëtis relinquemus.“

denter moderari, *finique graviori submittere.*" Formula ex illo philosophiae scholasticae studio, quod Horrearius profitetur.

Ibid. „ut ipse in tuis *δευτέραις φροντίσι post* Platonem *observas.*" Duo errores. Nec enim *post* Platonem, sed *secundum* Platonem, ipso auctore, hoc facio. Neque *observo*, sed *dico, moneo, doceo.* Haec vulgo ab imperitis confunduntur.

Pag. 10. „*hominem sui plenissimum.*"*) Quod, ut alia convicia, passim in me iacit, non laboro. Quod iste vult, hominem superbum et arrogantem,

*) *Mahn.* l. l. p. 142. sqq. „Tuum tibi solitum *plenus sui* defendere studes Horatiano versu, *Quo me, Bacche, rapis tui plenum?* quasi haec sint gemina, et ex prosae scriptore. Hinc tu cogere vis, *plenus sui* etiam probum esse: eiusque rei caussa duas paginas transscribis ex meâ Epicrisi p. 14, ubi ostendi, multa Latine dici posse, etiamsi in Veterum libris non iisdem verbis posita essent, siquidem cum iudicio ac delectu fiat. At tu facis sine iudicio ac delectu: mea haec dicta mordicus tenes, et ad defendendam temeritatem tuam confers; similis Pisoni illi (Cic. Or. in Pis. 28), qui „*simulatque audivit, a philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur. Graecus primo distinguere atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iste claudus, quomodo aiunt, palam retinere quod acceperat; testificari; tabulas obsignare velle; Epicurum disertum dicere.*" — *Plenus Dei* dicitur et Graecis in oratione poëticâ aut priscâ, v. c. Aristoph. Ran. 1053: *δρᾶμα Ἄρεος μεστόν*: Bias in Plut. Conv. Sap. p. 150 B: *οὐ δέδια τοῦ θεοῦ μεστὸς γενόμενος μὴ ἀθαρσέστερον ἀγωνίσωμαι*: sed longe diversâ ratione, atque tu facis. Veteres Deum cogitabant, qui extrinsecus in hominem veniret: at in tuâ dictione, quomodo cogitari potest homo extrinsecus veniens in se ipsum, seque ipsum replens? Sic si semel tuam licentiam in fingendis novis dictionibus admiserimus, licebit etiam dicere *vacuus sui*, et alia multa inepta, nec temeritas exitum inveniat. Fateare potius, te illud ex hodiernâ loquendi formâ suscepisse. Quereris, quod Philomathes reprehensionibus tuae orationis nullas rationes addiderit. Is vero saepius addidit: ubi omisit, res per se manifesta, et simplex notatio *Sapienti*, ut proverbio fertur, *sat erat*: tibi Pisoni frustra adhiberentur, qui capere rationes nec posses, nec velles."

sibi unice placentem, se suaque mirantem, Latini non dicunt.

Ibid. „honoris amor — *quomodo* — animum — in furorem coniicere valeat.“ Belgice, in primis in *quomodo*, ubi Latinitas vult *ut*.

Pag. 11. „Nonne palam ipse fecisti, magno te irarum aestu — *incensum* et fere *extra te raptum*, animum ad scribendam illam epistolam appulisse“ Bella dictio Latina! quae Horreario insedit ex illo Pauli Apostoli 2 Cor. XII: 2—4, scribentis, *se sive in corpore, sive extra corpus, in tertium coelum abreptum fuisse.* *) Virgilianum illud, *irarum fluctuat aestu*, arripiens, a metaphorâ decidit: iratus enim *fluctuat aestu*, non *incenditur aestu.*

Ibid. Vim nominis *universus* ignorans cum larvis pugnat: quod supra vidimus.**)

---

*) *Mahn. l. l. p.* 144. „Mox Philomathem, arguentem illud tuum dictum *extra se raptum*, redarguere conans, *quasi*, inquis, *omnes, qui hanc, haud infrequentem, phrasin adhibuerunt, unquam de hoc Pauli Apostoli loco cogitarint!* Quod acumine tuo prorsus dignum est: quasi homines bene scribere volentes, dictione minus probâ uterentur, si cogitarent, unde orta esset.“

**) *Mahn.* l. l. p. 91 sq. „Philosophus *universe* omnem philosophiam debet cognitam habere, *proprie* autem et *peculiariter* gravissimas et praecipuas eius partes: si omnes pariter, id est singulas et universas, et quo plures quoque accuratius perspectas et pertractatas tenet, eo maior est philosophus: sive eas scriptis explicuerit, veluti Aristoteles, Theophrastus, Chrysippus, Panaetius, Posidonius, Cartesius, Wolfius; sive non item, ut Plato, Leibnitzius, et si qui alii. Nunc usum Latinitatis disce. Ciceronis est de N. D. II, 65: *Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet.* Lege sequentia in ipso libro. De Inv. I, 24: *Non incommodum videtur, quamdam sylvam atque materiam universam, ante permixtam et confusam, exponere omnium argumentationum: post autem tradere, quemadmodum unumquodque genus caussae, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmare oporteat.* Or. pro Sext. C. 2: *Sed, quoniam singulis criminibus caeteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere vitae, de naturâ, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandae salutis communis atque otii: contendamque, si*

Ibid. „*mox iterum:*" Immo, *mox contra.*

Ibid. „Cuius rei — exemplo sit, quod Kantium —

---

modo id consequi potero, ut in hac confusâ atque universâ defensione, nihil a me, quod ad vestram quaestionem; nihil quod ad reum; nihil, quod ad rempublicam pertineat, praetermissum esse videatur. Ad Att. Ep. V, 2: *In Cumano cum essem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius: cui, deposcenti mea mandata, caetera universe mandavi, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis provincias.* Alia rursus moves p. 85, quae ad istam tuam interrogatiunculam redeunt. *Dic igitur*, inquis, „*sodes, quomodo haec inter se cohaereant, ut, cui* omnino *desint Literae ac Philosophiae historia, idem scientiâ philosophiae ita excellat, ut rationum metaphysicarum tractatione exercitatus esse iure dicatur?* Duo tibi respondebo, Paule V. H. C.: alterum de *re*, alterum de *verbo*: re te prodere tuam in Historiâ Philosophiae ignorantiam: verbo vel inscitiam Latinae linguae, vel calumniandi audaciam, vel utramque, siquidem utraque tibi propria est. Philomathes sic posuit: *Omnino, ultra quam philosophum decet, Literae ei defuerunt; ut in Historia Philosophiae vix supra Spinozae et Cartesii aetatem progressus videatur.* Hoc tu interpretaris ac reponis, quasi dixisset, *cui Literae omnino desint, ut fere nec de Spinozâ, nec de Cartesio unquam audierit.* In quo multiplex tua est inscitia, quae te ad omnem interpretationem ineptum ostendit. Primum idem esse putas, utrum *omnino* in principio sententiae, nec ne, ponatur: utrum dicatur, *Omnino, fuit rudis Literarum*, an vero, *Fuit omnino rudis Literarum.* Atqui prius sententiam universe affirmat, quasi dicatur, *Certo* (sic est,) *fuit rudis Literarum:* alterum autem idem valet, ac *Fuit Literarum penitus* (prorsus, plane) *rudis.* Nisi enim ita esset, quo pertinuisset notationem termini, quousque, addere, *ultra quam Philosophum decet?* Qui enim *penitus est rudis*, ille nihil habet peritiae, in nihilo nulli sunt gradus, non est plus aut minus nihilum. Illâ absolute negante significatione, dicendum erat, *Fuit Literarum omnino rudis: quod philosopho prorsus est indignum:* aut similiter. Et ut hac in te utar particulâ, *omnino vacillas, Paule H. V. C, in Grammaticâ et Dialecticâ, ut ne Enunciationum quidem fines et varietatem recte teneas.* Sic autem in principio ponitur v. c. ap. Cic. Ep. ad Div. XIII, 38: *Omninò nunc ipse Bruttius Romae mecum est.* Ep. 42: *Omnino ostenderunt Bulliones, sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfacturos.* De Off. I, 25: *Omnino qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant.* Alios locos, unde usum vocabuli discas, v. ap. Tursellin. De Partic. p. 536, et huic subinde praeferendum de eodem argumento scriptorem, Ph. Pareum p. 320: pauciores ap. Ernestum in Cl. Cic. Porro finium ignoratio apparet in eo, quod, *vix supra Spinozae et Cartesii aetatem progressum esse*, idem esse existimas, ac *fere nec de*

ut universae scientiâ Philosophiae excellentem *proponas.*" Belgicismus, et ignorantia rationis Modorum, Indicativum postulantis: rectius fuerat, *laudas, celebras.*

Pag. 12. „*producit* febrim quartanâ peiorem." Verbum hac notatione in scholasticâ philosophiâ tritum, ut sit *facere, creare.* Latinis dicitur *producere natos,* i. e. procreare natos: caeterum est, in *conspectum educere,* item *provehere, augere.*

Pag. 13. Compositio soloeca in his verbis: *Quo igitur nisi in primis et illud referatur.*

Ibid. „quo *quisquam.*" Vitiosum, pro *quo quis,* vel *quo quisque.*

Ibid. „eo *quoque* se gerat modestius." ex Belgicismo additum.

Ibid. in notâ. „hoc *verbi caussâ* finxit." Usurpatur in exemplo ponendo: cui hic nullus est locus.

Pag. 14. *subindicas.* Verbum nullius auctoritatis.

Cartesio nec de Spinozâ unquam audivisse: imo valet, *vix ad eos progressum esse, qui ante Spinozam et Cartesium fuerunt;* si quidem hi duo ponuntur ut antiquissimi, quos propius norit Kantius: Spinoza autem, ut iunior Cartesio, huic tamen in adscendente gradatione praeponendus erat; quem tu ordinem migrans, rursus finium confusionem fecisti. Porro quod ad rem attinet, ipse tuam in Philosophiae Historiâ ignorantiam prodis, cum pronuncias repugnare, ut is, qui literarum et Historiae Philosophiae expers sit, idem excellat acumine et rationum metaphysicarum exercitatione: et id ignoras, quod Philomathis discipuli norunt, plerosque omnes Medii Aevi Philosophos et Scholasticos in hac fuisse caussâ, Anselmum, Roscelinum, Petrum Lombardum, Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, Raymondum Lullum, Iohannem Duns Scotum, Durandum de Santo Porciano; aliquanto minus literarum expertes, sed tamen mediocriter participes, Cartesium, Mallebranchium, Lockium, Wolfium, magnos in philosophiâ viros: qui tamen maiores etiam futuri fuissent, si ad hanc facultatem Literarum Historiaeque copiam adhibuissent. Denique tuum illud rursum incredibile in hac quaestione accidit, quod tu, qui per totum hoc caput nihil nisi nugatus, calumniatus, conviciatus sis, tamen Philomathi obiicias *incredibilem in mentiendo et calumniando audaciam, dicam an insaniam.* Hoc profecto hominis est audaciam in virtutibus ponentis!"

Pag. 15. „Dum enim *ab unâ parte* tuam admirari debeo in scribendo elegantiam — *ab alterâ parte* facere non possum quin caet.“ Merus est Belgicismus.

Pag. 16. „cum quarum mulierum negotio tibi Categoriarum negotium *honoris caussâ* comparare placuit.“ Non intellexit, quid diceret. Nec honoris, nec contumeliae, sed perspicuitatis caussâ, comparatio facta est.

Ibid. „*prolixe* recensere. Est haec dudum explosa nominis et adverbii significatio, quâ vulgo a novitiis usurpatur pro eo, quod dicendum est *fuse*, *copiose*, *verbose*.

Ibid. deinceps „si cuncta *prolixe* recensere vellem, *quibus te turpiter dedisti*.“ *) Scribendum erat, *quibuscum*, vel *cum quibus te turpiter dedisti:* certe praepositio addi debebat, v. c. *in quibus te turpiter dedisti*. Est haec singularis dictio Terentiana Eun. II, 1, 24: quam homo confudit cum frequenti, *alicui vitio se dare*; itaque Ablativum pro Dativo accepit.

*) *Mahn.* l. l. p. 147 sq. „Tueris tuum illud, *quibus te turpiter dedisti*, quod Philomathes p. 91. monuerat dicendum fuisse exemplo Terentii, Eun. II, 1, 24: *quibuscum te turpiter dedisti*. Tu vero ais: „*Apud hunc enim scriptorem legimus*, mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo.“ Calumniatorie citas, omittens reliqua, in quibus robur argumenti inest, *cum meo decrepito hoc Eunucho*. At, inquis, praepositiones *cum* et *in* multis aliis in phrasibus *intelliguntur:* rectius dixisses *subaudiuntur*, vel *licet omissae tamen intelliguntur*. Est sane, ubi id valeat: sed non promiscue ubique, nec certe in hac dicendi formâ, quae est singularis exempli; itaque retineri debet, non omissâ praepositione. Sane *quibus te turpiter dedisti* nemo probabiliter Latine sciens aliter accipiet, quam in Dativo, ex illâ frequenti phrasi *dare se alicui* v. c. *vitio*. Eamdem vim necessitatemque praepositio *cum* habet in similibus Terentianis dictionibus, v. c. Phorm. III, I, 1: *multimodis* cum *istoc animo es vituperandus*, v. 8, 37, *I hinc in malam rem* cum *istac magnificentiâ*. Andr. II, I, 17, *Abin hinc in malam rem* cum *suspicione istac*. V, 4, 37, *dignus es* cum *tuâ religione, odium*. Eun. I, 2, 73, *Egon' quidquam* cum *istis factis tibi respondeam*, i. e. tibi talia facienti. Heaut. IV, 6, 6, *Ut te Dii* cum *tuo ipso invento perduint*. Ad. IV, 6, 1, *ut, Syre, te* cum *tuâ monstratione perdat Iupiter*.“

Ibid. „*plurimorum*, quos in hac re commisisti errorum, *praecipua pars*, nuperrime (initio nempe mensis proxime *praeterlapsi*) a quodam censore Belgico, harum literarum peritissimo, *sedulo* notata docteque reprehensa *fuit*.“ Vitiosa et sententiae adversans constructio, *plurimorum praecipua pars*: volebat, *errorum, quos plurimos in hac re commisisti, praecipua pars*. Tum elegans parenthesis, ornata insuper nomine *praeterlapsi*. Porro, sedulo minime censori honorificum; quippe magis voluntatem, quam facultatem, significans. Atque his duobus verbis inscite usus Horrearius, tamen invitus verum dixit: illum censorem in me censendo mensem perdidisse, et plus voluntatis quam facultatis attulisse. Denique postremum *fuit* vitiosum est in temporum consequentiâ, quae postulat *est*.

Pag. 17. „ne *ab unâ parte* actum omnino agere videar, *ab alterâ* locum hunc prorsus intactum relinquam.“ Rursus notatum supra Belgicum idiotismum reponit.

Pag. 18. ut mecum — vobis illud — obiicere *cogerer*. Barbare. Satis erat *obiicerem*.

Ibid. „statim iam *in* initio.“ Substituit in Corrigendis *ab*; quamquam prius non prorsus malum: et deteriora illo multa silentio praetermittimus.

Pag. 19. „*ut cum Cicerone loquar*.“ Frequens Horreario Belgicismus. *)

*) *Mahn.* l. l. p. 270. sq. „*Loqui cum aliquo* est, quum alicuius verbis sic utimur, ut magis verba, dictionem, phrasin, dictionis formam, figuram, quam res et sententiam spectemus. Quae vis in verbo *loqui* cernitur, et in illo apud Gellium (1, 10) dicto, *cum Evandri matre loqui*, apparet, licet ibi sic invertatur, ut simul significet *colloqui*; prout simplex *loqui cum aliquo* saepe idem valet, quod *colloqui cum aliquo*. Itaque sic rariore et exquisitiore dictione utimur, veluti illâ, *annotationibus doctis*, ut cum Catullo loquar, *et laboriosis*; et alibi p. 52, de meâ Diatribe, *nae illi*

Ibid. „neque illud *protenus* ratum habemus." Adverbium hoc de spatio et loco dicitur: de tempore numquam sic, ut caussa et effectus significetur.

Ibid. „*Diversam constituant classem.*" Notavimus p. 86.

Pag. 20. „quid illi animo sibi proposuerint Philosophi, quidque *praestare* fuerint *annisi*, sed quid revera *praestiterint.*" Neutrum verbum hoc sensu probum: de priore vel Lexica docent, id non ita dici pro *efficere;* nec *anniti* usurpatur de operâ in quaerendo vero positâ.

Pag. 21. „Omnia quippe hac in parte densissimis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta tenebantur; unde fieri nullo modo potuit, quin Philosophi — tamquam in *illuni nocte, sine lumine* errantes, saepe offenderent" — *) *Illunis nox* a Veteribus non nisi proprie dicitur: et in hoc loco ineptam tautologiam et gradationem praeposteram habet. Quando enim densissimae sunt tenebrae, quibus omnia obruta et sepulta tenentur, sponte intelligitur, nihil esse Lunae nec luminis. Sed haec ad universae orationis pravitatem pertinent.

Immo vero, inquit Philathes, ista sunt haud paulo

errant; et, ut cum Comico loquar, *Faciuntne, intelligendo ut nihil intelligant?* Atque huic non est locus in Ciceronis neque dictione; quia semper eâ uti, semper *cum eo loqui* debemus; neque sententiâ; quia eam sequentes, apponentes, probantes, *cum eo sentimus, statuimus, iudicamus*, nec eius loquendi formam, sed rem, spectamus: ut in hoc Horrearii loco perperam dicatur, *non enim*, ut cum Cicerone loquar, *auctoritatis, sed rationis momenta, quaerimus.*„

*) *Malnius* l. l. p. 59. „Hanc dictionem Mureto sublegit ex Orat. XVII. de doctoris offic. T. I. p. 138. idque fere ad verbum. Philomathes illud additum *sine lumine* ut supervacaneum notaverat. Et sane ita est: at apud Muretum, ubi praecessit *exstincto lumine Latinarum et Graecarum literarum*, locum et vim habet."

minora vitia, quae omni cernuntur in linguâ: et memini, me in parte adhuc a te tractatâ huius libelli in plures tales locos inter legendum incidere, nunc a te praetermissos.

Ego enim, inquam, nil nisi Latinitatem notabam; in quâ vel unâ tantum est sordium, ut me istius operae taedeat; praesertim quum adhuc tantum quartam paginarum partem confecerimus, et reliquae in eâdem sint errorum proportione et frequentiâ. Quare, si placet, ad aliud genus transeamus, ut tandem toti huic Horrearii argumento finem imponamus.

Tu vero, inquit, perge in hac orationis notatione, quae et nobis iucunda est, et aliis grata erit; si quidem hunc sermonem quoque editurus es.

De editione alias videbimus. Nunc, quando ita vultis, potius vestro, quam meo, sensui obsequar.

Ibid.„ Omnia recensere infinitum *esset.*" Immo *sit.**)

Pag. 25. „a viro, *quem proponere* voluisti, plane abludis, illius Purae Rationis Criticam *considerando velut* systema quoddam Metaphysicum, novamque appellando Metaphysicam, in quâ igitur cuncta *invenienda sint.*" Mere barbarismi, temere ex vernaculo sermone assumti.

Pag. 27. „viro — tam *sui pleno.*" Supra notatum.

Ibid. „formas illas *considerandas esse ut* notiones mere intelligibiles." Perpetuus hominis Belgicismus.

Pag. 28. „et neque illos, neque hos *etiam.*" Plane ex vernaculo sermone assumtum.

Ibid. „age, illa breviter lustremus, quae ad reprehensionem doctrinae, male a te propositae, proferre ausus *sis.*" Modorum ratio postulat *es.* Aut, retinendo Coniunctivo, dicendum erat: *age, breviter videamus, quid — proferre ausus sis.*

*) Rectius *est.* cf. *Ruhnk.* ad Vellej. II, 42. *Fr.*

Pag. 29. Quod scripsi „Kantius quidem, si sibi constaret et consentaneus esse vellet, ne conari quidem eam debebat" iste referens ac ponens *ne vel conari eam debebat*, soloecismum admisit.

Pag. 30. „fines veros Kantio eosdem dici haberique *cum illis*, quos nunc vulgo obiectivos appellant." Sic vulgo loquuntur; quum dicendum sit, *atque illos*. In Poëtis etiam fertur *idem alicui*, ex Graeco *ὁ αὐτός τινι*. At *idem cum aliquo* dupliciter vitiosum est; et quod *cum* auditur, et quod Ablativus cum Dativo confunditur.

Ibid. „*ne vel* cogitasse censeri possit." Frequens Horreario barbarismus: pro *ne quidem*.

Ibid. „*De his* quippe *nulla esse potest* aut *cogitatio*,*) aut *quaestio*. Ex hodiernâ consuetudine assumtum est.

Ibid. „hoc vocabulum *conceptum* subiectivitatis, quam vocas, aperte *involvit*." Barbarismus in philosophorum sermone vulgari frequens, pro *notionem continet*, *vim habet*. Item tritum illis est, *hoc contradictionem involvit*. Nam *subiectivitatis* nomen, ut illorum, non ut nostrum, posuimus.

Pag. 31. „ab intellectus categoriis — plane *dependentem*." A vulgari usu venit: metaphoricâ significatione poëtis relinquendum.

Pag. 33. „id quod vel pueris haec Philosophiae studia *vix* adeuntibus, ut ita dicam, in limine iam sit cognitum." Latinum est *vix dum*, pro *modo*, *recens*,

---

*) *Mahnius* l. l. p. 195 sq. „Nec huc valet v. c. illud Cic. Tusc. I. 22: *mihi quidem, naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit* cogitatio *multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam alienae domui, quam qualis, cum exierit*. Aut illud Serv. ap. Cic. IV. Ep. 5: *Crede mihi*, cogitatione *eâ non mediocriter sum confirmatus*. Ista Pauli Belgica cogitatio est.„

recentissime, nuper, nuperrime. Vix simpliciter positum est *aegre, cum labore.* Si tempori accommodatur, addendum *dum, tandem, cum.*

Ibid. „*centies centiesque.*" Belgicismus. Latini, quum indefinitam multitudinem certo numero significant, usurpant fere *sexcenties, millies.*

Pag. 34. Quod dixi de priore Metaphysicâ, eam non improbandam esse, quamvis *pleraeque eius partes firmitate atque evidentiâ scientiae careant:* multum exagitat, non intelligens, vim nominis *scientiae,* summam evidentiam ac firmitatem, quam mathematicam evidentiam vulgo dicunt, continere.

Pag. 35. „Cave tamen putes me eum esse, qui aut te — a vetere vestrâ Metaphysicâ avellere *cuperet.*" Ignorantia Consecutionis Temporum et Personarum, quae requirit *cupiam.*

Pag. 36. Non intellexit vim ipsius verbi *intelligere* a me positi, qua dicitur, *aliquid intelligi non posse,* pro *cogitari non posse, repugnare.*

„*Vel an* et hoc tibi absurdum esse sibique ipsum repugnare videtur." Pulcra Latinitas! et ex mero Belgicismo assumta.

Ibid. „super quos *iterum* positae sint duae cellae" Rem ex meo libello reposuit: de suo Belgicismum addidit.

Ibid. „argumento est, te *ne vel* prima rei, quam impugnas, elementa cognita habere." Debebat scribere *ne quidem.* Malum illud *vel* saepe ludit bonum Horrearium.

Pag. 38. „difficile est *satyram* scribere." Immo *satiram* *); hoc enim illud Carminis genus est, in quo

*) *Mahnius* l. l. p. 148 sq. „Philomathi monenti scribendum esse *satira, non satyra,* quod opponeres, quaesivisti in Lexico, ubi reperisti, „Casaubonum et Scaligerum

Latini, Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis, inclaruerunt. At *satyra* nihili est: ortum nomen per imperitiam librariorum, de satyrico dramate cogitantium.

---

satiram probare; at Iul. Caes. Scaligerum *satyram*, ut a Graeco Satyrico dramate ortam, itemque statuere Dan. Heinsium, pluribusque ostendere lib. I. de Satirâ Horatii non esse a communi consuetudine scribendi per *y* recedendum." Ab hoc ego indicio, sive Forcellini, sive Facciolati, multum dissentio. Qui diligenter legerit, quae Casaubonus docuit lib. II. egregii operis *De Satyricâ Graecorum poësi et Romanorum Satirâ*, et Ios. Scaliger ad Manil. p. 450, modo ne sit contrariâ occupatus opinione, in eâque pervicax, rationes tantorum virorum approbabit. Sed Heinsio, scilicet! maior accedit auctoritas: est enim *nostras*, ut eum vocat Paulus. Ergo veriora sunt, quae a *nostratibus*, quam quae ab exteris dicuntur? Mirum, quod Paulus ab exteris aliquid discere velit, Kantium vero, Germanum quamvis, ut Deum colat. Ridiculus iudicii lapsus ab invidiolâ Paulo venit volenti Philomathem ut peregrinum tangere. Quâ de peregrinitate vide, o Paule, quae supra dixi, et egregium Philomathis Protrepticum, nunc iam scriptum, mox dicendum, deinde in Philomathiae libro II. edendum, item Vitam Ruhnk. p. 93. Euanthii Grammatici a te laudati locus est in Fragm. eius de Tragoediâ et Comoediâ, edito in Prolegomenis edd. Terentii, et Westerhov. T. I. p. LV: *Satyra — a Satyris, quos illotos semper ac petulantes Deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. At*, inquis, *plus apud me valet auctoritas* Euanthii, *eruditissimi veteris Grammatici, qui, teste* Hieronymo, *regnante* Constantio, Constantini *filio, floruit.* Debebas utrumque locum notatâ libri paginâ apposuisse, nisi eos ita memoratos surripuisses ex notis Lindenbrogii, uti illae exstant in edit. cum notis Varr., quam citas p. 137. Hieronymi verba leguntur in Supplem. Chronici Eusebiani p. 185, Ann. P. C. 360: *Euanthius eruditissimus Grammaticorum Constantinopoli diem obiit.* An vero hoc testimonium Hieronymi valet ad Euanthii de Satyrâ opinionem confirmandam, quod cum sua solita ἀκριβίᾳ vult Paulus? De caeteris tuis in tuâ defensione nugis, habe tibi tua verba: *ad cavillationes tam absurdas atque pueriles, quis serio respondendum putet?* Potius referam, quae me de hoc argumento in scholis ex Philomathe audire memini. „Latinum, inquit, carminis genus, quod Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis, tractarunt, iusto nomine dicendum esse *Satiram*, non *Satyram*, luculenter docuerunt Is. Casaubonus et Scaliger: quorum rationibus Etymologia quoque firmamentum addit. Graecum σάτυρος est a principio σάω, *moveo*, unde producitur σατύω *salio, salto*, quod Satyrorum proprium est: υρος terminatio frequens est, ut in ἁλμυρὸς, βδελυρὸς, καπυρὸς, πίτυρος. At Latinum est a *Satura*, quod proprie est *referta*, scil. fabula seu cantilena: ut item dicitur lanx referta

Ibid. „Sed eius blanditiis atque illecebris meam equidem impediri nolo disputandi severitatem.“ Cuiusnam blanditiis? Satirae, an ignorantiae et impudentiae, quas proxime in me, ut solet, coniecerat? Satirae, credo. Hoc primum obscure et inepte dictum; et dubium, utrum Horrearius, an alius, satiram scriberet: utrum satira Horreario, an Horrearius per satiram aliis, blandiens significetur. Deinde in has turbas bonum hominem induxerunt ipsae quoque illecebrae loci Ciceroniani De Fin. III, 1: *Quare illam quidem (voluptatem) dimittamus, et suis se finibus tenere iubeamus, ne blanditiis eius illecebrisque impediatur disputandi severitas.* Hunc locum e Lexico*) nactus, facere non poterat, quin eum, quamvis absurde, suo centoni assueret.

Ibid. „hoc male *reprehendis*, istas Kantii Categorias non iustum habere ortum.“ At ego non *reprehendi*, sed *argui*, *obieci*, *dixi*, *statui*. Horrearius, quamvis nil non reprehendens, tamen verbi vim ignorat.

Pag. 39. „*quid* Kantius *per categorias intelligat.*“ Vulgaris barbarismus: pro, *quas K. categorias intelligat: quid categorias esse velit: quam iis vim tribuat: qualem earum naturam informet: quid*

---

variis cibis, lex referta variis rebus: indeque *nomen accepisse plerique, dicunt*, ut ait Acron ad Hor. Sat. I, I, 1. Porro Liv. I, VII, 2, transitum a Fescennino carmine ad *Saturam* prodit, *non sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant: sed impletas modis Saturas, descripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant.* Ubi optimi Codices dant *Saturas.* Si ergo nomen sit a *satura*, rectius scribatur *satira*, quam *satyra.* Quae enim vocalis *U* in priscis et primitivis est, ea in novis et derivatis, uti dicuntur, in *I* mutatur: v. c. *optumus*, *maxumus*, *optimus*, *maximus: exsul*, *exsilium; famul*, *familia: simul*, *similis; durus*, unde factum *dirus*; *ira* ab *uro.* *Satur* et *satus* origine eàdem, terminatione differunt: hinc est *sator, Saturnus*, Deorum sator.“

*) *Mahnius* l. l. p. 62. „Lex. Facciolati s. v. *Severitas.*“

earum nomine significet: et quidvis aliud potius dicendum. Usus hic verbi *intelligere* apparet in multis locis Veterum, maxime Ciceronis, v. c. Paradox. VI, 1: *Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus?*

Ibid. „ut enim tua hic tibi verba *reddam.*" Saepe ita scribit, quamvis barbare: tali, quem vult, sensu, dicendum *reponam*, *referam.*

Pag. 41. „ut appareat, *quanto iure* — vapulaveris." Tractum ex patrio sermone: Latinum est, *quam iuste, summo iure.*

Ibid. „Dictis equidem multo plura addere *possem,* sed — nolo." Vitium in ratione Temporum, quae postulat *possim.**)

Ibid. *hominem tam sui plenum.* Hunc barbarismum plane in deliciis habet.

Pag. 42. „primam meorum Philosophiae Kantianae elementorum partem *Belgice* in lucem *exire iussi.*" Quid sibi velit hoc *Belgice exire,* nemo intelligat, nisi fortasse Horrearius, qui omnia intelligere se fatetur. Putet quis, proprium quemdam Belgis habitum incessumque exeundi, dici. Tum *iussi*, imperium redolet, non Latinitatem. Dixisset rectius, *Belgice scripta edidi, in lucem exierunt.*

Pag. 43. Rursus ponit „homini tam *sui pleno.*" Ut ipse hoc barbarismo plenus videatur.

Ibid. „Quis quaeso est, qui tibi *persuaserit.*" Dic, sodes, rectius, *persuasit.*

Ibid. „*cum Comico* vix facere possum, quin *exclamem*, o Iupiter — caet." Frequens Horreario dictio ex vulgari usu suscepta, in auctoris antiqui sententiâ usurpandâ, apponendâ, citandâ, sibi accommodandâ; veluti supra p. 19: „non enim, *ut cum*

*) Rectius *possum*, cf. *Matth.* ad Cic. or. Catil. 3, 9. et ad eloqu. lat. exempl. p. 195. *Fr.*

Cicerone loquar, auctoritatis, sed rationis momenta quaerimus.“ Est quidem hoc in Ciceronis ratione, *cum aliquo aliquid admirari* v. c. Senect. 2. et simili Tusc. I, 17: *errare me hercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire*: sed citandi formula ac frequentia hodiernae est sordis.

Ibid. Ostendere volens Kantianae Philosophiae studium adhuc in Germaniâ vigere, sibi non intellecta Ciceronis verba apponit De Nat. Deor. I, 5. „vide, nos non desertarum relictarumque rerum patrocinium suscipere: neque hominum interitu sententias quoque occidere.“ Hoc ipsi adversum esse, poterat intelligere, si proxima legisset — *haec philosophia usque ad nostram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam esse in ipsâ Graeciâ intelligo.* Sententia *occidere* dicitur, quasi vera esse desinat, ut homo mortuus vivere desiit: quod verae sententiae accidere nequit. Kantianam autem rationem nunc apud Germanos, ut Academicam tunc apud Graecos, propemodum orbam esse, Horrearius negat.

Pag. 44. „*recentiorem Philosophiam.*“ Dixit contra Latinitatis rationem, pro Kantianâ. Nam secundum Latinitatis rationem recentior aetas dicitur, quae a mediâ et antiquâ distinguitur.

Pag. 45. „quae *editurum promisisti* scripta perficias.“ Immo, *quae te editurum promisisti.*

Ibid. „*Forsan.*“ In prosâ oratione vitandum.

Pag. 46. „Ipsae illae, quas profiteris, literae hanc a te animi moderationem *exigere* quasi atque *efflagitare* videntur.“ Error ex ignorantiâ verborum profectus. Utrumque significat, quod ille certe noluit, rem iam effectam esse: estque haec vis praepositionis *ex*. Dixisset, quod cogitabat, *postulare* atque *flagitare.*

Ibid. „*iterumque* te plorare iubeant." Pravus est amor, quo in delicias sibi adscivit hoc *iterum:* cui hic locus non est, non praecedente *semel*, aut *primum*.

Pag. 47: „duplex oritur vitiorum genus, quod in scriptis tuis *regnare* video." Lepidum regnum; sed ineptum in Latinâ prosâ. Dicendum erat, *quo scripta tua laborare*, *affecta esse:* et alio quocumque modo potius, quam isto. *)

Pag. 49: „*id quod* cum rari et rarissimi res exempli sit, tibi *refugium* praestare nequit." Mere sordes dictionis. Est alibi suus locus formulae *id quod:* non hic, sequente *cum:* dicendum erat *idque*, vel simpliciter *quod*. Deinde *refugium*, quonam? utrum in turrim, an in asylum? sunt enim refugia loci, quo confugimus.

Ibid. „*loco gratiae amico cuidam tuo habendae*, *haec — adiiciebas.*" Constructio solocca et barbara.

Ibid. „In vitâ Ruhnkenii et *quidem* in Scholiis."

---

*) Quod h. l. *Wyttenbachius* ordinem verborum in loco Propertii II, 23, 101. ita a se allati: *At non ingenio nomen quaesitum ab aevo Excidet* excusare studet Enniano Annal. X. p. 91. *Insignita fere tum millia* militum *octo*, coll. *Voss.* Aristarch. II, 14. Prosod. p. 131. et *Schrader*. Emendatt. p. 136 sqq., frustra fit. Rectius cum *Mahnio* in Praef. Epp. Sodal. p. xxix. ex errore typographorum dixisset scriptum esse pro *At non ingenio quaesitum nomen ab aevo.* Neque melius res cessit paulo antea, ubi W. Catharsii p. 83. factam a se Bibl. Crit. P. xii, p. 9. emendationem in Anthol. Planud. I, 44, 7.

Πᾶς λόγος ἐστὶ μάταιος ὁ μὴ τετελεσμένος ἔργῳ,
Καὶ πᾶσα πτῆξις, ἢ λόγον ἔργον ἔχει

pro vulgatâ lectione *τὸν λόγον ἔργον ἔχει*, et vituperatam ab adversario ob leges metri violatas, tueri annititur hac admonitione, omnino adspirationem subinde instar consonantis esse ac positionem efficere, vocatis praeterea in auxilium *Brunckio* ad Aesch. Prom. 438. ad Eurip. Orest. 1284. *Burgess.* ad Dawes. Miscell. p. 415, 460, 491, 499. Verumtamen assentientem sibi non habet *Iacobsium* ad Anthol. Palat. Nov. T. III. p. 654.; nec iuvat repetere, quae disputavi in *diss. de mediâ pentametri elegiaci Gr. syllabâ*, post *Spitzneri* libr. de vers. Gr. heroico, p. 292 sq. *Fr.*

Quo illud et *quidem?* barbarae est consuetudinis. Latine usurpatur in *δεινώσει*, quum gravitatem aut addere rei, aut augere volumus. An vero gravius erat, hoc in Scholiis, quam in ipso libro poni? Sic memini, me nonnullos audire, qui locos sacrorum librorum citarent, v. c. *capite secundo, et quidem versu tertio.* Quod an recte fiat vulgaribus in linguis, non iudico: Latinae quidem, aut Graecae, rationis esse nego.

Pag. 50. „neque enim properare me atque *avere* diffiteor.“ Huic parenthesi nec sententia nec oratio constat. Fortasse properatio scribentis mentem turbaverit.

Pag. 50: „Illam tui partem libelli *intelligo*, in quâ de me — nonnulla in chartas coniecisti.“ Merus, ut ubique, Belgicismus: scribendum erat *dico, significo, volo.* Neque enim intellexit, vel hanc, vel aliam quamvis, mei libelli partem.

Ibid. „Quod vero continuo addis, anno hoc factum esse primo, postquam cathedram apud Remonstrantes *conscenderas*, *mendacium* illud est.“ Ignosco homini urbanitatem nominis *mendacii*: grammaticam saltem verborum proprietatem quaero: *errorem* debebat dicere, si modo tertius, nec primus annus fuit, de quo nunc non contendo; certe leve est, nec ad caussam pertinet. Tum, *conscendere cathedram?* quasi illa cathedra fuisset equus, aut navis, aut huiusmodi quid. Concionalis Belgicismus. *)

---

*) *Mahnius* l. l. p. 155 sqq. „Paulus respondet: „*Cur haec phrasis minus est Latina, quam ea, quâ* Suetonius *usus est*, conscendere tribunal? *Festivo esse volenti, quam facile est et hic tecum exclamare:* quasi illud Tribunal (illa cathedra) fuisset equus, aut navis, aut huiusmodi quid!“ Hoc idem licet dicere Philomathi: *quasi haec cathedra tribunal fuisset.* Adeone ignoras, quid inter utrumque intersit? Tribunal est aedificium editum, quod multos

Pag. 52: „me — Kantii praecepta — *magis ulteriusque* divulgasse.“ Longa periodus duorum et viginti versuum, plane Kantiana, et parenthesibus constipata: in quâ, ut omnia, sic postrema in primis ad verbum Belgica sunt.

Ibid. „*Amicos possidentem.*“ *) Belgicismus:

---

capit homines, Praetorem, Iudices, alios: cathedra est *sella*, quasi *curulis*, in quà quis *considet*, *καθέζεται*, non quam *conscendit*, a posterioribus Graecis et Latinis dicta de sellâ et munere Professorum. Vid. praeter Lexica Cresollius Theatr. Sophist. III, p. 227. Quis vero Latine et Graece doctus dixerit, *conscende hanc sellam?* Volebas dicere de tempore, quo Philomathes Professor in Collegio Remonstrantium factus erat. Atqui id simpliciter dicendum erat, ut solent Latini: v. c. *Consul factus est* A. V. C. DCLX: *Praetor factus*, *creatus est:* non autem *rostra conscendit*, *tribunal conscendit:* quamquam et hoc faciunt. Notus Belgicismus *cathedram conscendit*, pro Professor factus est, munus Professorium, Professoris, adeptus vel auspicatus est (*hij heeft den stoel van 't Hoogleeraarschap beklommen.*) Solent fere semilatini simplices dictiones pro minus Latinis habere; et ex vulgari sermone graviores sibi cogitas suscipere, pro Latinis eas habentes. Bentleii denique, quibus te tueris, verba contra te sunt: qui in fine Orationis Terentio praepositae sic dixit: „*ut tandem aliquando vel hanc ipsam, me decedente, Cathedram occupetis; vel quod lautius et optabilius, Decanalem aliquam aut Episcopalem; vel,, si ne his quidem consistitis, Archiepiscopalem denique, iam non Cathedram, sed Thronum, ascendatis.*“ Caeterum *conscendere* non metaphorice dicitur de honoribus et civilibus rebus: sed *adscendere ad* honores, nec sine praepositione *ad* vel *in.*“

*) *Mahnius* l. l. p. 152. „Ad haec quid Paulus? multa movet, nihil promovet. Adfert Ciceronis verba ex Laelio c. 15, *amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio.* Haec per metaphoram dicuntur ex antecedentibus ductam, quam Paulus omisit, quâ amici comparantur cum rebus, quarum possessio instabilis est, *equorum*, *famulorum*, *vestis*, *vasorum.* Fluxit hoc Ciceronis a Xenophonte M. S. II, 4, 1: notante etiam Ruhnkenio, ὡς πάντων κτημάτων κράτιστον ἂν εἴη φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθός. Itaque et hoc Paulus apponit, et ex notulâ Graevii versum sublectum, φίλους ἔχων νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν. Atqui haec omnia dicuntur metaphorice: nec inde efficitur, Latine dici posse *possideo amicum*, nisi si quasi mancipium in nostrâ potestate sit. Unde est illud, χρήσει aut κτήσει amicum habere, v. c. Curii ad Cic. VII, 29: *Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri: ergo fructus est tuus, mancipium illius.* Atque

possidemus res, non personas; nisi si plane nostro dominio subiectae sint.

Pag. 53: „Quae si forte vera sit suspicio, *eccur* ista amicorum verba non *plene* dedisti." Hoc quomodo cum antecedenti cohaereat, prava compositio obscuravit. Tum, quid illud est *eccur?* inauditum vocabulum et novum. Porro nec *plene* hoc sensu probum est: qui desiderat, *tota, omnia,* aut simile quid.

Ibid. „Quae de me scripsisti falsa, duplicis sunt generis. Alia *nimirum* sunt eiusmodi, ut non adeo famae nocere videantur, sed *ad ea potius referenda, quae Graecis ἀδιάφορα dicuntur:* alia vero *turpitudinis infamiaeque notam mihi* inurunt: *bonâque* adeo *existimatione,* qua nihil homini carius esse debet, omnino me *spoliant.*" Hic rursus inscitia Latinitatis homini obfuit. Primo, quorsum illud *nimirum?* Rectius et elegantius omisisset. Deinde, ridicula est illa circumlocutio *rerum indifferentium,* quas Cicero Fin. III, 16, primum hoc nomine Latino appellans, Graecum nomen, perspicuitatis caussâ addidit: nunc non amplius opus est; nisi si quis perperam Graecae doctrinae speciem affectet: quod iste nunc fecit loco Ciceronis sibi, purpurei panni instar, assuendo: veluti si quis dicat, *nunc sol lucet, quem Graeci ἥλιον vocant.*

---

id volebat Muretus Epp. T. I. p. 644, ubi agit *de naturâ possessionis:* „Possidere *est habere, tenere, obtinere, habere rem in potestate, et eo verbo veteres in omni rerum genere utebantur. Sic* possidere amicos, mores, regnum, artem, virtutem, *caeteraque nullo discrimine in eorum scriptis legimus.*" Quae verba iactat Paulus, non attendens, ea esse contra ipsum, valere de rebus, *quas habemus in potestate.* Sic v. c. apud Cic. Verr. III, 68 de Apronio Metellum sic possidente*: quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam arrepserat, sed brevi tempore totum hominem, totamque eius praeturam possederat.* Fateatur igitur Paulus, hunc verbi abusum sibi e Belgicismo venisse."

Tum vero haudquaquam *turpitudine et infamiâ* eum notavi, sed *stultitiâ et delirio:* quibus si quis liberetur, nil impedit quominus bonâ existimatione fruatur. Denique, quod dicit *me spoliant*, plus fatetur, quam ipse fateri voluit. Neque enim eum bonâ existimatione, tamquam veste, exui: hoc enim est *spoliare:* sed admonui, ut amissam maledicentiâ existimationem bene dicendo et pace colendâ recuperaret.

Ibid. „Wynperssium senem, *coelitibus* iam *adscriptum.*" Est haec κακοζηλία, id est, inepta ornatus affectatio: et ubi, pro simplici *mori*, aliquid gravius grandiusque quaeritur, multa se offerunt nomina: in his etiam *coelum*, *coelestes*, *coelites*. Hoc autem loco praestabat, Horatianam auctoris ipsius nomine dictionem apponere, *adscriptum quietis ordinibus deorum*, vel *coelitum*, quam effictam hinc dictionem, ut prosam, usurpare.

Pag. 54. „Horreum meum criticum extabuisse, legentiumque numerum *identidem* fuisse minutum." Mea verba referens addit, *identidem*: quod in iis nec est, nec locum habet: deinde ὕστερον πρότερον ordinem turbat. Nam quia numerus legentium minuebatur, ideo Horreum extabescebat: et sic scripseram.

Ibid. „Wynperssium — *aeque minus* ac Muntinghium in scenam produxi." Frequens barbarismus: quem in Corrigendis mutavit in rectius, *non magis:* admonitus scilicet ab homine, quem ego sic saepe peccantem saepe admonui.

Pag. 56. „Scholarum igitur Graecarum *ratione* tuus nec auditor unquam fui, nec discipulus." Est item ex vulgari usu: poterat prorsus omitti: aut scribi, *in Gr. scholis*, aut, *quod attinet ad: quod ad.*

Ibid. „fui — Valckenarii — quod vir incomparabilis suâ ipse manu testatus est, discipulus *non*

omnino improbabilis." Periodus, ut pleraeque, contorta et ambigua. Si ergo id dicit, quod videtur dicere, Valckenarium sibi scriptum testimonium, in eoque nomen *discipuli non omnino improbabilis* tribuisse; et si hoc ipse sibi laudi ducit, profecto Latina verba non intelligit. Quid enim est *probabilis*? nimirum *mediocris*, aut paulo plus: Ergo *improbabilis*, contrarium illius: *non improbabilis*, igitur est mediocritati propinquus, sive paulo supra, sive infra eam. *) Videat iam, quantum sibi laudis relinquatur.

---

*) *Mahnius* l. l. p. 156 sqq. „Id tu confutare studes ratiunculis plane puerilibus: „*Quid?* inquis, probabilis orator (*quae phrasis* Ciceroni *frequens est*) *an ipsi tantumdem significat, quantum* orator mediocris? *Cumque idem ille in initio* Paradoxorum *scribit: Animadverti, Brute, saepe* Catonem — *locos graves ex philosophiâ tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo* probabilia *viderentur: num ibi igitur hoc dicit* Cicero, *consecutum esse* Catonem, *ut ea, quae in Senatu e Stoicorum afferret philosophiâ, populo* mediocria *viderentur?*" — Iam apparet, te ne Lexico quidem uti posse, qui homonyma inter se confundis. Nonne scis, quodlibet verbum et nomen fere plures habere significationes, quae dicuntur homonyma, et in Lexicis distinguuntur, aut certe distinguenda sunt? *Probabilis* proprie est is, qui probari potest, differtque ab eo, qui re verâ probatur, quamquam utrumque in eundem hominem cadere potest: v. c. ap. Cic. in Br. c. 76, *C. Sicinius* probabilis *orator; iam vero etiam* probatus. Multum autem refert, a quo et quamdiu quis probatus sit, utrum a vulgo et ad breve tempus, an a prudentibus et diuturnâ experientiâ. Ergo novimus, quid differat *medicamentum probabile* et *probatum; discipulus probabilis* et *probatus:* ex Cic. de Orat. I, 28, *Saepe enim soleo audire Roscium, cum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem* probaret, *potuisse neminem: non quo non essent quidam* probabiles, *sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset.* Haec est vis harum terminationum in aliis adiectivis verbalibus, ut nemo ignoret, quantum intersit inter hominem *docilem* et *doctum;* orationem *emendabilem* et *emendatum;* argumentum *tractabile* et *tractatum, cognobile* et *cognitum, cohibile* et *cohibitum:* illa possunt id esse, quod verbo significatur: ergo minus sunt quam haec, quae re verâ sunt. *Probabile* porro vel *verum* vel *falsum* esse potest, ut docet idem Cic. de Invent. I, 29: dicitur denique etiam pro *verisimili, credibili.* Ergo si, quod Paulus vult, homonyma confundens, illa Catonis *probabilia*

Pag. 57. „utriusque orationis meae Latinitatem a scriptore cuiusdam ephemeridis Belgicae fuisse reprehensam, meque per hunc hominem (ah me miserum! *prope* enim abfuit *quin* crura dorsumque in isthoc casu fregerim!) ab hoc gradu deiectum, postea ad Belgice scribendum me recepisse.“ Mitto facetiam eleganti parenthesi inclusam, e forensi scurrarum tabernâ sumtam. Latinitatem quaero, quae *quin* neganti particulae, non aienti, subiicit: veluti rectum erat, *non multum aberat quin, parum aberat quin:* nam adverbium *parum* valet *non satis:* at *prope* est aiens, et requirit sequens *ut:* v. c. *prope abfuit, ut crura fregerim.* Mirum sane est acumen philosophi, qui negantem constructionem ab aiente distinguere nequeat.

Pag. 58. „dialogus — a me conscriptus, meoque horreo *insertus.*“ Item nomen hoc sensu tritum in imperitorum consuetudine: pro *additus horreo,* aut *editus in horreo.*

Ibid. „ne scilicet Lyndenum *in angustias adducat.*“ Et hoc hominis est Latine dicere nescientis, quod Belgice cogitat. Vulgo dicunt *compromittere aliquem cum aliquo:* quod cogitans ille et Latine dicere volens a proprietate et usu Latinitatis aberravit. Dicendum, *aliquem suis cum alio litibus implicare, cum alio in controversiam coniicere:* item, si forte, *aliquem cum alio collidere, committere:* et aliis etiam modis: qui, ut omnis in scribendo verborum

---

idem valerent ac *mediocria;* sequeretur, ut ipsi *probabilis discipulus* Valckenarii item dicendus esset *credibilis* et *verisimilis discipulus* Valckenarii, h. e. qui tantum a vero discipulo distaret, quantum verisimilitudo a veritate. Praestabat vero, Paule, te re et facto, non Valckenarii testimonio, Graece scientem probare.“

delectus, ad usum, rationem, argumentum, accommodandus est.

Pag. 59. „ut *nihil non* comminisci *vereatur*, quo me exagitare iniuriisque *provocare possit*." Homo dialectici acuminis se negandi particulis ita impedivit, ut contrarium eius diceret, quod volebat dicere, *me non veritum esse omnia comminisci*. Hanc autem negantem figuram si quaerebat, *non* iterare et sic scribere debebat, *ut non vereatur nihil non comminisci*; nam *nihil non* Latinis est *omnia*. Nunc igitur dicit, *me veritum esse quidquam comminisci*. Ponit *vereatur* pro *audeat*: quae eadem esse putat. Tum, *provocare* est alienum ab argumento: volebat *vexare, insectari*; nec *provocavi* eum: nec eo consilio eum reprehendi, ut eum lacesserem et ad respondendum provocarem. Denique, illud *possit*, et omnino frequens usus verbi *posse*, ut alibi, sic hoc loco, *provocare possit*, pro *provocet*, est hominum non Latinorum, sed semilatinorum.

Ibid. „quod me valde *urit*, iustâque animum indignatione complet." Totum Belgice dictum: sed *urit* etiam maledicum in ipsum. Adeo in naturam Horreario abiit consuetudo, ut sibi ipse maledicat. *Urere* *) metaphorice dicitur *amor*, *invidia*, aut alius quis malus

---

*) *Mahnius* l. l. p. 154 sq. „Tu testificaris, Ruhnkenium sic locutum esse, a Philomathe citatum in aliâ caussâ, supra p. 78; tum addis: „*Evolve Lexicon* Facciolati *tui et vide*, *quomodo* adducens *veterum scriptorum locos*, *vir doctus probet*, *verbum* urere *ad animum translatum*, *saepe idem esse ac* pungere, stimulare, angere, cruciare, coquere, molestum esse." At, o bone, hoc non agitur; nam Philomathes ipse sic disertis verbis statuit: sed illud voluit, hoc verbum non dici in bonam partem, nec posse quem de se ipso dicere, nisi qui pravum animi sui affectum fateri velit: adde et Ter. Eun. II, 2, 431. *uro hominem*: III, I, 48, *te ut male urat*: Liv. XL, 15, *quod doles*, *quod invidiam urit*. Et sic Ruhnkenius l. l."

animi affectus. Amori hic non est locus: ergo invidiae, aut alii pravo animi vel motui vel morbo; quo se incensum Horrearius ingenue fatetur.

Ibid. „quod perhibere ausis, me senem nostrum Meerschium *dulci* demulsisse *obsequio*.“ Rursus ignorantiam Latini sermonis prodit, per quam aliquot deinceps paginas indignatur ac debacchatur, quod se *adulationis* insimulaverim: quae tragoediae ex parum intellecto nomine *obsequii* ortae sunt, quod ille perperam putat idem esse atque *adulationem:* potest enim illud cum hac esse coniunctum, potest etiam abesse. Deinde *dulci* ego non scripsi: ipse de suo addidit.*)

*) *Mahnius* l. l. p. 230 sqq. „Tune, Paule, tantopere indigneris, te *obsequentem* dici, quod id nomen *adulatorem* significet? tu, qui me disertis verbis Wyttenbachii adulatorem vocasti (in Praefat. Ed. sec. Epistolii singularis: vid. Terps. Ep. p. 5)? tantumne discrimen inter nos intercedit, tantone intervallo tu, Paulule, mihi Mahnio praestas, ut, quod tu ab aliis in te dictum indigneris, id idem tu temere et impune in me iacias? scilicet tu es sanctus vates et hypopheta, nos profanum vulgus. — *Obsequium* Cicero plerumque honestâ significatione usurpavit: v. c. de se ipse Or. in Pis. c. 2: *Ego Antonium collegam — patientiâ atque obsequio meo mitigavi.* Et multo plura in Lexicis exstant, quae reponere nihil attinet. Te autem Terentiana Andria, in quâ tamquam sacrâ anchorâ tua Latinitatis cognitio fluctuat, decepit. Terentius hoc vocabulo primus, aliquanto deteriore sensu, hoc in loco usus videtur. Hoc est, quod Quintilianum dixisse puto I. O. VIII, 3, p. 691: *Idem putat* (Cicero) *a Terentio primum dictum obsequium.* Credibile est, eum spectare verba Ciceronis, quae adhuc leguntur in Laelio c. 24, ubi versum illum ex Andriâ ponit: *obsequium amicos, veritas odium parit:* et haec addit: *in obsequio autem* (*quoniam Terentiano verbo lubenter utimur*) *comitas adsit, — assentatio procul amoveatur.* Igitur Cicero non condemnat *obsequium*, neque id a Terentio malâ prorsus notione dictum significat, sed *assentationem* ab eo abesse vult. Et quod Cicero id *Terentianum verbum* dixit, non dicit, id ante Terentium non fuisse, sed ab eo in illustri sententiâ poni. Nam et *obsequor*, *obsequens*, *obsequiosus* a Plauto et aliis honestâ significatione usurpantur: et antiquitus culta est *Fortuna Obsequens*, i. e. *secunda*, *fautrix*. At Paulus, Criticus scilicet Philosophus, in omnia alia discedit, migrans criticam interpretationem et linguae usum, excitat ex notis Variorum *Willichium* aliquem, *obsequium* interpretantem, *indulgentiam, ad cuiuslibet*

Tum Philalethes ridens, Hoc verò, inquit, festivum est, quod, quam nemo ei tribuit, ipse sibi dulcedinem assumit; qui libere loquentis et oris duri ad mordendum parati speciem consectetur, et *obsequium tam magnum esse flagitium* clamet, quam *homicidam esse, patriam auro vendidisse, virgines stuprasse, fana depeculari, aut aliud quodpiam facinus horrendum patrasse.* *) Eo igitur magis eum obsequii, quamvis

---

arbitrium atque voluntatem, nullâ honestatis ratione habitâ: quae notio nec in hunc Terentii locum satis convenit, et prorsus abhorret ab universâ potestate et usu huius vocabuli. Hunc tamen auctorem Paulus sequitur, ergo eum sequatur!

Huic denique diu versatae de *obsequio* ratiunculae diffidere incipiens, ad verbum *demulcere* transsilit, et ex hoc etiam *adulandi* notionem exsculpere conans, eamdem Latini sermonis inscitiam prodit. Videat Lexica, nec exemplum videbit adulationem notans: et simplex *mulcere* honeste dicitur, v. c. a Vell. Pat. II, 117: *qui gladiis domari non poterant, posse iure mulceri.* Virg. I. 157. *Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:* et alibi saepius. Item *permulcere* Cic. de Or. II. 78, de boni oratoris officio, *prima est quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit,* permulcere *atque allicere debet:* et hoc item et alibi et alii. Qui vero ex pluribus eiusdem nominis in utramque partem significationibus peiorem eligit, hic aut intelligentiae, aut animi vitio labitur, aut utroque. Tu, ut videtur, utroque„.

*) *Mahnius* l. l. p. 266. „In priore Epistolio p. 62. dictum de se Philomathis, *obsequio quem demulcere,* affirmaverat tantam sibi habere offensionem, *ut homicidam vel qui patriam auro vendiderit, aut virgines stupraverit, aut fana depeculatus fuerit, aut aliud quodpiam facinus horrendum patraverit;* stulte sane: et merito a Philomathe notatum Cathars. p. 108, 131. Nunc docte scil., in Triade p. 139. infit: „*Equidem sane nunquam dixi, me* (*quod veteres statuebant* Stoici) omnia peccata *habere* paria, *adeoque* adulationem *tantum esse flagitium, quantum* homicidam esse, aut aliud quodpiam facinus horrendum patrare. *Sed hoc fere est, quod significavi!* "*si nimirum impune* adulationis *insimulare insontes liceat, ad alia eaque graviora iisdem affingenda crimina, hominum facile proterviam progredi. Causam igitur me deridendi plane habes nullam: eamque ne tum quidem haberes, si* Stoicorum *professus placitum fuissem, sententiaeque subscripsissem, quae in* Tullii Paradoxis *hoc modo legitur: in quo peccatur, id potest aliud alio maius esse, aut minus: ipsum quidem illud* peccare, *quoquo verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator, an paleae:*

medium, nec in malam partem a me adhibitum nomen pupugit. Nam Meerschio, homini tolerantiam, quam dicunt indulgentiam erga dissentientes in religione divinâ, sic factitanti, ut erga intolerantes ipse intolerans esset, ultro eum commendabat caussa Bonnetiana. Accedebat vanitas Horrearii et *gloriola* hominis *sacerdotalis* cum nomine *professorio* commutandi: quo adhuc gloriatur, quamvis simulans, se cathedras omnes contemnere.

Pag. 60. „Sed *ecquis* iste est, qui *narraverit?*" Ignoravit rationem Interrogationis ac Temporum, quae desiderat, *Sed quis iste est, qui narravit?*

Pag. 61. „agrestes — ut quidquid pinguium est literarum in *culinâ* potius, quam in scholis, didicisse viderentur." Iudicii lapsus. Quid agrestibus cum *culinâ*: quae est urbis et luxuriei. Dixisset potius, *inter aratores et pastores*, aut simile.

Pag. 61. „si veritatis *ingenuitatisque* minus amans — essem." Vim nominis non intellexit, quae posita est in probitate morum cum verecundiâ liberali et modesto veri dicendi studio coniuncta.

Mirum, inquit Critobulus, ut homo febricitet: qui, quum toto in libello impudentiae et maledicentiae indulgeat, se *ingenuitatis* studiosum profiteatur. Est haec absoluta sui ignoratio, aut Latinitatis inscitia.

Pag. 62. „*falsitas* alienat ab iis, in quibus *habi-*

---

in re aliquantulum, in gubernatoris inscitiâ nihil interest. Dubium, argumentationisne an orationis maior sit inficetia. Primum, si id, quod ais, significasti, male Latine locutus es. Deinde, si, Stoicum placitum *aequalia esse peccata* probans, sic scripsisses, rursus male scripsisses, et placiti caussa reprehendendus esses, quo nullum aliud huius doctrinae placitum magis a re et naturâ abhorret. Tum, cui bono totum hunc locum apposuisti? scil. ut inopiam tuam isto panno tegeres: inprimis ut istam suspicionis notam in Philomathem coniiceres."

tat, aliorum animos, omniumque sibi bonorum odia merito *conflat.*" Nemo Latine vel mediocriter doctus hoc dixerit.*) Nam *odium* v. c. aut *invidiam, alteri conflare* dicitur, non *sibi ipsi;* significat enim studium et operam, et hoc sibi propositum agere: rectius est, *contrahere sibi odium*, *incidere in odium.* Nemo enim, qui committit, quo eum alii odio habeant, *sibi conflat odium:* non illud agit, vult, spectat, ut odio habeatur: sed imprudens in odium incidit, contrahit odium. *Falsitas* autem hoc sensu non est Latinum, et perperam in Lexicis fertur ex vitioso loco Ciceronis Or. pro Cluentio, 21. *Habitat* autem animus in aliquâ virtute aut pravitate: non haec in illo: veluti apud Ciceronem, *habitans in his curis animus.*

Pag. 63. „eum quasi maleficum aliquod et noxium animal refugiat — *concursumque* eius sibi dirum, tetrum ominosumque putet." Hoc aliunde descripsisse videtur: et Latinitatem migravit in nomine *concursum*, pro quo *occursum* **) ponere eum oportebat.

Ibid. „ea quae scripsisti — ex sinceri animi sententiâ *profluxerint.*" Hoc quidem sensu Belgicismus est.

Ibid. „Quam *assertionem* rationibus *spectatu haud indignis* confirmant." Ex scholasticâ sorde susceptum nomen *assertio*: quod Ciceroni intulerunt indocti librarii pro *assensione*, ut dudum notarunt doctissimi editores. Et apud Arnobium, apud quem solum occurrit, significat *demonstrationem.* At neutra significatio huic loco apta est. Deinde *spectatu dignum*,

*) *Mahnius* l. l. p. 63. „Deteriora fecit *Mureti* verba or. de *iustitiae laudibus* p. 79."

**) Veram hanc lectionem esse iudicat *Ruhnk.* in Addend. T. IV. p. 624., monente *Mahnio* l. l. p. 64. *Fr.*

ineptum et alienum ab hoc loco. Rectius erat, *quod iudicium*, (aut simpliciter, *quod) rationibus haud contemnendis affirmant.*

Pag. 63. „in quâ clarissima fulgent lumina *stellaeque splendent primae magnitudinis.*“ Bella rhetorica, nec tamen Latina: ad verbum e Belgico sermone vertit.

Ibid. „*verborum his iactationem excutiunt.*“ Aut sensum non habet, aut contrarium eius, quem vult: *Veteranos Kantianis verborum iactationem excutere.* Sed in Lexico videns locum Ciceronis Or. pro Sulla, 8: *qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem*: cupide arripuit, non intelligens, eum contra se valere.

Pag. 65. „operam tibi suam, si forte desideres, *pro virili* praestabunt.“ Bis peccat: primum, quod Latinitas postulat *pro virili parte:* deinde, quod significatio huius formulae abhorret a sensu praesentis loci: hic enim de duobus hominibus est: illa vero non nisi in multis usurpatur: veluti, si toti civitati bene fit, etiam cuique civi pro suâ parte, quâ civis est, pariter bene fit: et, si salus civitatis tuenda est, huius officii in singulos cives certa pars, quae *virilis pars* dicitur, cadit. Convenit cum Graeco *κατ' ἄνδρα.*

Pag. 66. „ut, hac etiam in re, fere *cum Agamemnone* apud Euripidem dicam: caet.“ Affectatio granditatis in apponendâ sententiâ auctoris: quid enim Horreario cum rege Agamemnone? De usu isto praepositionis *cum* minus Latino supra diximus. Stilus concionalis.

Pag. 67. „quo cum — confabulatus *fui.*“ Immo

sum, quod Temporum ratio postulat. Vulgaris est in his confundendis error. *)

Ibid. „*apertis verbis.*" Rectius, *perspicuis*, *disertis*.

Ibid. „significaverim — tantum me mihi non sumere, tantum *quoque* eruditionis, doctrinae, ingenii, acuminis haudquaquam *possidere.*" Mirus *possidendi* amator! Et nescit usum particularum aientium et negantium, qui *nec tantum*, omisso *haudquaquam*, pro *tantum quoque*, ponere debebat. Tum inficeta ironia hominis omnibus insultantis, et supra omnes sapere se putantis.

Ibid. „locum suum *coram* τοῖς ἔξω dignissime tueatur." Nescit, non nisi de praesentibus valere *coram*. Deinde ineptum est Graeca ponere, ubi Latina adsunt. Sed formula *οἱ ἔξω* ei insidebat e scholasticâ institutione, quâ in novo Testamento dicuntur hi, quos vulgo vocant *infideles*, *gentiles*. His ergo se probari vult? Quin diceret, *exterorum iudicio*.

*) *Mahnius* l. l. p. 124. „Vulgaris error semilatinorum nostrorum haec confundentium, de quo Philomathes mihi narravit, Ruhnkenium aliquando sermonem secum habuisse, rationes tamen nullas attulisse: quas se inter legendum attendentem huiusmodi observasse: quod vis Praeteriti sit in ipso Participio, v. c. *annisus*, *amatus*, et additum verbum auxiliare *sum*, *es*, *est*, efficiat quasi potestatem *Praesentis rei perfectae*, ut Clarkius vocat in subtili illâ animadversione de Temporibus ad Iliad. A. 37. Itaque Nepos v. c. Alcib. c. 2: *educatus* est *in domo Periclis*: *amatus* est *a multis*: non *fuit*. Atque hic est mos Ciceronis et optimi cuiusque: nec *fuit* ponitur, nisi Participium pro adiectivo valet, aut *Praeteritum rei perfectae* significatur: hoc v. c. *fuimus honorati*, i. e. quia non amplius sumus in honore: illud Cic. de Orat. I, 1: *artes*, *quibus a pueris dediti fuimus*. Pro Arch. I: *ne nos quidem huic cuncti studio penitus unquam dediti fuimus*. Nep. in Epam. 2: *cui quidem sic fuit deditus*: quibus in locis *deditus* pro adiectivo *studiosus* usurpatur. Haec Philomathes."

Pag. 68. „Tantum profecto abest, ut in Academias me non acciri aegre *tulissem.*" Immo Latinitas vult *tulerim.*

Ibid. „si eiusmodi quid oblatum umquam fuisset, nullâ id ratione accepissem." Imprudens dicit, quod non vult: *se oblatum munus accepturum quidem fuisse, sed sine ratione.**) Volebat, certe debebat, dicere — *fuisset — nullâ mihi ratione persuaderi potuisset, ut acciperem.*

Ibid. Quod *auditorem* eumdem, quem *discipulum,* a veteribus dici contendit, plane ignorat rationem synonymorum. Omnes discipuli sunt auditores: non item contra, auditores omnes discipuli. Discrimen cernitur non solum in scholis, sed etiam in orationibus. Auditorum tamquam generis duae sunt formae: altera eorum, qui discunt, et proprie dicuntur *discipuli:* altera eorum, qui non discunt, nec proprio, sed communi generis nomine *auditores* appellantur. Et is, qui discit, item subinde auditor dicitur nomine generis. Neque idcirco illae formae et nomina non distinguenda sunt. Veluti homines sunt vel viri vel foeminae, et hae formae ut invicem, sic a genere distinguuntur. Itaque recte dici potest, *non vir, sed homo fuit:* et Cicero utrumque saepe de uno eodemque ho-

*) *Mahnius* l. l. p. 165 sq. „Tu tueris, recte te dixisse, *complures locos apud optimos, cum Antiquitatis, tum recentioris aetatis, Scriptores inveniri, in quibus sensus, qui aliquid videatur habere dubii, e solo contextu erui et colligi debeat.* At tu, o bone, ignoratione compositionis Latinae sic scripsisti; et hic locus multum ab illis locis, ut tu plurimum ab optimis Scriptoribus abes. Et omnino infelix est Veterum imitator, imo stultus, qui eorum obscure et ambigue dicta, quae plerumque etiam mendosa sunt, imitatur. Exemplum affers Ciceronis, qui de N. D. I, 38, de Orpheo locutus sit ita, ut eius sententia e contextu colligi debeat. In quo rursus furtum committis, totam hanc animadversionem, nullâ auctoris mentione factâ, ex Bibl. Crit. VI, p. 81. transscribens."

mine dixit: quod notavimus Bibl. Crit. P. VIII, 80. et XII, 63.

Pag. 69. „*Vel an* alios reprehendere, praeter te ipsum nemini licere putas.“ Frequens Horreario usus, Belgice bellus, Latine barbarus. Rectius dixisset, *An vero?*

Ibid. *Subindicas.* Verbi barbarismum supra notavimus.

Pag. 71. Mea reponit verba ex Bibl. Crit. P. IV, p. 45: „postquam dixeras: *minimam sive in laudando sive in reprehendendo, negligentiam, quam in aliis forte hominibus ignoscendam, minime tamen ferendam in iis esse, qui se de libris ad eruditam civitatem relaturos professi* sunt, ita pergis: Nos hunc scrupulum caet.“ Uno in verbo *sunt* duplicem admisit soloecismum. Ego scripseram constructione absolutâ: *est haec negligentia ignoscenda in aliis hominibus, sed negligentia tamen, neque ferenda in iis, qui se de libris ad eruditam civitatem relaturos professi sint.* Iam sic Latinitas requirebat Coniunctivum: quem multo etiam magis requirit in constructione suspensâ ab Infinitivo, in quam hic meam dictionem vertit.

Ibid. „Proba igitur, vel minimam eorum, quae de me narrasti, partem veritati esse consentaneam, et, ne nunc alia *requiram* — profer exempla, quibus pateat, me maledictis te in horreo meo *lacerasse*, patientiae tuae insultavisse, *dicteria* in te *evomuisse.*“ Primum dicit contrarium sibi ipse, qui p. 51 fassus erat, me quaedam de se vera narrasse. Caetera non dixi, sed ipse quasi a me dicta comminiscitur: *patientiae eum meae insultasse*, pervertit verba Philalethis, universe *nostrae patientiae*, eos dicentis, quibus maledixit, omnes, atque etiam lectores, patienter

ferentes. Atque ego non nisi obiter tango, quae falso dixit; sed Latinitatis vitia noto. Et hoc loco *requiram* Belgicismo dicit pro *quaeram, postulem.* Tum vim *lacerandi* ignoravit; nec enim *laceravit me*: quod de eo dicitur, qui effecit, et habet lacerandi facultatem et auctoritatem: quam ille nullam habet: pro *lacerasse* debebat scribere *lacerare conatum esse*, aut *lacessivisse*: quod per ignorantiam cum *lacerasse* ipse confudisse videtur. Denique *dicteria evomere* plane incongruens est: *dicteria* sunt acute dicta, sales, facetiae, nec *evomuntur*, sed *iaciuntur*, *figuntur*, *emittuntur*, *adsperguntur.* Et vero *evomere* et ipsum in vitio ponitur, et in rebus vitiosis dicitur: veluti *evomere maledicta*, *convicia*, *virus*, *fel*, *sordes*, *faeces.* Ergo *evomere dicteria* tam absurde dicitur, quam dicatur *evomere egregia dicta.*

Ridiculum prorsus, inquit Critobulus: huc accedit, quod homo se ipse imprudens aperit, atque ostendit, suos sales non nisi maledicta et sordes esse, quas evomat. Sed quaeso caetera.

Pag. 72. „reprehensio — nimiam laudem *secum coniunctam* haberet.“ Quid *secum coniunctam?* verborum moles inanium.

Ibid. „fidem *expresse* datam violasti.“ Cogitavit verbum Belgicum. At Latinum hoc sensu metaphorice dicitur de *exemplis* accurate redditis. Dicendum erat *diserte, plane.*

Pag. 73. „Bella profecto esset ironia, si iocaremur cum vero asseveramus, vide quam vilis sit quamque odiosa.“ Quum nullus hic sit locus ironiae, mirabar, unde ista homini accidisset: nunc video, eum ex Cicerone haec descripsisse in Bruto 85: *Bella ironia, si iocaremur: sin asseveramus, vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium dicamus.*

Hoccine est Latine scribere? Veterum dicta surripere, alieno loco inculcare, et, si quid ipsi addimus, deteriora facere. Veluti hic et compositio inficeta est: et nomina *vilis*, *odiosus* hoc usu sensuque e Belgicismo venerunt: et passim ita loquitur Horrearius, perperam quidem. *Vile* dicitur, quod nullo in pretio est, contemtum, abiectum, sordidum: *odiosum* autem est odio dignum, quod nos ad sui odium inducit, movet, minime vile et contemnendum. Sunt fere disiuncta, quae coniungi nequeant.

Ibid. „*bonoque mihi exemplo praeire debuisses.*“ Supra notatus, et frequens homini, Belgicismus.

Pag. 74. „te — ad illum magnitudinis venustatisque sensum hucusque nondum *adscendisse*, quo literati, nisi qui *simul boni sint animoque puri*, incensos se inflammatosque *sentire* plane non possunt.“ In hanc sententiam disserui in Oratione quadam, et in Vitâ Ruhnkenii, unde spoliavit, sed inficete contexuit Horrearius. Primum *adscendere* ineptum est, nisi adsit *altitudinis* aut *sublimitatis* nomen: potius convenit huic notioni *attollere se*, *erigi*; quod magis etiam in Graecis sentitur, in quibus ridiculum sit dicere *ἀναβαίνειν πρὸς ὕψος διανοίας*: in quo ponenda sunt *διαίρεσθαι*, *ἐξαίρεσθαι*, et similia. Tum caetera claudicant: dixisset *nisi qui animis boni et a vitiorum contagione puri sint.* Denique ultimum prorsus est absurdum, *incensos se inflammatosque sentire plane non possunt;* quasi vero isti pravi et impuri literati incenderentur quidem et inflammarentur illo magnitudinis sensu, nec tamen sentirent se incendi et inflammari.

Pag. 75. „quid *referam* hic, quae ante a te facta sunt? *vereor* enim, ne Lectoris patientiâ abuti *viderer.*“ Atqui temporum ratio desiderat *videar.*

Pag. 76. „Sed non est profecto, cur e praeterito tempore argumenta conquiram, cum praesens eorum abunde *offert*, illataque mihi a te iniuria satis superque *docet*.“ Modorum ratio, et vis particulae caussalis *cum*, et ipsa constructio, requirunt Coniunctivos *offerat*, *doceat*.

Pag. 77. „ultionem meditatus *vilissimam*.“ Modo notavimus.

Ibid. „hominem — reddunt *sui plenum*.“ Passim occurrit proprius homini barbarismus.

Ibid. „*Vel an* exiguo potius illorum numero te eximemus, qui literarum vim — recte *perceperint*?“ Rursus apponit nobis dilectum suum Belgicismum *Vel an*. Tum in Modorum ratione labitur, pro Indicativo dans Coniunctivum.

Ibid. „Non enim omnibus hoc lumen literatis *apparet*.“ Dictio ex eo genere, quod biblicum vocatur, quocum Horrearii stilus magnam affinitatem habet: rectius erat, *ostenditur*, *oritur*, *oboritur*, *accenditur*.

Ibid. „ne ipsam *veluti* Rationem accusare videamur; atque, ut veri est iustique amans, *tamquam Achilli Homerico* Pallas, nobis manum iniiciat.“ *) Puerilis affectatio granditatis, et penuria ipsius, de quâ loquitur, rationis. Quid Horreario cum Homerico Achille commune? nisi *ira*, quam philosophus continere debebat. Tum quid *veluti* in re propriâ? ut si dicas, *ipse veluti Horrearius hunc libellum scripsit*.

Pag. 78. Rursus ponit *sui plenus*, ipse adeo barbarismi plenus.

---

*) *Mahnius* l. l. p. 65. „Furtum Muretianum ex or. de mor. philos. laud. p. 60. „*Quorum alterutrum si coner, ipsa mihi philosophia, ut est veritatis amans, tanquam Achilli Homerico Pallas, manum iniiciat*.“

Pag. 79. „Ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως*) dicam, quid *eruditorum de te vulgus* statuat atque perhibeat." Est haec eius perpetua Graecae eruditionis consectatio, sed inepta in Latine scribendo, si Latina adsint diserta verba, nec Graeca maiorem vim aut perspicuitatem adferant. Illud vero per est ridiculum, quod *eruditorum vulgus* testem citat. Quid enim est vulgus? *plebs populi*, atque adeo *faex plebis*, *turba indocta*. Et si dicimus *eruditorum vulgus*, dicimus per contemtum indoctissimam partem eorum, qui docti haberi volunt. Horum equidem iudicia non curo, Horrearius curet. Quamquam fortasse is Latini sermonis ignorantia lapsus est, dicens *vulgus eruditorum*, quum dicere debuisset *vulgo eruditi*, i. e. *eruditi sic frequenter et passim iudicant*. Horum ego iudicia revereor; Horrearii testimonio non moveor.

Ibid. „ut sunt homines *sui adeo pleni*." Postremo hic exstat; saepe rediturum, si longior foret libellus.

Ibid. „*Ad instar*" Posterioris Latinitatis, ut ostendit Mahnius noster Epicrisi p. 90.**) Modo posteriorem Latinitatem sine Belgicismis Horrearius adferret.

Ibid. „*ne vel umquam*." Immo, *numquam*.

Pag. 81. „cum viris *audacibus*, qui bonam tueantur veri honestique caussam." His viris se ipse aggregat, putans, *audaciam* in laude censeri, eique studens. ***) Dixisset *fortibus*, *constantibus*, *cordatis*: magis Latine et minus inepte dixisset.

*) *Mahnius* l. l. p. 65. „Graecum ex Mureti ep. XXXIII. T. I. p. 452. arreptum."

**) Vitarum hom. quocunque litt. gen. erudit. a me nuper Brunswigae editarum Vol. I. p. 244 sqq. *Fr.*

***) *Mahnius* l. l. p. 159. „Terentiano dicto et ipse dicam, nec furtim, ut tu, sed aperte nominans auctorem (Eun. V. 6. 23), *Tuo ipse indicio, miser, quasi sorex, periisti*: aggregans

Ibid. Dixerat Philalethes p. LXXII, „me noluisse meis studiis aliquid *subsecivi* temporis subtrahere ad Horrearium refellendum.“ Haec ille repetens, inauditum vocabulum facit *subcessivi.*

---

te viris *audacibus,* putans, audaciam in laude censeri, eique studens: quod notavit Philomathes pag. 120, tu vero ineptis argutiolis defendis: Virg. Georg. I, 40, *audacibus annue coeptis,* quod plane dissimile est; in poëtâ magnum opus adgrediente locum habet, in quibus etiam laudatur *felix audacia:* sed in rebus agendis et vitae actione, adeo belli ducem gravem et constantem, v. c. Aeneam, ubi Virgilius *audacem* appellavit? Adfers et Taciti verba Ann. I, 57, e Lexico scilicet: *Barbaris, quanto quis audaciâ promtus, tanto magis fidus:* sane inepte! quis enim non videt, hoc, ut de barbaris, in malam partem dici? Tum Terentianum Heaut. I, 1, 6, *Facit, ut te audacter moneam et familiariter:* in quo ignorantiam usus Latini et inopiam acuminis prodis, putans, idem esse *audacter aliquid facere,* atque *audax quid facere, audacem esse:* quasi v. c. *male quid facere,* idem esset quod *malum quid facere, malum esse.* At Terentius ubique *audax* et *audaciam* in malam partem usurpat: item Cicero, cuius plurima loca in Lexicis feruntur: quibus adde Or. in Pis. c. 20. de Leg. I, 14: III, 9. Verr. Act. II, Or. II, 20: *nostis os hominis, nostis audaciam.* Ibid. c. 30: *Iste, quamquam est incredibili importunitate et audaciâ:* et sic saepissime. Diserte in vitiis numeratur Part. Or. 23: *Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in animis extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem* audacia *imitatur.* De Off. I, 19: *animus paratus ad periculum, si suâ cupiditate, non utilitate communi, impellitur,* audaciae *potius nomen habeat, quam fortitudinis.* De Inv. II, 54. *Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperitur, aut certo iam nomine appellatum; ut* audacia, *quae fidentiae; pertinacia, quae perseverantiae finitima est.* Nam ex Veterum doctrinâ, si forte nescis, omnis virtus in medio posita inter duo vitia, quae et ipsi et invicem contraria sunt: veluti *fortitudini* ab alterâ parte opponitur *ignavia* et *timiditas,* ab alterâ *audacia* ac *temeritas.* De *audaciâ,* quam tu tantopere amplecteris, v. Aristot. Ethic. Nicomach. III, 10, ubi illa: *δοκεῖ δὲ καὶ ἀλαζὼν εἶναι ὁ θρασὺς καὶ προςποιητικὸς ἀνδρίας,* h. e. *atque audax etiam arrogans esse, et fortem se simulare videtur:* quod tu, Paule, tibi dictum putes. Vide item Eudem. III, 1: Victor. ad hos locos et in Comm. ad Rhetor. p. 349: Appuleium de Doctr. Plat. II, p. 14. Nec *ἀνδρεία* est *θρασύτης,* auctore Plat. Protagor. p. 209: in milite fertur, in duce reprehenditur, notante

Ibid. „*eumque in finem.*“ i. e. *hactenus.* Voluit dicere *hoc consilio*, *eam in rem.**)

Ibid. „Hoc enim scias, me nec te, tuâ licet *involutum* Latinitate, neque etiam Critobulum tuum, nec Philalethem, nec alium quempiam *fugere.*“ Hic est exitus libelli sane claudicans. Aures Latinae et ipsa sententia aliud et plenius requirunt. Dicitur quidem proprie v. c. *miles hostem fugere*, *cerva lupum*, caet.**) sed in metaphorâ, ut hoc loco, disertius di-

Polluce I, 179. Eumdem usum apud alios scriptores Latinos observamus: v. c. Sall. B. C. 3, 17, 18, 23, 52 bis: alibi etiam: Plin. Ep. II, 14: IV, 8: III, 9, 35. At in laude videtur poni ap. Sall. B. C. 9 et 51 de *maioribus:* et priore est de rudibus et incultis: altero ex personâ Caesaris, *maiores nostri neque consilii, neque audaciae unquam eguerunt:* accipiendum illud de Senatu, hoc de populo. Eutrop. VI, 15: *Catilina coniuravit cum quibusdam, claris quidem, sed* audacibus *viris.* Et nisi mihi, P. Burmanno crede docenti ad Ovid. A. Am. I, 608: „*Audax,* inquit, est temerarius, quem a Deo iuvari stultum esset dicere, sed *audens* est fortis, animosus, constans, qui intrepido animo omnia aggreditur. *Audentem* esse, laudi ducitur; *audacem* vitio. — *Audaces*, qui se temere in pericula iaciunt, ut confectores bestiarum, et perditi ac desperati gladiatores.“ Quae idem Burmannus copiâ exemplorum confirmat. De *bestiariis,* dictis *audacibus*, annotavit quaedam Salm. ad Iul. Capitol. Gordianum Hist. Aug. T. II. p. 79, et Treb. Poll. Gallienum p. 216. Est autem fere haec significationis vis in deteriorem partem plerisque adiectivis verbalibus, in *ax* desinentibus, propria: v. c. *audax*, *bibax*, *edax*, *emax*, *fallax*, *furax*, *loquax*, *mendax*, *minax*, *pervicax*, *procax*, *rapax*, *salax*, *tagax*, *vorax:* mediae significationis sunt *ferax*, *tenax:* at *verax* non est verbale.“

*) *Mahnius* l. l. p. 121. „Fluxit ex Belgicismo (*ten dien einde,*) nec Latine valet *hoc proposito*, *hoc consilio*, *hanc ob caussam*, *hanc ob rem*, *idcirco*, *ideo*, et similia, quod volebat Paulus: sed significat *hactenus*, *eousque ut*, *non ulterius quam:* veluti in loco illo Cic. De Orat. I, 34: *Oratione aliquâ lectâ ad eum finem, quem memoriâ possem comprehendere:* et aliis, quos notavit vir accuratissimi de Latinitate iudicii, I. M. Hensingerus, omnino de huius vocabuli potestate consulendus in Observ. Antibarb. p. 406. Et hoc ipso usu non dicitur *in finem,* sed *ad finem.*“

**) *Mahnius* l. l. p. 162. „Philomathes illud *fugis* notaverat p. 120, ut in hoc loco ineptum. Tu adfers locos Terentii et

cendum erat, additâ significatione rei et caussae, quid, quare, ubi, non fugeret: v. c. *non fugio susceptum adversus vos certamen: non defugio hanc vobiscum contentionem; non reformido vos adversarios, vestras vires et facultatem.* Tale quid et ratio et Latinitas praecipiunt.

Tum *involutum*, inquit Critobulus, sive bono, sive malo sensu dixit, inepte dixit. Si bono, imprudens et nolens dixit: sic Cicero, *literis me involvo:* Horatius, *meâ virtute me involvo.* Si malo; sibi ipse repugnat, qui tuam Latinitatem puram et perspicuam esse fatetur: dicitur autem *involvere se tenebris, nocte, nube, fumo:* et ita proprie et vere dicamus, *Horrearium se involvere Kantianis tenebris, nocte, nube, fumo.*

Virgilii, in quibus *fugere aliquid,* aut *aliquem,* dicitur: tum inveheris puerilibus conviciis in Philomathem, „*miror*, inquis, Daniëlule! *et quis mecum non miretur? tuam cavillantis impudentiam ac temeritatem prorsus incredibilem, quâ singulas fere dictionis meae phrases, etiam optimas, et a probatissimis quibusvis, cum antiquis, tum recentioribus adhibitas, acerbissime perstrinxeris:*" et sic ubique ratiunculas tuas inanes firmare conviciis studes: ego vero tuâ asperitate me deterreri non sinam, quo minus in susceptâ purgandi provinciâ pergam. Qui vel mediocrem Latini sermonis usum habet, sentiet, illos a te citatos locos a propositâ quaestione alienos esse, ac te nescire, quo quaeque dictio valeat, omniaque temere miscere. Ais, te in animo habuisse locum ex Virg. Ecl. III, 53: *in me mora non erit ulla, Nec quemquam fugio.* At vero, o bone! non solum *in animo* hunc locum habere debebas, sed etiam verbis significare; ita paroedia apparuisset: et magis ferretur; nam probari quidem plane non poterat, quia in illo versu non dicitur, *non fugio adversarium,* quae tua caussa est, sed *non fugio iudicem certaminis, non recuso iudicem,* ut recte Heynius interpretatur."

CATHARSII SUPPLEMENTUM

E MAHNII ANNOTATIONIBUS AD EPISTOLAS SODALIUM SOCRATICORUM COLLECTUM.

Pag. 189. „*Dubito, an caussae tuae aliquid profeceris.* Conticuerunt *certe adhuc omnes Exteri, spernentes, ut puto, et nugas tuas, et* conviciatorium *contra Kantiana praecepta* latratum. *Qui vero locuti sunt, Nostrates,* unanimi *te damnarunt suffragio.*" Ne plura dicamus de re et facto; nam et Exteri et maledicentiam Pauli improbarunt, et Latinitatem riserunt, et in Philomathe cognitionem materiae Kantianae probarunt: et isti *Nostrates* non fuerunt, nisi unus aut duo, Kantianistae: his igitur missis, errores sermonis et iudicii spectemus.

Proficere alicui non dicitur a bonis scriptoribus, sed *prodesse alicui, proficere ad aliquid,* v. c. *ad caussam obtinendam.* Ap. Caes. B. G. III, 21: *nihil his rebus profici posse,* est Ablativus, fortasse a Paulo acceptus pro Dativo in his verbis in Facciolati Lexico citatis. Dativo iunctum in Gesneri Thes. non nisi semel, idque ex Ulpiano, adfertur.*) *Conticuerunt* autem, qui antea locuti sunt, ut in illo Virgiliano, *Conticuere omnes,* et ubique; atqui negat, eos adhuc locutos esse. Igitur dicendum erat, *tacuerunt, taciti fuerunt, siluerunt, silentium iis fuit, silentium obtinuerunt.***) Mox

*) Dativus cum Passivo, more Graecorum, apud Cic. ad Att. I, 1: *quiddam spero nobis profici,* quod idem valet, atque *a nobis profici.* Ovid. Art. Am. II, 589: *Hoc tibi profectum, Vulcane.* At Cic. ad Att. XII, 20: *tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe satisfacio:* diversum est; nam non *alteri* sed *mihi* est: neque id per se et simpliciter dictum, sed per paronomasiam et antithesin cum verbis *facio* et *satisfacio. Ex Add.*

**) De vero huius verbi usu apud veteres scriptores vid. interpretes ad Ter. Eun. V, 1, 3. Quod vero ad rem ipsam pertinet, de quâ loquitur Horrearius in Triad. Epist. p. 78: *Conticuerunt certe adhuc omnes Exteri:* operae sane pretium est, h. l. addere, quae leguntur in *Actis Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis* Vol. I, p. 365: „*Duodecimae parti* (Bibl. Crit.) *praemissa est editoris epistola ad* F. G. L. B. de

novum furtum, *conviciatorium latratum* ex Philomathiâ I, p. 25. — Denique *unanimi suffragio* indignum Philosophis, qui debebant *iudicium* quisque suum sequi: non *animum*, quasi impulsi et incitati: dixisset *consentiente iudicio, rationibus in utramque partem ponderatis ac subductis, re diligenter ad argumenti scientiam exactâ, sine partium studio et odio, unâ sententiâ te damnarunt.* Sic oportebat et fieri et dici.

Pag. 192. „*Grati animi significationem ab omnibus — accipite.*" E Belgicismo factum, *ontvangt onsen hartelyken dank:* non ex usu Latinorum. Hi non dicunt, *gratiarum actionem accipere, grati animi significationem accipere.* Horum est *habere, agere, referre gratias* vel *gratiam:* trifariam enim in grati animi officio versatur homo, habendo, agendo, referendo; ut dicendum hoc loco fuerit, *agimus vobis gratias, habemus vobis gratias.* Atque sic Cicero et probati scriptores. Sunt quidem, quae videantur similia, sint tamen aliena: v. c. Ovid. Trist. III, 3: „*Accipe supremo dictum mihi forsitan ore, quod, tibi qui mittit, non habet ipse, Vale;* et V, 13: „*Accipe, quo semper finitur epistola verbo, atque meis distent ut tua fata; Vale.* Eumen. Panegyr. ad Constantin. Aug. 4, 5: *Accipe, imperator, accipe nostrorum sensuum confessionem.* Neque his locis inest notio gratiarum. Fac exemplum contra nostram sententiam afferri, de quo dubitemus: hoc valde rarum et eiusmodi erit, ut non illud potius, quam Belgicismum, Paulus secutus fuerit.

Lynden, *longiorem continens, sed suavissimum eumdem sermonem de Kantianâ philosophiae formulâ, quam novitiis fere et tironibus etiam inter Batavos probatam esse auctor ait, a veteranis improbatam, deque singulis locis et iudiciis Kantianorum.— Creavit hoc iudicium auctori invidiam, et, quod praevideri poterat, excitavit tum aliorum iram, tum eius, quem Wyttenbachius auditorem suum, non discipulum, pronuntiaverat. Prodiit igitur non ita multo post* Pauli van Hemert Epistola ad Dan. Wyttenbachium. *Ille* Hemertus, *quum iam novem annis ante in parte quadam* Horrei Critici, *quod tum patrio sermone edebat, Wyttenbachium reprehendisset, nunc, vindex Kantianae formulae acer, in eundem vehementius invectus est. Eiusdem cognovimus nuper prodiisse* Triadem Epistolarum ad Wyttenbachium, *sed nondum vidimus, neque videre magnopere curamus.* Adeo nos superioris Epistolae Latina oratio deterruit." *Ex Add.*

P. 194. "*Quod* (proverbium) *quin in Kantium quoque* applicari *velis, non est dubium.*" Et Francici sermonis et Belgici (*toepassen*): Latine dixisses, *valere, conferre, accommodare*

P. 194. "Quaquavorsum *enim te convertas.*" Varia in uno vocabulo inscitia. Primum, forma adeo ordinaria *quaquaversum* dubiam habet auctoritatem, et testimonia, quibus firmatur apud Lexicographos, Cic. Phil. IX. in fine, et Apuleii Met. IV. p. 247 ed. Oudend. variis lectionibus infirmantur et idem ad Caes. B. G. III, 23 *quoquoversus* rectius esse judicat. Tum ridicula antiquitatis affectatio in *vorsum* pro *versum*: ut solent semilatini similia consectari, *optumus, maxumus*, alia, quasi ordinaria forma ipsis sordeat. Denique haec forma *quaquavorsum* ne in Lexicis quidem exstat.

P. 197. "*Nugatur enim et puerorum more effugium quaerit, caet.*" Latini *effugium* proprie, nec ita metaphorice de disputandi parte, usurpant. Nos si sic ponere velimus, metaphoram mollire debemus, quasi aditu ei aperiundo, per quem introducatur: v. c. *Deprehensus in errore effugium reprehensionis quaerit:* vel similiter.

P. 216. Quod addit *Grammatistae,* nominis vim non intellexit, deceptus Lexico suo, cui confidit et quo gloriatur: ubi e solo Suetonio De Gramm. c. 4: *Grammaticum absolute, Grammatistam mediocriter doctum putant;* quae vèrba paulo aliter leguntur apud ipsum auctorem, et a Lexicographo Latino accuratius interpretanda erant ex Graecorum usu et Io. Wouwerii libro de Polymathiâ IV, 4: unde intelligigitur, *Grammatistam* esse, qui pueros prima elementa, syllabas, legere, scribere doceat, quod certe Philomathis negotium non est. Porro: *celeritatem — assequi scribens cupivit, librumque edidit levem et volaticum, cujus sibi nec ratio constat, nec oratio:* ex Catharsio compilatum p. 19 et 74, atque deterius Latine mutatum: quid enim hoc, *cujus sibi nec oratio constat?* in Catharsio erat, *levitate, quales sunt Horrearii volatici libelli, quorum nec ratio, nec oratio cogitationem postulat?* Caeterum Philomathi tarditatem scilicet inveniendi obiicit, quod item aliquis, unde Paulus hoc habet, solebat facere: cui Philomathes illud Valerii Maximi de Euripide relatum opponebat III, 7: *Itaque etiam quod Alcestidi tragico poëtae respondit, probabile. Apud quem cum quereretur, quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso la-*

bore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur: Sed hoc, *inquit*, interest, quod hic in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient." Quem locum ille ad Plut. Mor. p. 94 F cum simili Zeuxidis dicto comparans *Alcestidi* in *alii idem* mutandum monet.

P. 219. *Saltum* quidem ex hodiernâ consuetudine non prorsus repudiamus, qua usurpatur de progressu a re ad rem, quum nullus inter eas sit nexus, de conclusione ducta ex nullis antecedentibus, sive ex iis, unde duci nequit; convenit enim quodammodo cum Graeco proverbio *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἅλλεσθαι ultra fossam salire.* Aristoteles in simili re de confusione speciei cum genere dixit *ὑπερβαίνειν transcendere*, Top. VI, 5, 10. Atque Cicero de N. D. I, 33 hunc errorem in demonstratione vocavit *praecipitare:* justâ autem viâ concludere, *descendere, gradatim* et *gradibus quo pervenire.* At vero ridiculum plane est, eum, qui talem saltum facit, *saltatorem* dicere; quod nomen proprium est in eo, qui pedes, manus, omnino corpus suum ad praescriptum modum et rythmum movet: et Kantium umquam saltasse, nec ne, parum ad hanc quaestionem pertinet: *saltum* quidem in disputando fecisse, apparet: quem non *saltatorem*, sed rectius Latine nominemus *desultorem disputationis, transsilientem connexa, saltuatim demonstrantem.* Porro dictio *e Kantio saltatorem facis*, compositionis est Belgicismum redolentis, quae Latine reddenda erat, *Kantium è philosopho salientem*, vel *desultorem facis.* Tum *lege cautum esse*, absurda metaphora, in re simpliciter declarandâ, *rationem vetace, repudiare, a ratione alienum esse, abhorrere caet.*

P. 223. *Malefacis quod hanc παραδοξίαν ad Kantium trahas.* Bis erratum: primum in Modo, cujus consequentia *trahis* flagitat; in hujusmodi constructione rectâ *quod* Indicativo jungitur; in obliquâ utrumque admittit Modum: v. c. *dico te male fecisse, quod trahas* vel *trahis.* Deinde *trahere quid ad quem*, bono sensu usurpatur a Veteribus, quod hic a Paulo ponitur pro *insimulare, reprehendere, arguere, accusare.* Liv. IX, 28: *captae decus Nolae ad consulem trahunt.* XXIII, 8: *factionis ejus, quae traxerat rem ad Poenos.* XXIV, 2: *plebs ad Poenos rem traheret.* Curt. IV, 5, 15: *res ad Macedonas trahebant.* Just. IX, 3: *quasdam* (civitates) *ad*

Philippum belli metus traxit. Similiter praepositioni *in* jungitur Ov. Met. XV, 57: *et nomen tumulati traxit in urbem.*

P. 258. *Quae famae omnino noceant*, imo vero *mihi insonti turpitudinis inurant stigma.* Particulae *imo vero* locus est in oppositione et correctione antecedentis dicti: quae hic nulla est. Huc pertinet admonitio Ernesti ad Tursellinum p. 134, ad hanc significationem referentis omnia exempla, ubi *immo vero* pro *certe* videtur poni. Hic dicendum erat *atque adeo.* In eodem vitio versatur p. 140, ubi dicto Philomathis, *in Epistolà ausus est dicere*, respondet: *Imo vero ausus sum:* ubi ratio requirebat, *Sane*, vel Omnino.

P. 261. *Pulchre observas.* Frequens barbarismus in verbo *Observare*, notatus in Horreario Cathars. p. 89. Nec *pulchre* in hunc locum convenit. *Recte, vere, bene dicis, statuis, pronuntias:* talia ponenda erant.

Ibid. *Fragmentum apponis utique lepidissimum — quod sic infit.* Sane lepidum est, quod homo, dum lepidus esse vult, illepidum soloecismum facit: non enim dictum, sententia, oratio *infit*, sed *dicens infit.* Haec est hujus verbi in Latino sermone consuetudo.

Ibid *Qui dialogus quin genuinus sit.* Ipse Ruhnkenius hujus hoc sensu vocabuli usum vitare solebat, et pro eo *germanum* ponere; quod illud von nisi Gellii auctoritate, ejusque uno, nec satis certo, loco ferretur. In scholasticâ consuetudine recentiorum frequentatur; unde Paulus suscepit.

P. 263. In illo incredibiliter stulto deliramento, quo Philomathem insimulat nescire quid Hexameter sit, festivum est, cum in soloecismi vitium incidisse. Scribit p. 151: "*Affirmas*, me de metro judicare, ut puer scholasticus, ludimagistri dicta venerans." Non noverat vetus Professor, accusativum requiri, *ut puerum — venerantem.* Scilicet Philomathes dixerat p. 101: *De metro judicat, ut puer scholasticus ludimagistri dictata venerans.* Id iste transscripsit ignorans, mutatam constructionem alium casum postulare. Cic. Tusc. I, 17: *Platonem ferunt — sensisse idem, quod Pythagoram:* sic Davisius et Bentlejus restituerunt pro vitioso *Pythagoras*, probante Ernesto et subscribente, *sic ratio grammatica scribere jubet.* Adde Leg. I, 19: *Melius esse aliquid, quam virtutem, necesse est.* Ep. ad Div. V, 7, ad Pompejum: *tibi mul-*

to majori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Laelium, facile et in republicá et in amicitiá adjunctum esse patiare. Ad Att. IX, 15: *te medius fidius hanc rem gravius putavi laturum esse, quam me.* Alia est ratio De Divin. II, 47: *Videsne, me non ea dicere, quae Carneades — dixerit:* ubi nisi additum esset *sed ea, quae Panaetius dixerit,* ponendus erat Accusativus, *Carneadem.* Terent. Phorm. III, 1, 3: *Alios tuam rem credidisti magis quam tete animadversuros.*

P. 269. "*Et si vultis idem me* jurato *dicere, equidem dicam, atque ita dicens, ut monet Tullius, probe meminero, Deum me adhibere testem.*" Locus e Cic. De Off. III, 10, ut ipse in notulâ notavit Paulus: ibi legitur sic: *Cum vero* jurato *sententia dicenda sit, meminerit, Deum se adhibere testem.* Iste haec transscribens non vidit, mutatâ constructione Casum mutandum esse sic: *Et si vultis, idem me* juratum *dicere:* prouti eâdem in caussâ supra erravit p. 149. Quis enim non videt, *jurato* esse Dativum nominis *juratus* i. e. qui in aliquid juravit: quod frequens est Ciceroni: Manutius ad h. l. *Jurati ii dicuntur, qui in leges, antequam judicarent, jurare consueverunt.* Locum Ciceronis videtur arripuisse e Bibl. Crit. P. V., p. 31, in Censurâ Panegyricorum Latinorum, quam in hoc libello suo misere compilavit. Malum omen, quod, jurare volens, Ciceronem soloecismo inquinat!

P. 271. *Olim* dicit de eo, quod paucis ante mensibus factum erat: ubi dicendum erat, *nuper, nuperrime.* Traditur quidem in Lexicis, *olim* pro *nuper* usurpari, sed auctoritate trium locorum, quae nulla est. Primus est in Gesneri Thesauro e Terentii Andr. III, 3, 13: *Alium esse censes nunc me, atque* olim *cum dabam,* scil. filiam? Colloquitur Chremes ad Simonem, dicens se suam filiam, quam nuptum se daturum promiserat hujus filio Pamphilo, adhuc dare velle: nec quidquam est, quod nos cogat *olim* pro *nuper* accipere, si comparemus priora I, 1, 42, ubi Chrysis triennium abhinc Athenas venisse, et 72, ubi Chremes ultro ad Simonem venisse, *unicam gnatam suam cum summa dote filio uxorem ut daret,* et hic filium despondisse, narratur. Alterum locum addit Forcellinus Cic. ad Div. XV, Ep. 20, *ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti.* Cor-

radus intelligit de longiore tempore, Trebonii ex Italiâ in Hispaniam discessu. Rectius P. Manutius, ex veteris libri scripturâ, *aliquantum olim* corrigit *aliquantulum;* nam *olim,* ait, *locum non habet, cum Trebonius paulo ante discesserit.* Tertium adjungit Schellerus, Plauti Captiv. IV, 1, 19: ubi *olim si advenissem,* opponitur antecedenti *sero,* et manifesto valet *dudum.*

P. 273. "*Quae utraque suspicio omni prorsus destituta est* fundamento." Ex media hodiernorum Scholasticorum consuetudine sumtum *fundamentum:* hoc quidem sensu rectius *ratio, veritas, probabilitas* dicatur.

P. 280. Adferunt etiam hoc ex Catharsio p. 26: *relinquit tamen Latine scribendi facultatem et Literarum scientiam; credo, ut ipse per hanc aequitatis speciem criminibus jactandis eo plus fidei faceret:* volunt *faciat* scribere debuisse Philomathem, quippe qui ex hac regulâ Paulum aliquoties reprehendat. En Mercuriales homines, sive potius statuas, quas pro Mercuriis *vulgus eruditum* colit! Quasi hic locus similis sit illis a Philomathe reprehensis, et quasi regula exceptionem non habeat. Lubet quaedam e scholis illius referre. "Consecutio Temporum et Modorum, inquit, quâ copulâ contineatur, multum differt. Frequentissimae sunt copulae *qui* et *ut.* In illâ valet hujusmodi ratio: *sunt, qui dicant; erant* vel *fuerunt, qui dicerent; erunt, qui dicant.* Sunt tamen exempla, ubi haec ratio migretur, neque illa omnia a librariis profecta: v. c. *sunt, qui dicunt; erant, qui dicebant; fuerunt, qui dixerunt; erunt, qui dicent:* quae locum habent, ubi res diserte pro certâ et firmâ enunciatur, quod magis Indicativi quam Conjunctivi est. Veluti *sunt, qui dicunt,* et *sunt, qui dicant,* utrumque dicitur pro simplici *quidam dicunt;* sed certius illud prius. Quod magis apparet in iis exemplis, ubi aliquid definite ac demonstrative declaratur: v. c. *hic est, qui patriam nostram hostibus prodit:* et *prodidit* et *prodet* poni potest, si homo ut praesens, res ut praeterita aut futura spectatur: sed et *hic fuit, qui prodidit,* et *hic erit, qui prodet.* At haec moderanda sunt secundum vim sententiae, temporis, firmitatis, demonstrationis. In altero Consecutionis genere, quod continetur Conjunctione *ut,* duae sunt species: prima, quâ *ut* simpliciter

rem ipsam declarat, v. c. *suadeo tibi, ut fugias*, i. e. *suadeo tibi fugere* vel *fugam:* secunda, quâ *ut* significat consilium, propositum et effectum illius prius declaratae actionis, v. c. *suadeo tibi ut fugias, ut me aliquando laborantem serves:* quo loco ne duplex *ut* ambiguitatem faciat, concinnius sit, prius membrum in Accusativum vel Infinitivum mutare *suadeo tibi fugam* vel *fugere, ut me caet.* Sic et Graeci σνμβουλεύω σοὶ φεύγειν, ἵνα κἀμέ ποτε κινδυνεύοντα σώσῃς, non σνμβουλεύω σοὶ ἵνα φεύγῃς κ. τ. λ. quod postremâ demum aetate usurpari coepit, et ita invaluit, ut infinitivum expelleret: quo Graeci hodierni plane carent, et ejus loco νὰ φεύγω, i. e. ἵνα φεύγω, usurpant. At hac in specie Graecis proprius est Aoristus: Latini maxime quidem Praesens, v. c. *ut serves*, subinde Imperfectum, cujus vis respondet Aoristo, et omne tempus attingit. Itaque in utrâque specie Imperfectum adhiberi reperiemus, imprimis in alterâ, in quâ saepe aliquid interponitur, quod huic Tempori viam aperiat: v. c., *ut me, si aliquando laborarem, servares:* et in similiter productis periodis. Quae, ut omnis usus, ex exemplorum observatione colliguntur. Haec igitur animadvertantur Ciceronis: Off. I, 26, *Panaetius quidem Africanum — solitum ait dicere, ut equos, propter crebras contentiones praeliorum ferocitate exsultantes, domitoribus tradere* soleant, *ut his facilioribus* possint *uti: sic homines secundis rebus effrenatos sibique praefidentes tanquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere, ut* perspicerent *rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae.* III, 9: *Hunc igitur ipsum annulum si* habeat *sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non* haberet. De Or. III, 50: *At in his si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius* fieret, *aut productione longius, theatra tota* reclamant. Ad Div. I, Epist. VII, §. 25: *nam qui plus opibus, armis, potentiâ* valent, *profecisse tantum mihi videntur stultitiâ et inconstantiâ adversariorum, ut etiam auctoritate jam plus va*lerent. Haec, et in antecedenti exemplo, et in aliis locis, Imperfecta pendent a Perfectis *profecisse, offensum esse.* II, 16, §. 4, *quod est igitur meum triste consilium? ut* discederem *fortasse etc.* IV, III, §. 12: *te autem ab initio aetatis, memoriâ* teneo, *summe omnium doctrinarum studiosum*

fuisse, omniaque, quae a sapientissimis ad bene vivendum tradita essent, *summo studio curâque didicisse.* VII, 27: *Miror, cur me accuses, cum tibi id facere non liceat: quodsi liceret, tamen non* debebas. VII, 33: *Quod declamationibus nostris* cares, *damni nihil facis. Quod Hirtio* invideres, *nisi eum* amares, *non* erat *caussa invidendi.* XII, 29: *Non puto te jam* expectare, *quibus eum tibi verbis* commendarem. Coelius VIII, Ep. XVI, 9: *Me secum in Hispaniam* ducit. *Nam nisi ita* faceret, *ego prius, quam ad urbem* accederem, *ubicunque* esses, *ad te* percurrissem. Ad Att. II, I, *quin etiam quum candidatum* deduceremus, quaerit *ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare?* De Nat. Deor. I. 15: *Chrysippus — magnam turbam* congregat *ignotorum Deorum — cum ea quae naturâ* fluerent *atque* manarent, *etc.* De Leg. III, 17: *Quae lex*-continet, *ut omnes leges* tolleret, *quae latae* sunt. Mag. Her. IV, 4: sunt *enim multa laboriosa, quae si faciatis, non continuo* gloriemini: *nisi forte etiam, si vestrâ manu fabulas aut orationes totas* transscripsissetis, *gloriosum* putaretis. His quamvis multo plura exstant exempla, nihil sunt ad multitudinem eorum, quae ordinariam rationem tenent: satis tamen, ut intelligatur, exceptionem ab ea valere." Haec a Philomathe quondam disputata.